5. 3. 63.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBIUS TIBULLUS,

EQUES ROMANUS;

ET IN EUM

JO. ANTONII VULPII

PHILOLOGI AC RHETORIS

IN GYMNASIO PATAVINO

NOVUS COMMENTARIUS

DILIGENTISSIMUS.



PATAVII. CIↃIↃCCXLIX.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SENATORIBUS PRÆSTANTISSIMIS

TRIUMVIRIS,

ACADEMIÆ PATAVINÆ CURANDÆ

JOANNI EMO,

ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,

BARBONO MAUROCENO,

EQUITI, AC ÆDIS D. MARCI PROCURATORI,

MARCO FUSCARENO,

EQUITI, AC ÆDIS D. MARCI PROCURATORI.

EArum artium, quas Vos, Viri Ampliſſimi Sapientiſſimique, maxime amatis, ego vero in Gymnaſio Patavino, Senatus Veneti decreto, jamdiu profiteor, hoc

Digitized by Google

eſt, optimarum, ſpecimen Vobis offero, Novum Commentarium ad Tibullum; *in quo inſtituendo, locupletando, perpoliendo, ac demum edendo non minimum temporis, laboris, pecuniæ conſumſi. Genus operis quum varium & copioſum eſſe, tum difficile atque impeditum, neque tamen, ſi recte tractetur, vel injucundum, vel inutile hominibus elegantioribus, qui multiplici doctrina & recondita delectantur, ſcire poteſtis, etiam me tacente. Quæ enim eſt veſtrorum ingeniorum ſolertia; non Vos præterit, quot & quanta ſubſidia requirantur ad id ſcriptionis incboandum & perficiendum. Græcæ nimirum Latinæque linguæ ſcientia, nec ea parva, omnis pæne generis auctorum jugis lectio ac*

dili-

Digitized by Google

diligens, Critice, Hiſtoria, Antiquitatis notitia, Geographia, Mythologia, Rhetorice, Poetice, Ars metrica (quarum certe diſciplinarum nulla in perfacili cognitione verſatur) ad hoc quaſi convivium ſymbolas ſuas conferunt. Inepti propterea hominis & audacis eſſet, ab hujuſmodi præſidiis imparatum, de re tam ardua & ſalebris plena cogitationem omnino ſuſcipere. Facit autem non ſolum amicorum quotidianum convicium, tales libros a nobis jure quodam ſuo efflagitantium, ſed favor etiam eruditorum, cis & trans Alpes hodie florentium, qui quæ in Catullum *ſcripſimus ante duodecim annos, & illuſtri gratia exceperunt, & ſibi probari teſtati non obſcure ſunt; facit, inquam,*

ne

Digitized by Google

ne ipſe, hoc opus aggreſſus, ineptiarum crimine temere accuſari poſſim. Ad ceteras ſcriptionis hujus difficultates acceſſit vulgaris illa curioſorum exſpectatio, quid novi tandem & adhuc inauditi ſim allaturus poſt Scaligeros, Statios, Muretos, Paſſeratios, Broukhuſios, alioſque interpretes doctiſſimos, qui exponendo Tibullo *occupaſſe jam omnia, & reliquis omnibus præripuiſſe videantur. His porro triſtibus & ſeveris, qui me actum agere ſuſpicantur, quod ſcilicet eruditionem anguſtis nimium finibus circumſcribunt, & mortuis magis quam viventibus, peregrinis quam civibus favere ſolent, ſatisfieri nullo modo poterit, niſi totum librum attente perlegerint: quod ſi recuſent facere, auctor illis fue-*

ro,

Digitized by Google

ro, ut ſaltem a judicando abſtineant; periculoſum enim ſemper fuit de re non ſatis cognita & perſpecta ſententiam pronuntiare. Mihi tamen ab iniquis & præproperis hominum judiciis nihil timendum eſt, Viri principes; cui nempe in æquitate veſtra, intelligentia, recteque æſtimandi facultate perfugium ſemper patebit. Neque hoc auribus veſtris damus; eas enim res in oculis omnium ſinguli geſſiſtis pro ſalute ac dignitate Reipublicæ; ita Vos prudentes, conſultos, lenes, moderatos, in otio, in negotio, domi foriſque præbuiſtis, ut quod Vobis probatum fuerit, id a nemine, cui cor ſapiat, rejici ac refutari poſſit. Oro igitur Vos atque obſecro, ut Albium Tibullum, *Elegiæ Roma-*

Digitized by Google

næ Poetam primarium, aureumque Latinitatis Auctorem, in fidem veſtram & clientelam recipere, & ab impetu barbarorum tueri velitis: manat enim iſtud malum, & in dies corroboratur: ne ſcriptis ejus minus bene ſit apud Vos, quam ipſi olim fuerit apud M. Valerium Meſſalam Corvinum, *virum patricium, conſularem, triumphalem, tum ſingulari eloquentia, qui Poetam patrocinio, familiaritate, contubernio ſuo non indignum exiſtimavit. Hominem Vobis commendo bonis parentibus ortum, liberaliter inſtitutum, qui & ſtrenue militavit, & egregiam litteris operam dedit: in amores illum quidem ac delicias, ſi ejus verſibus credimus, procliviorem; non tamen Cynicum,* quo-

Digitized by Google

quorum philoſophorum ratio inimica verecundiæ, ſed pudentem, ac teneriore fronte. Ignoſcite, quæſo, adoleſcentiæ, in pravam eorum temporum religionem culpam conferte, quæ religio vitiis hominum & cupiditatibus licentiam largiebatur. Hic ſi Vobis acceptus, ut ſpero, evaſerit, viciſſim a Vobis petet, ut mihi novo interpreti ſuo favere pergatis & benefacere, qui nullos labores, nullam rei familiaris jacturam magni umquam æſtimabo, dummodo ſtudiis Humanitatis, mihi potiſſimum creditis & commiſſis, opem feram, eaque, ſi fieri poteſt, novis ornamentis etiam afficiam. Quæ ſane ſtudia magiſtratu veſtro ita recreata & confirmata ſunt, ut agreſtium & ferorum ho-

Digitized by Google

minum conſpirationi ad illa violanda locus deinceps non ſit futurus. Valete, Viri Nobiliſſimi Præſtantiſſimique, ac Rempublicam feliciter gerite.

Amplitudini & Dignitati Veſtræ addictus, deditus, obſtrictus,

JOANNES ANTONIUS VULPIUS,

Philologus ac Rhetor in Gymnaſio Patavino.

LE-

Digitized by Google

LECTORIBUS.

QUÆ ad illuſtrandum *Tibullum*, aſſidua lectione & numquam interrupta, diutiſſime congeſſeram, in apricum tandem profero, Lectores humaniſſimi. Perire ſcilicet nolui tot annorum labores, non tam gloriolæ cupiditate ductus, quam quod litterarum rationibus profuturos exiſtimarem: ego enim is ſum, qui, poſtquam adolevi, nihil mea potius, quam ſtudioſorum juvenum, & omnium qui bonis artibus delectantur, cauſſa edere ſolitus fuerim. De hujus quidem Poetæ carminibus optime promeriti ſunt Bernardinus Cyllenius, Achilles Statius, M. Antonius Muretus, Joſephus Scaliger, Janus Douza, Janus Gebhardus, & poſtremus omnium, ſi tempus quo ſcripſit, non eruditionem, diligentiam, & ingenii acumen ſpectes, Belgii æque ac Parnaſſi ocellus, Janus Broukhuſius. Magna profecto nomina hæc ſunt, atque immortalitati conſecrata: ſatis beatus mihi videbor, ſi virorum doctiſſimorum veſtigia perſequi potuerim, eorumque induſtriam & ſolertiam his meis qualibuſcumque conatibus imitari. Non tamen a ſcribendo, & novis pluribus excogitandis addendiſque, aliorum me magnitudo deterruit; quod non verecundi hominis, ſed timidi atque ignavi fuiſſet. In primis autem Broukhuſii Commentarios evolvi, miram elegantiam & doctrinæ copiam ubique præferentes, iiſque ad mea locupletanda idemtidem uſus ſum; neque admirationi, neque laudibus parcens, pro ea quam adverſus viros eximios ſemper adhibui obſervantia & reverentia. Joſepho etiam Scaligero, Criticorum ſua ætate facile principi, plurimum tribui, ut par erat; niſi quod licentiam quam ſibi ſumſit vir ille doctiſſimus, contra fidem librorum manu ſcriptorum, verſus Tibulli non paucos ex una Elegia in aliam transferendi, nullo modo probare potui. Nam quod is cauſſatus fuerat, multas hujus Poetæ ſententias minus inter ſe aptas & conjunctas fore, ſi ſequamur veteres codices; quod incommodum, ſi diis placet, tranſpoſitione vitetur; ea cauſſa quam ſit levis & inanis, docere inſtitui: oſtendi enim,

nim, aut ego fallor, ſi veterum codicum ordo ſervetur, omnia perſpicua, nitida, facilia eſſe: ſi negligatur, quod jubet Scaliger, omnia impediri, perturbari, obſcurari, corrumpi. Hujuſmodi μεταθέσεις reprehenderat jampridem etiam Claudius Salmaſius in Obſervationibus ad Jus Atticum pag. ccccviii. *Nihil mutandum eſt*, inquit, *in ſcriptis auctorum ſine magna cauſſa, præcipue* ſi veterum librorum auctoritas non ſuffragetur. *Vidi multas Criticorum pares tranſpoſitiones in aliis auctoribus ſimiliter hariolantium, quos omnes falſos eſſe mihi conſtat, in Horatio, in Manilio, in Propertio* (in Tibullo, addere debuerat) *& aliis*. Quod Salmaſii rectum judicium & graviſſimum probat vir excellens Joannes Albertus Fabricius in Supplemento Bibliothecæ Latinæ pag. C. Idem fere ſentit Gerardus Joannes Voſſius in libro de Artis Poeticæ Natura & Conſtitutione, cap. xiv. *Supereſt*, inquit, *ut videamus de diſtributione Poetices: in qua non ita multum nos juvat Horatius libro de Arte ad Piſones: nec enim accurata admodum eſt ejus* οἰκονομία. *Scio, viros eruditos, ut huic vitio medeantur, alio velle ordine diſponere. Sed loquimur nunc, non quomodo illi (rectène, an ſecus, non diſputo) collocare maluiſſent: ſed quomodo* CONSTANTI OMNIUM CODICUM CONSENSU, *digeſſerit Horatius: qui epiſtolam dedit, &, quaſi per ſatiram, congeſſit præcepta compluria; de ordine autem non ita multum laboravit*. Enimvero mirari ſatis non queo quid cauſſæ fuerit, quare Broukhuſius, vir tam acri judicio, & in veterum chartarum lectione diu multumque exercitatus, commiſſum hoc Scaligeri non ſolum diſſimulaverit, ſed etiam adoptaverit: quo ſane vitio pulcherrimam ſuam Tibulli editionem & quantivis pretii (pace loquar viri præclari) non parum dedecoravit. Sed nimirum, *Quiſque ſuos patimur manes*. Me quoque olim adoleſcentem, quum primum breves illas meas Annotationes in Amorum Triumviros conſcriberem, Scaligeri auctoritas in errorem induxit. De cujus tamen viri maximi laudibus nihil detractum velim. Quod ex hoc etiam Commentario meo manifeſtum erit: nam ubicumque veritas, & merita ejus poſtulant, hominem κριτικώτατον colo, ſuſpicio, laudibus orno. Tantum enim a male-

di-

dicentia, quantum a faſtu & arrogantia me abeſſe profiteor.

Interdum autem quæ Scaliger & Broukhuſius copioſe perſecuti fuerant, contrahenda mihi & in angulum deducenda eſſe cenſui: cur enim aliorum, tantorum præſertim virorum, recte cogitatis non uterer? omnia tamen ad ſuos auctores cum fide retuli, ne in plagii crimen aut ſuſpicionem umquam inciderem. Si quid tamen in hoc genere imprudens fortaſſe peccaverim; quod multis me doctioribus, a renatis litteris, non raro accidit; rogo vos, Lectores candidi, ut humanæ naturæ memores, mihi benigne veniam detis. Neque enim omnes omnium libros ad Tibullum explicandum quoquo modo pertinentes evolvi, aut eorum inſpiciendorum fuit poteſtas, aut cuncta quæ legi tenere memoria poſſum. Propterea difficile non fuerit, ut nonnulla ab aliis prius dicta & cogitata, neſciens, & ſine dolo malo, tamquam ex mea penu in medium afferrem. De Joannis quidem Paſſeratii Commentario in Panegyricum Tibulli ad Meſſalam multa ſumſi; quæ vir ille Latinæ linguæ peritiſſimus occupaverat, & quæ nullo modo prætermitti debebant, quod ad id Carmen explanandum & illuſtrandum utilia, immo ſæpius neceſſaria eſſent. His adjecimus noſtra, & aliqua item Jani Broukhuſii ſelecta. Porro nonnumquam verba ipſa illorum recitavi, nonnumquam ſolam ſententiam ſervare libuit, eamque meis verbis efferre. Utinam ad manus meas perveniſſet διατριβὴ Chriſtophori Friderici Ayrmanni de Vita Tibulli & Meſſalæ, quam Vvitebergæ prodiiſſe anno ſæculi hujus XIX. didici ex Fabricii Bibliotheca Latina. Sed hujuſmodi tranſalpinæ merces in Italiam perraro advehuntur.

Quamquam vero ea ſupellex antiquorum codicum, qua inſtructus Broukhuſius ad Tibullum emendandum & explicandum acceſſit, mihi præſto non fuerit; non tamen ejus fructu omnino carui; quum varias lectiones ex illo theſauro depromtas, cum eruditis omnibus peculiari libello, quem Commentario ſuo adjecit, vir doctus & diligens communicaverit. Eas igitur identidem conſului: quamquam ubicumque licuit per ſtudium veritatis, judicium Broukhuſii limatum & acre ſecutus ſum. De-

di

di nihilominus & ego faſciculum variarum lectionum in Tibullum, quas ex Forojulienſi ms. Codice Guarneriano Bibliothecæ S. Danielis exſcriptas miſit mihi Utino jampridem vir eruditus & amicus *Dominicus Ongarus*, cujus erga me benevolentiam, multis & magnis beneficiis ab illo acceptis, non ſemel perſpexi. Codex eſt membranaceus in folio, ut loquuntur, elegantiſſime ſcriptus ſæculo XV. cura & ſumtibus Franciſci Guarnerii, optimorum codicum venatoris, ut ita dixerim, ſagaciſſimi, qui hujuſcemodi κειμήλια plurima congeſſit, & bono litterarum in unum locum comportavit. Si quis autem, quantus vir fuerit Guarnerius, & quanti ejus Bibliotheca æſtimanda ſit, cognoſcere cupit, legat *Diatribam Præliminarem* ANGELI MARIÆ QUIRINI, Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Brixienſis (qui noſtrum hoc ſæculum ſcriptis eximiis locupletare atque illuſtrare non deſinit) in Epiſtolas Franciſci Barbari, Patricii Veneti, cura ipſius editas, pag. CCCCVIII. ea præterea, de quibus eidem Viro principi, ante Appendicem Epiſtolarum ejuſdem Barbari, lectores monere placuit. Ceterum eas tantum lectiones in hoc faſciculo apparere volui, quibus Codex ille calamo exaratus diſfert a contextu carminum Tibulli quem Editione hac noſtra exhibemus. Sed & Poetæ noſtri monumenta videre atque evolvere mihi contigit edita anno MCCCCLXXII. ſine loci notatione; quam Editionem omnium principem Broukhuſius ignoravit, exiſtimans, editione Veneta anni MCCCCLXXV. nullam eſſe priorem. Aſpernatus autem ſum duriores quaſdam lectiones & inſolentes, tum Criticorum conjecturas leves, audaces, & parum aptas; quod Tibulli ſuavitati, ſimplicitati, elegantiæ, nitori minus convenirent: quas interdum viri docti proponere & inculcare non dubitant, de genio nimirum & charactere ſcriptoris quem illuſtrandum ſuſceperunt, minime cogitantes, & id tantummodo ſtudentes, nova & admirabilia dicere. Monui præterea non ſemel, cum pudore ac religione libris bonorum auctorum manum eſſe admovendam, neque vulgatas lectiones temere ac de nihilo ſollicitandas: & quandoquidem vetera monumenta ſana omnino & integra habere non poſſumus; nova ſaltem vul-

nera

Digitized by Google

nera iis infligenda non eſſe. In quo genere confidentiam (1) Criticorum ſæpius & majore cum periculo peccaviſſe & quotidie peccare, quam veterum librariorum inſcitiam & negligentiam, ſatis compertum eſt. Monui, emendandi, ſeu corrumpendi potius & miſere vexandi, ſcriptores optimos finem eſſe faciendum, ac tandem a Criticæ abuſu temperandum, quo Hiſtorici antiqui, Oratores, Poetæ, ita immutati ſunt, ut non cognoſcas eoſdem eſſe. Tales deinceps Commentarios conficiendos, qui abdita quæque & obſcuriora penitus referent, & clariſſima luce perfundant: id eſſe commune votum ſtudioſorum adoleſcentium; id univerſis qui litteras amant gratum & acceptum futurum. Mihi certe propoſitum fuit, Equitem hunc Romanum ita illuſtrare, ut caligine omni diſcuſſa, nihil in eo perplexum, nihil inexplicatum, quoad fieri poſſet, remaneret.

Propterea in eo totus fui, ut Latinorum verborum & locutionum quibus Tibullus utitur, proprietatem, ſententiarum ſuavitatem, inventionis varietatem, affectuum vim, colores poeticos, verſuum & numerorum artificium, quæ plerique interpretes animadvertere non ſolent, & indicarem juventuti, & commendarem. Interpretem videlicet ſcriptorum veterum, poetarum præcipue, aſtutum, callidum, experrectum eſſe oportet. An hujuſcemodi me ipſe præſtiterim, doctiores judicabunt: at præſtare certe conatus fui. Exemplis porro abundat Commentarius noſter, Tibullum confert ubique cum aliis optimis auctoribus: non deerunt qui vitio vertant, ſat ſcio: nonnulli enim faſtidiunt copiam bonarum rerum, frugi videlicet homines, jejuni, exiles, parvo contenti, a luxu litterario alieniſſimi, heroicam quamdam & caſtam paupertatem ſectati. Hi ſi aliquid ſcribere aggrediantur, anhelant ſtatim & æſtuant, ut caballus in clivo; *oſſa atque pellis ſunt miſera macritudine*. Quid iſtis quæſo facias? opes eruditionis abjicias, ut te laudent, ament, in oculis ferant? at tanti non eſt puſillis placere. Antiquos auctores in manibus habeant, legant, & ſe intelligere putent, nec tamen intelligant. Hoc genus fingere ſibi ſolet veterum Græcorum & Ro-

(1) Vide G. J. Voſſium de Arte Grammat. lib. 1. cap. 6.

Digitized by Google

Romanorum conſuetudines hodiernis ſimillimas: errant igitur ſæpiſſime, propterea quod interpretes accuratos, qui ab ipſis prolixi vocantur, numquam conſulunt: nihil enim aliis debere volunt, ſed eſſe αὐτοδίδακτοι. Tam eximiam & ſingularem felicitatem ipſis non invidemus: at nos vetere via pergimus, & nihil præclarum ſine labore effici poſſe exiſtimamus. Ovidium cum Tibullo paſſim contulimus, quem ſic plures admirantur, ut præ illo Tibullum & Propertium fere contemnant, & umbras poetarum cenſeant ſi cum Sulmonenſe illo comparentur: ignorant nihilominus, ita judicantes, conſueviſſe Ovidium, quantumvis ingenioſum, hos Elegiæ Latinæ duumviros in deliciis habere, illorum ſcrinia compilare, ex eorum rivulis puriſſimis prata ſua & hortos ubique irrigare.

Vindicias poematum quæ poemata præter Panegyricum ad Meſſalam, in quarto libro continentur, ſecundum Tibullum dedimus; neque Sulpiciæ poetriæ, que floruit Domitiani temporibus, ea tribuenda cenſuimus; quod fecerunt Barthius & Broukhuſius. Argumentis porro quæ ad id evincendum attulimus in Commentario, hoc etiam addi oportet, Domitiano regnante veterem illum & invidendum puræ Latinitatis candorem magna ex parte obſoleviſſe: iccirco tanti nitoris carmina ab illa Sulpicia vix proficiſci potuerunt. Denique Indicem dedi verborum & locutionum omnium Tibulli, qualem antea dederam ad Catullum. Verum quid induſtriam meam & diligentiam odioſe jacto? Legite, ſi libet, novum Commentarium; & innumera, ut ſpero, invenietis quæ vos legiſſe non pœnitebit. Qui frontem contrahit, nec ſibi cum tam longa ſcriptione rem eſſe vult, agat alia, & ſaltem lingua faveat, nempe de his noſtris omnino ſileat. Vos qui me diligitis & litteras, utimini, fruimini; quidquid enim hoc eſt opellæ, humanitati, moderationi, æquitati veſtræ totum libentiſſime permitto.

DE

Digitized by Google

DE VITA TIBULLI.

QUod ALBIO TIBULLO prænomen fuerit, minus compertum habemus; ſive id ſcriptores librarii olim prætermiſerint, ſive Poeta nullum geſſerit; quæ tamen res a conſuetudine Equitum Romanorum, in quibus ipſe numeratur, prorſus aliena. Honeſto & equeſtri loco natus eſt in Urbe terrarum domina, ut perantiquæ membranæ teſtantur. Petrus Crinitus & Lilius Gregorius Gyraldus, qui ante duo ſæcula Poetarum hiſtoriam perſecuti ſunt, annum Urbis conditæ DCCXI. quo A. Hirtius & C. Vibius Panſa Coſſ. prœlio Mutinenſi adverſus Antonium pro patria occubuerant, Tibullo ſimul atque Ovidio natalem fuiſſe, monumentis litterarum tradiderunt. Id porro illis perſuaſit verſus quidam pentameter, quem utriuſque poetæ codices præferunt, ubi ambo de ſui ortus tempore verba faciunt,

* *Quum cecidit fato Conſul uterque pari.*

At Joſephus Scaliger, qua erat ſagacitate, primum ſubodoratus eſt, hunc verſiculum ex Tibulli carminibus, tamquam ſpurium & aliunde ſumtum, expungi oportere; quod ni fiat, magnam temporum confuſionem oriri. Calculum adjecit Janus Douza, qui Schediaſmate ſuccidaneo ad Tibullum, manifeſto admodum oſtendit, de arca Sulmonenſis Equitis a quodam in re aliena nimis officioſo Romani hujus ſupellectilem auctam. Quod utinam humaniore ſtilo & minus obſoleto præſtitiſſet bonus ille Douza, ut quæ ſcribebat, & legi libentius, & intelligi facilius poſſent. Ego vero argumenta quibus utitur, ſummatim proferre non gravabor. Primum igitur, nullo modo Tibullus potuiſſet Meſſalam ſequi ad bellum Aquitanicum, ſtipendia merere, gnavi denique militis vicem fungi (quod ipſe de ſe narrat) (1) quindecim annos natus, vel etiam aliquanto minor: tot enim fere intercedunt ab Hirtii & Panſæ conſulatu ad Meſſalæ victoriam ac triumphum de Gallis, quem egit anno Urbis conditæ DCCXXVI. ut ex vetuſtiſſimo lapide ſatis conſtat. Deinde Ovidius libro IV. Triſtium, Elegia X. ubi, ætatis ordine ſervato, Elegiæ Latinæ ſcriptores enumerat, Gallo principem locum tribuit, alterum Tibullo, tertium Propertio, ſibi ipſe poſtremum: ex quo colligimus, Tibullum Propertio atque Ovidio natu majorem fuiſſe. Niſi quis inepte cavilletur, Naſonem ſerius ad ſcribendum appuliſſe animum; quod in poetam inge-

* Tibullus Lib. 3. Eleg. 5. Ovidius Lib. 4. Triſt. Eleg. 10.
(1) Lib. 1. Eleg. 7.

Digitized by Google

nioſiſſimum, & verſus plurimos nullo negotio fundere ſolitum, minus convenit. Huc pertinet Ode Horatii ad Albium inſcripta, (1) in qua Venuſinus poeta, ſui exemplo propoſito, Tibullum ob *Glyceræ* ſævitiam *Elegos miſerabiles decantantem*, & *ſibi juniorem* præferri *dolentem* in amore, ab animi ægritudine revocat, & ſolatur. Quod poema ſi, ut ordo carminum oſtendit, compoſitum fuit ante aliud (2) de Auguſti Actiaca victoria adverſus Antonium & Cleopatram, quam in annum conditæ Urbis DCCXXIII. incidiſſe liquet, inveniemus, dummodo communi opinioni aſſentiri velimus, Tibullum annorum vix duodecim Elegiacum poetam, Glyceræ amatorem, &, quod magis mirabile, tamquam grandævum a puella domo excluſum. Omnibus igitur fucum fecit Ovidianus ille verſiculus, Tibullo, ut ait memoratus Douza, a mala manu adſutus. His docti viri gravibus argumentis liceat mihi levius quoddam, neque tamen omnino contemnendum, addere de mea penu; ne ſcilicet ad has epulas, quod ajunt, veniam aſymbolus. Vix eſt ut credere poſſim, Ovidium Tibulli memoriæ ſtudioſiſſimum, quum animadvertiſſet, ſe natalem diem, vel ſaltem annum cum illo habere communem, qua erat præcipue diligentia in rebus vel minimis, ejuſmodi eventum ſilentio prætermiſſurum fuiſſe. Veri ſimilius itaque fuerit, æqualem Horatii Tibullum facere, id ſuadente ipſius Flacci teſtimonio, qui Epiſtola 4. Libri 1. *candidum judicem ſermonum ſuorum* eum appellare non dedignatur. Emunctæ vero naris hominem, qualis erat Horatius, jam octo luſtris vivendo exactis, ſcripta ſua accuratiſſime elucubrata, homini adoleſcenti, viginti duobus annis ipſo juniori, caſtiganda committere, jure ac merito puduiſſet. Quibus jactis fundamentis, alius error convellitur, qui jam invaluit, Tibullum videlicet in ipſo ætatis flore vita defunctum eſſe; idque propter auctoritatem Domitii Marſi, qui Romanum hunc Equitem *juvenem ad Elyſios migraviſſe*, in Epitaphio teſtatur. Hujus enim teſtimonii pondus elevari facile poteſt: quum ſciamus, (3) eos qui XLVI. ætatis annum prætergreſſi nondum forent, ex inſtituto Servii Tullii juniores appellatos: qui vero exceſſiſſent, ſeniores. Quapropter Salluſtius (4) C. Cæſarem triginta ſex annos natum quum ſummi pontificatus apicem peteret, *adoleſcentem* vocare non dubitavit. Quum igitur ex eodem Marſi Epigrammate intelligamus, paullo poſt Virgilii mortem Tibullum vivere deſiiſſe, Donatus vero ſcripſerit, Virgilium denatum C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Veſpillone Coſſ. anno Urbis conditæ DCCXXXV. ſequitur neceſſario, ſi Tibullum, ut ratio poſtulat, Horatio ſupparem facimus; cujus natalis contigit anno DCLXXXIX. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato Coſſ.; cum ultra qua-

(1) Lib. 1. Ode 33. (2) Lib. 1. Ode 37.
(3) A. Gellius lib. 10. N. A. cap. 28. (4) In Catilina, cap. 49.

Digitized by Google

quadraginta annos vitam produxiſſe. At de iſtis fortaſſe plus nimio: ad reliqua pergamus.

Patrimonium, quod peramplum habuerat, repente imminutum deflevit: ſive illud luxuriâ ſuâ ipſe prodegerit; ſive militum Cæſarianorum vi & latrocinio, quibus tum omnia vaſtabantur, peſſumdatum fuerit. Hoc alterum verum exiſtimo: Horatius enim, Epiſtolâ ſuperius memoratâ, eum laudat a frugalitate, quod opibus recte ac moderate frui ſciret: *Non tu*, inquit, *corpus eras ſine pectore. Dii tibi formam, Dii tibi divitias dederunt, artemque fruendi*. Unde etiam planum fit, Tibullum non eſſe decoctorem illum & gurgitem, de quo idem Flaccus Satyra 4. libri 1. *Nonne vides, Albi ut male vivat filius? -- -- magnum documentum ne patriam rem Perdere quis velit*. Aliud quoque argumentum affertur veræ cauſſæ paupertatis Tibulli; nempe Octavianum Cæſarem, tanti nominis principem, & de litteratorum laboribus optime meritum, ad quem laudibus ornandum reliqui poetæ undique certatim accurrebant, a Tibullo, tamquam indignum prorſus omiſſum, &, quantum in ipſo erat, oblivioni traditum: ob odium, credo, Equitis noſtri, & mœrorem quo, direptis bonis, conficiebatur. Non ideo tamen ad ſummam inopiam redactus eſt: ſed illi benigno ſemper Copia cornu ſuppeditavit unde (1) *famem deſpicere* poſſet. Ruri certe vitam agere decrevit, ubi remotus a ſtrepitu rerum urbanarum (2) *ſalubres inter ſilvas* Epicuri *reptaret, curaretque* per otium *quidquid ſapiente bonoque* maxime *dignum foret*. M. Valerii Meſſalæ Corvini, ſummi viri, triumpho Aquitanico notiſſimi, cliens & comes perpetuus fuit: quem quum in Macedoniam proficiſcentem itinere maritimo ſecutus eſſet, Corcyræ gravi morbo correptus decubuit. Quum eſſet in amores paullo proclivior, quibus etiam colendis & agitandis propter oris elegantiam factus videbatur, in primis Deliam puellam, vero nomine Plautiam, uti Appulejus (3) teſtis eſt, mire dilexit. Nemeſin deinceps, libertinæ conditionis mulierem, ut videtur; Neæram, puerumque Marathum. Sulpiciam quoque ac Cerinthum, amatorum par ſibi jucundiſſimum, carminibus celebravit. Miror autem, cur ab Ovidio duæ tantum ejus amicæ nominentur, Delia & Nemeſis; quarum alteram lecto morientis adſtitiſſe, *manuque* illius *deficiente* preſſam teſtetur. Fortaſſe (nihil enim commodius in mentem venit) ſub Lygdami & Neæræ nominibus cuipiam amicorum gratificatus eſt; non ſuis, at alienis amoribus, caſtis tamen & conjugalibus, inſerviens. Parum libenter ſe militaſſe ipſe non ſemel ſignificat: nam & Pacis cultorem ſe profitetur, diramque ſitim humani ſanguinis identidem abominatur. Macrum & Horatium poetas in familiaribus

(1) Eleg. 1. Lib. 1. (2) Horatius Epiſt. 4. Lib. 1.
(3) Apologia priore. ubi alii *Planciam*, vel *Planiam*, vel *Flaviam* legunt.

Digitized by Google

bus habuit: etiam T. Valgii, heroico verſu excellentis, honorificam mentionem facit. Ejus autem immaturus obitus Naſonis illuſtri Epicedio defletus eſt, qui matrem & ſororem ſuprema illi pietatis officia perſolviſſe ſcribit. Quanti autem Elegiæ Tibulli æſtimandæ ſint, vel ex uno Fabio Quinctiliano colligere poſſumus, qui quum *terſum* judicet *atque elegantem maxime*, ſimul ei principatum in hoc genere carminis facile tribuit. Horatius Caſſio Parmenſi præponit: Ovidius *cultum* appellat, ejuſque carmina numquam intermoritura vaticinatur. Equidem Tibullo ſuaviorem poetam, planiorem, aut magis aptum ad motus animi pingendos non invenio. Sunt quibus Panegyricus ad Meſſalam minus arrideat; nec injuria: voluit enim Auctor in illo poemate egredi gyrum ingenii ſui; adeoque nil mirum, ſi ei non ſucceſſerit.

Ex vetuſtis codicibus & editionibus.

Albius Tibullus, eques Romanus, inſignis forma cultuque corporis obſervabilis, ante alios Corvinum Meſſalam oratorem dilexit: cujus & contubernalis fuit, & Aquitanico bello militaribus donis ornatus eſt. Hic multorum judicio, & maxime Quintiliani, viri in ſtudio literarum acerrimæ licentiæ, inter elegiographos principem obtinet locum. Epiſtolæ quoque ejus amatoriæ, quamquam breves, omnino utiles ſunt. Obiit adoleſcens, tempore Virgilii, ut indicat epigramma infra ſcriptum:

Te quoque Virgilio comitem, &c.

Sed in editione omnium principe anni 1472. menſis Februarii, quam Broukhuſius ignoravit, ego vero domi ſervo, in calce poematum Tibulli hæc leguntur:

Albius tibullus eques romanus inſignis forma cultuq; corporis obſervabilis ante alios corvinū meſſalam dilexit origine Cujus etiam cōtubernalis eqtanico bello militaribus donis donatus Hic multorum iudicio principem inter elegiographos optinet locū epiſtolæ quoq; eius amatoriæ q̄q̄ breves utiles ſunt obiit adoleſcēs Vt indicat epythaphium eius

IN HAC EDITIONE PROPERTIUS ETIAM PRIMUM TYPIS EXCUSUS EST.

Ja-

Janus Broukhuſius de Gente Albia, &c.

Gentis Albiæ, hujus dico equeſtris, perexigua memoria eſt in hiſtoria Romana; nulla omnino futura, abſque noſtro poeta foret. Celebrior fuit illa conſularis, cognomento Carrenas, multis geſtis honoribus & varia fortuna inſignis. Exſtiterunt & alii Albii, ſed obſcuri illi, atque ignotiores. *Statii Albii Oppianici* infamis memoria eſt in Cluentiana Ciceronis. hinc & colonum illum novimus *Statium Albium*, hominem valentem, quo admiſſario utebatur Saſſia illa Oppianici. *Albium Sabinum* commemorat idem Tullius L. 13. ad Attic. epiſt. 14. itemque *L. Albium Sex. filium Quirina*, orat. pro Quintio. plures, ſed & his ipſis obſcuriores, ſparſim reperire eſt in antiquis Inſcriptionibus apud Gruterum ac Reineſium. Amiſit autem hic noſter eques ſuum ſibi prænomen, nulla (ut arbitror) perquiſitione iterum reperiundum. Eſt enim veroſimile, in libro illo unico, unde ceteri in Italia traduces prodierunt, literam ſingularem, quæ prænomen ſignaret, aut vetuſtate fuiſſe exeſam, aut librarios harum rerum incurioſos tamquam minime neceſſariam neglexiſſe. Niſi quis capillum promittat, ac divinando conjiciat, A, hoc eſt *Auli*, prænomen habuiſſe: atque hoc elementum ab inſequente comparis naturæ elemento vel fuiſſe abſorptum, vel potius e binis coaluiſſe in unum: complures hujus generis errores poſſe oſtendi, nec hodie quidem omnes ſublatos. ſic Noctium Atticarum inluſtrem ſcriptorem Agellium dici, qui ſit A. Gellius. ſic factum fuiſſe Tampium ex T. Ampio, apud Ciceronem L. 6. ad famil. epiſt. 12. itemque Svettium, qui S. Vettius fuerit, L. 13. ad Attic. ep. 12. ſic ejuſdem operis L. 6. epiſt. 2. recte nunc legi, virtute Petri Victorii *vetabat autem Auli lex, jus dici de ita ſumta pecunia*, ex monſtroſa ſcriptura *vetabat autem Alexius*. ſic legem *P. Ennii* apud Feſtum Pompejum perhiberi, quæ ſit lex *Penni*. ſic tribunum *Cælium* vocari, qui fuerit *C. Ælius*, apud Macrobium L. 6. Saturn. C. 3. Hæc, inquam, & plura his ſimilia ſi quis divinarit, reſpondebo, mihi non liquere.

& inferius:

Epiſtolæ, quas commemorat Vitæ ſcriptor, ſoluto ſermone fuiſſe ſcriptæ videntur, quum ab Elegiis aperte ſejungantur. Nullo enim jure brevia illa poematia, quæ ſolent in quartum librum conjici, pro his ipſis Epiſtolis accepit Barthius L. 3. Adv. C. 6. quamquam deinde, mutata mente, Sulpiciæ Caleni dedit, L. 59. C. 16. ſed de his in loco non incurioſe diſputabitur.

CLA-

Digitized by Google

CLARORUM ALIQUOT VIRORUM DE

ALBIO TIBULLO

TESTIMONIA ET JUDICIA,

Magnam partem a Jano Broukhuſio collecta.

Q. Horatius Flaccus Ode 33. Lib. 1.

ALBI, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ, neu miſerabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Læſa præniteat fide.

Idem Epiſt. 4. Lib. 1.

ALBI, noſtrorum ſermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat? &c

Paullo poſt:

Non tu corpus eras ſine pectore. Dî tibi formam,
Dî tibi divitias dederunt, artemque fruendi.

P. Ovidius Naſo Lib. 3. Amorum Eleg. 9.

Memnona ſi mater, mater ploravit Achillen,
Et tangunt magnas triſtia fata deas:
Flebilis indignos, Elegeïa, ſolve capillos:
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama, TIBULLUS
Ardet in exſtructo, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert everſamque pharetram,
Et fractos arcus, & ſine luce facem.
Aſpice, demiſſis ut eat miſerabilis alis;
Pectoraque infeſta tundat aperta manu.
Excipiunt ſparſi lacrimas per colla capilli,
Oraque ſingultu concutiente ſonant.
Fratris in Æneæ ſic illum funere dicunt
Egreſſum tectis, pulcher Iüle, tuis.
Nec minus eſt confuſa Venus, moriente TIBULLO,
Quam juveni rupit quum ferus inguen aper.

At

At ſacri vates, & divûm cura vocamur:
  Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat:
  Omnibus obſcuras injicit illa manus.
Quid pater Iſmario, quid mater, profuit Orpheo?
  Carmine quid victas obſtupuiſſe feras?
Ælinon in ſilvis idem pater, Ælinon, altis
  Dicitur invita concinuiſſe lyra.
Adjice Mæoniden, a quo, ceu fonte perenni,
  Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque ſumma dies nigro ſubmerſit Averno;
  Diffugiunt avidos carmina ſola rogos.
Durat opus vatum, Trojani fama laboris,
  Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemeſis longum, ſic Delia, nomen habebunt;
  Altera, cura recens, altera, primus amor.
Quid vos ſacra juvant? quid nunc Ægyptia proſunt
  Siſtra? quid in vacuo ſecubuiſſe toro?
Quum rapiant mala fata bonos, (ignoſcite faſſo)
  Sollicitor nullos eſſe putare deos.
Vive pius; moriere pius. cole ſacra; colentem
  Mors tamen a templis in cava buſta trahet.
Carminibus confide bonis. jacet ecce Tibullus.
  Vix manet e tanto parva quod urna capit.
Te ne, ſacer vates, flammæ rapuere rogales;
  Pectoribus paſci nec timuere tuis?
Aurea ſanctorum potuiſſent templa deorum
  Urere, quæ tantum ſuſtinuere nefas.
Avertit vultus, Erycis quæ poſſidet arces.
  Sunt quoque, qui lacrimas continuiſſe negent.
Sed tamen hoc melius, quam ſi Phæacia tellus
  Ignotum vili ſuppoſuiſſet humo.
Hic certe madidos fugientis preſſit ocellos
  Mater; & in cineres ultima dona tulit.
Hic ſoror in partem miſera cum matre doloris
  Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis ſua junxerunt Nemeſiſque, priorque
  Oſcula: nec ſolos deſtituere rogos.
Delia diſcedens, Felicius, inquit, amata
  Sum tibi: vixiſti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemeſis, Quid ais? tibi ſint mea damna dolori?
  Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen e nobis aliquid, niſi nomen & umbra,
  Reſtat; in Elyſia valle Tibullus erit.
Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
  Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque (ſi falſum eſt temerati crimen amici)
  Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.

His

Digitized by Google

His comes umbra tua eſt; ſi quid modo corporis umbra eſt.
  Auxiſti numeros, culte TIBULLE, pios.
Oſſa quieta, precor, tuta requieſcite in urna:
  Et ſit humus cineri non oneroſa tuo.

Idem Lib. I. Amor. Eleg. 15.

Donec erunt ignes arcuſque Cupidinis arma,
  Diſcentur numeri, culte TIBULLE, tui.

Idem Lib. 3. Artis Amatoriæ v. 333.

Et teneri poſſis carmen legiſſe Properti:
  Sive aliquid Galli, ſive, Tibulle, tuum.

Idem Remed. Amoris v. 763.

Carmina quis potuit tuto legiſſe TIBULLI,
  Vel tua, cujus opus Cynthia ſola fuit?

Idem Lib. 2. Triſtium v. 447.

* *Credere* juranti *durum* putat *eſſe* TIBULLUS;
  Sic etiam de ſe quod *neget* illa *viro*.
Fallere *cuſtodem* demum *docuiſſe* fatetur;
  Seque *ſua* miſerum *nunc* ait *arte premi*.
Sæpe, *velut gemmam* dominæ *ſignumve probaret;*
  Per cauſſam meminit ſe tetigiſſe manum.
Utque refert, *digitis* ſæpe eſt *nutuque* locutus,
  Et tacitam *menſæ duxit in orbe notam.*
Et quibus e *ſuccis abeat* de corpore *livor*
  Impreſſo fieri qui ſolet ore, docet.
Denique ab *incauto* nimium petit ille marito,
  Se quoque uti *ſervet*; *peccet ut illa minus*.
Scit cui latretur, quum *ſolus* obambulat ille:
  Cur toties clauſas *exſcreet ante fores*.
Multaque dat talis furti præcepta: docetque
  Qua nuptæ poſſint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi; legiturque TIBULLUS,
  Et placet, & jam te Principe notus erat.

Idem Lib. 4. Triſtium, Eleg. 10.

Virgilium vidi tantum: nec avara TIBULLO
  Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Succeſſor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi.
  Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.

Idem

* *Hæc omnia, paullo tamen diverſa, leguntur apud ipſum* Tibullum *Eleg. 6. Lib.* 1.

P. Ovidius Naſo Lib. 5. *Triſtium*, *Eleg.* 1.

Delicias ſi quis laſcivaque carmina quærit;
Præmoneo numquam ſcripta quod iſta legat.
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
Aptior, ingenium come, Tibullus erit.

Domitius Marſus.

Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors juvenem campos miſit ad Elyſios.
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

C. Vellejus Paterculus Lib. 2. *Hiſt. cap.* 36.

Pæne ſtultum eſt inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maxime noſtri ævi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriuſque, & conſecutus Salluſtium Livius, Tibullusque & Naſo, perfectiſſimi in forma operis ſui.

M. Fabius Quinctilianus Lib. 10. *Inſtit. Orat. cap.* 1.

Elegia Græcos quoque provocamus, cujus mihi terſus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus.

P. Papinius Statius Lib. 1. *Silv.* 2. *v.* 252.

Hunc ipſe choro plaudente Philetas,
Callimachuſque ſenex, Umbroque Propertius antro,
Ambiſſent laudare diem, nec triſtis in ipſis
Naſo Tomis, diveſque foco lucente Tibullus.

M. Valerius Martialis Lib. 4. *Epigr.* 6.

Qui compoſitos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos.

Idem Lib. 8. *Epigr.* 70.

Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

Idem Lib. eodem Epigr. 73.

Fama eſt arguti *Nemeſis* formoſa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.

Digitized by Google

Idem Lib. 14. *Epigr.* 72.

Uſſit amatorem *Nemeſis* laſciva TIBULLUM,
* *In tota juvit* quem *nihil eſſe domo*.

L. Appulejus Apologia.

Accuſent . . . . . . & TIBULLUM, quod ei ſit Plautia in animo, *Delia* in verſu.

C. Sollius Sidonius Apollinaris Carm. 9.

Non Getulicus hic tibi legetur,
Non Marſus, Pedo, Silius, TIBULLUS.

Idem ad Heſperium.

Memineris quod ſæpe verſum complevit *Delia* cum TIBULLO.

Diomedes Grammaticus Lib. 3. *cap.* 6.

Quod genus carminis (*Elegiam*) præcipue ſcripſerunt apud Romanos Propertius & TIBULLUS, imitati Græcos Callimachum & Euphorionem.

Joannes Baptiſta Pius Annot. poſter. cap. 115.

Princeps Elegorum poetarum eſt dubio procul ALBIUS TIBULLUS, quia vere, non diſſimulanter aut obnoxie amantem agit: modo ſuperbit, modo ſupplicat, annuit, renuit, minatur, intercedit, dedignatur, devovet, orat, inconſtans eſt, quod voluit non vult, quod optavit refugit, ſecum diffidens, ut in vera Cupidinis rota illum circumagi credas. Non deeſt tamen in tanto lepôre verborum ſuus nitor, & reconditarum rerum cognitio.

Angelus Politianus Nutric. v. 539.

Ut terſi memorat pia Muſa TIBULLI,
Muſa ſibi primos quæ jure adſciſcit honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
Solvat, & ambiguam faciat certamine palmam.

Lilius Gregorius Gyraldus de Poetarum Hiſtoria Dialogo 5.

Connumeratus quoque eſt inter poetas Nerva Cæſar Imperator; quod & Plinius in Epiſtolis oſtendit. Sunt qui hunc ipſum Nervam Coccejum eſſe exiſtiment, qui puer quum eſſet, a carminis dulcedine, TIBULLI nomine vocaretur.

Bar-

* *Vide* TIBULLUM *Eleg.* 5. *lib.* 1. *v.* 30.

Digitized by Google

Bartholomæus Riccius lib. 1. de Imitatione.

Catullum, TIBULLUM, Lucretium, Horatium, Maronem, tantum abeſt ut boni omnes non magnopere laudent, ut eos etiam nullo fine ſuſpiciant, mirentur, colant.

Idem eodem libro, paullo poſt.

Primum autem locum in Elegia TIBULLUM ſcribendi ſuavitate ſibi vindicare putamus. neque ſit nunc qui illi aut Ovidium, aut Propertium conferat. quorum uterque omnino quaſdam Elegias conſcripſit quæ admodum non contemnantur. in ceteris vero, quarum longe major eſt numerus, alter aut ſe juſto demiſſius agit, aut ita quum numeri tum verborum nullo prorſus dilectu habito verſus pangit, ut ſæpius quicquid in buccam in carmen conjiciat: alter vero, aut rei difficultate, aut numero quodam aſperiore paullo horridior habetur. Quum in TIBULLO pæne lectiſſima omnia, & propterea etiam facillima legantur, cadantque ita ejus numeri leniter, ut magis concinne cadere non poſſint: ac, in quo primam laudem acquirit Elegia, hic ita apte vagetur, itaque compoſite diverſa connectat, ut in re multiplici, ac pervaria, integrum tamen ac perpetuum, quam longum eſt, filum exſiſtat. Quod Franciſcus Molſa planiſſime ſenſit, qui ad hujus imaginem optime omnium verſus faciebat.

Julius Cæſar Scaliger lib. 6. Poetices cap. 7.

Facilius e TIBULLI locis expediemus cenſuram noſtram. Uniformis ille pæne totus eſt, vixque diſcedens ab ſe ipſo eodem pæne gyro concluditur. Audis enim caſas, focos, rura, nemora, *præla*, ſpicas, ſacra tum ſæpe, tum multum. Omnium vero cultiſſimus, nec redundans in Elegia.

Voces præla *&* prælum *in Tibulli carminibus nuſquam occurrunt. Hoc autem Julii Scaligeri μνημονικὸν ἁμάρτημα oſtendere poteſt, quæ fides moroſo illi cenſori a ſtudioſis adoleſcentibus habenda ſit, qui poetas de quibus ſententiam laturus erat, tam oſcitanter legebat.*

Joachimus Camerarius in Elementis Rhetoricæ.

Ego vero quoties TIBULLI carmina lego, nihil amplius requiro neque venuſtatis, neque elegantiæ: doctrinam autem & eruditionem admiror. Omnia arte ſtudioque ſummo elimata mihi videntur: itaque in maxima facilitate, illa tamen cura elaborationis & diligentiæ conſpicitur. Verba optima, ſententiæ exquiſitæ, compoſitio omnibus, ut ajunt, numeris perfecta. Ex quo neceſſe eſt hoc conſequatur, carmina ut ſint & canora, & ſplendida, & concinna.

Hadrianus Turnebus lib. 16. Adverſ. cap. 19.

TIBULLUS, ille politus ſuaviſque poeta, & quidam Phœbeus olor, in quo ſincerus eſſe videtur & ingenuus Latini ſermonis ſapor, nullo peregrino vitiatus fucco.

Digitized by Google

Jacobus Sannazarius Eleg. 1. lib. 2.

Battiaden docti ſectatur Muſa Propertî:
Flaccus Pindaricos dividit aure modos.
Paſſeris exſequias fracto canit ore Catullus:
Tu Nemeſin laudas, culte TIBULLE, tuam.

Juſtus Lipſius lib. 1. Var. Lect. cap. 21.

TIBULLUS elegans cumprimis poeta, & in cujus puriſſimis ſcriptis nativa quædam & vernacula Latinæ linguæ munditia relucet.

Iſaacus Caſaubonus Lection. Theocritic. cap. 17.

Conferant autem ſtudioſi poeticarum amœnitatum Idyllium hoc cum poetæ cultiſſimi TIBULLI Elegia quarta, libro primo. Nam illa videntur ad Theocriti imitationem dicta:

Carmine purpurea eſt Niſi coma: carmina ni ſint,
Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.

Franciſcus Modius Silv. Carm. 15. ex perſona Tibulli.

Ut Cidnus nullas ſordes, nitidiſſimus amnis,
Volvit, & a limo purus ubique fluit:
Sic mea, Romanas inter caſtiſſima Muſas,
Undique nativo culta decore nitet.
Ergo aliæ placeant ornatu trans mare ſumto:
Noſtra ſuo, & patrio ſi placet una, ſat eſt.

Andreas Schottus lib. 1. Nodor. Ciceron. cap. 7.

TIBULLUS autem elegans Latini ſermonis poeta.

Idem ibidem cap. 8.

Priuſquam poetam de manibus depono, operam illi demus, ut mutuum præſtent. Eſt enim purus & elegans, bonuſque Latinitatis auctor TIBULLUS, Eques & ipſe Romanus, qua tempeſtate, ut hodieque, nobilium quam plebejorum cultior ac politior ſermo fuit.

Idem Obſervat. Human. lib. 2. cap. 13.

Scitus & elegans tum in verbis, tum in numeris TIBULLUS: ſed qui e Græcis pleraque fontibus expreſſerit.

Caſpar

Digitized by Google

Caſpar Barthius lib. 4. Adverſ. cap. 11.

Et quis melior TIBULLO expoſitor, quam TIBULLUS? qui tot ſeculis parem non habuit, ac ne imitatorem quidem, quem ſane noſtra ſecula legant? Et ſæpiſſime miratus ſum hoc fatum Romanæ Elegiæ, & floruiſſe & defloruiſſe una ætate Amatoriam ejus Venerem, quantum quidem ad nos pertinet: nam Martialis & Papinii ætate, quod ex ipſis & Plinio etiam Juniore conſtat, talia non pauci ſcripſerunt. Verum cum ipſis fere omnibus & hi & ſequentis ævi interierunt.

Vincenzo Gravina nel Diſcorſo delle Favole antiche.

TIBULLO è pieno di ſoavità, di grazia, di tenerezza, di paſſione, di purità, e d' eleganza, tanto nel numero quanto nelle parole, maraviglioſa, e perfetta.

Petrus Lotichius Secundus.

Talis in Aonidum patria, ſilviſque beatis,
  Perfluit æternus ſancta vireta liquor.
Illic largifluas vatum chorus omnis ad undas
  Inter odoratum ludit amatque nemus.
At myrti vacua ſolus gemit unus in umbra,
  Quem circum lacrimis omnia plena madent.
Hunc quondam facilem pharetrato ſemper Amori
  Ipſa Venus campos duxit in Elyſios.
Hoc duce carpe viam. Sed enim tu mente pudica,
  Caſte puer, caſtis carmina finge modis.
Ipſe quidem, nec vera nego, Sulmonis aquoſi
  Ad Muſas propius monſtrat alumnus iter:
Sed tantum ſuperat facundi Muſa TIBULLI,
  Quantum voce alias Daulias ales aves.

René le Pays, dans ſes oeuvres nouvelles T. 2. aprés avoir parlé d' Horace.

Deux autres Muſes, ſoeurs des premieres, veſcurent a meſme temps, & charmerent tous les eſprits par leur douceur. Ce furent celles de TIBULLE & de Properce, qui acquirent tant de gloire à chanter les beautez de Delie & de Cynthie. Ces deux poetes galands eurent pour amis les plus honneſtes gens de leur ſiecle. TIBULLE ayant le corps auſſi beau que l'eſprit, avoit une diſpoſition heureuſe à gagner le coeur de tout le monde: & quoyque Properce ne fût pas ſi beau garçon, il n'eſtoit pas moins aimé de tous ceux qui aimoient le vray merite. Que cette Cynthie eſtoit heureuſe d' avoir un amant ſi tendre, & qui ſçavoit ſi bien expliquer ſa tendreſſe! Et que cette Delie a eu de gloire d' eſtre aimée d' un homme, qui pouvoit apprendre à toute la poſterité combien elle eſtoit aimable!

Le Pere René Rapin, dans ſes Reflexions ſur la Poëtique.

TIBULLE eſtant d' ailleurs ſi exact, ſi elegant & ſi poly dans ſes Elegies, ne le paroiſt pas fort dans ſon Panegyrique de Meſſala: tant il eſt difficile de bien louer.

VA-

Digitized by Google

VARIÆ LECTIONES

IN TIBULLUM

Ex Ms. Codice Guarneriano Bibliothecæ S. Danielis.

Codex eſt membranaceus in folio elegantiſſime ſcriptus Sæculo XV.

Lib. I. Eleg. I.

v. 12. *florida* ſerta
19. Vos quoque *felices* quondam, nunc pauperis *agri* Cuſtodes
22. hoſtia *parva*
23. Agna cadet *nobis*, quam circum *myſtica* pubes
24. *Clamat*: io
29. tenuiſſe *ludentes*
48. *igne* juvante
49. *ſim* dives jure
50. triſtes ferre poteſt *pluvias*.
54. *exiles proferat* exuvias.
59. *Et* ſpectem
60. *Et* teneam
64. *Juncta*, nec
71. *neque* amare
73. frangere *poſſes*
78. *Vites* deſpiciam

Lib. I. Eleg. II.

Conqueritur, quod janua ſit clauſa, & ad Januam, atque Amaſiam multis utitur blanditiis.

v. 3. *percuſſo* tempora
7. difficilis *dominæ*
14. *florida* ſerta
19. *decedere* lecto
20. verba *jocis* (in marg.) alius *notis*.
23. Nec *decet* (hoc verbo utitur etiam ſuperius v. 19.
24. Nec vetat obſcura (ſequitur unus hexameter,
En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe
33. femina *fiat*
35. *Nec* ſtrepitu
47. Jam *tener*
71. *ſi* tecum
72. & in *ſolito* paſcere monte pecus
77. Nam neque *tunc* plumæ
78. ducere *poſſet*

(ſtatim ſequuntur viginti verſus, qui in editis (*nempe in editionibus quæ Joſephi Scaligeri tranſpoſitiones admittunt*) conſtituunt poſtremam partem Elegiæ 5. lib. 1. ubi dabimus variantes lectiones.

Id quidem pollicitus eſt V.C. qui Guarnerianum codicem inſpexit: verum eæ lectiones dicto loco non comparent.

Lib. I. Eleg. III.

Ad Meſſalam. Conqueritur quod apud Phæacas ægrotet. Laudat ætatem primam; & tandem ſe ducendum ad Elyſios Campos.

v. 4. mors *modo nigra* manus.
9. Delia non uſquam, *&* quæ me*cum* mitteret
12. *omnia* certa
14. *Cum* fleret
17. aves *dant omnia*
21. invito *neu* quis
29. *Ut* mea votivas .... voces
37. pinus *contexerat*
71. *Tunc* niger
73. Illic *&* *juveni* tentare
91. *Nunc* mihi

Lib. I. Eleg. IV.

Ad Priapum de amoribus Puerorum, & execratur pecuniam pro venere petentes.

v. 1. *Hic* umbroſa
8. *ſit* mihi falce
15. Sed *ne te* capiant
33. Vidi jam juvenem
36. Formæ non *illam*
37. Solis eſt *Baccho, Phœboque Juventus* 40.

Digitized by Google

40. *Credas;* obſequio
44. Venturam *amiciat*
48. Aut *opera*
53. Tunc *mihi* .... *rapiat cum*
55. Rapta *dabis* .... poſt *effert* .... *roganti*
56. implicuiſſe *velit*
59. *Jam tu*, qui venerem
81. quam *Marathus lento*

LIB. I. ELEG. V.

Conqueritur, quod cum pro amaſia vota fecerit, alter ipſam teneat. & quod ruſticaturus ſit eum Delia. Nec vino, nec alia venere potuerit amori mederi. Et demum lænam & prætia depoſcentes execeratur.

v. 2. gloria *fortis*
6. Magnificum *poſt hæc*
16. Vota novem *Cræmæ*
28. Pro ſegete & ſpicas
30. *Adjuvet* in tota
32. *detrahat* arboribus.
42. Et pudet, & narrat
45. Nereis *quæ* Pelea
73. mox *inde*

LIB. I. ELEG. VI.

Conqueritur ad amorem, quod Delia amet, & virum admonet, quod ſibi non credat; & laudat Deliæ matrem.

v. 3. an gloria magna *eſt*
5. *Nam* mihi
18. cubet *laſſo*
21. *Exhibuit* quam ſæpe
46. Flammam, non & *amans*
47. ſuos *cecidit* .... *violata*
50. dea magna *movet*
53. *Attigerit*
64. *Si* modo fas
70. *Poſſum* ego
71. peccaſſe *putat ducorque*
72. Immerito *proprias proripiorque*
84. *quod* ſit acerba

LIB. I. ELEG. VII.

Gratulatio de victoria Meſſalæ contra Aquitanos.

v. 4. victus *Atax*
9. *tua bella* Pyrene
11. Teſtis *Arax*
21. cum *fundit*
42. *cuſpide* pulſa
57. Nec *taceat*
61. Te *canit*

LIB. I. ELEG. VIII.

Conqueritur de Pholoe dilecta a Marato, exhortans eam ad concubitum cum puero Marato.

v. 1. Non ego celare *poſſum*
2. *ferat* mihi *lævia*
11. ſplendente *comas*
15. *Illa* placet
35. *invenit* puero *concumbere*
36. Dum *timet*
39. gemmæque *juvant*
41. ſeroque *juventus*
43. *tunc* mutatur
51. non illi *ſemita*
61. Quid *poſſunt*

LIB. I. ELEG. IX.

Dilecti Pueri fidem prætio corruptam conqueritur, multa devovens in eum.

v. 19. *O vitiis captus*. *f.*
23. *fas* ſit
35. Illis *eriperet*
36. *fulminis* ire
39. Quid *faciam*
48. *Et* me nunc
65. *Ac* tua
81. At tua *dum*

LIB. I. ELEG. X.

Deteſtatur bella laudans ætatem primam, & pacem.

v. 3. *tum* prœlia
4. *Tum* brevior
5. *An* nihil
21. ſeu quis *libaverit*
23. liba *ipſa* ferebat
39. *Quin* potius
49. Pace *nitens vomer viderit*
60. e cælo *diripit*

Albii Tibulli Poetæ illuſtris liber primus explicit.

IN-

INCIPIT SECUNDUS.

De agri luſtratione ; & Venerem invocandam.

v. 1. Quiſquis *adeſt*, valeat
9. Omnia *ſunt* operata
11. *diſcedat* ab aris
12. *Cui* tulit
41. *primi* docuiſſe
49. apis *ingerat*
50. Compleat &
56. *ducit* ab arte *thoros*.
73. detraxit *opus*
82. ardentes *hic precor*
88. fulva *thoro*
89. tacitus *fulvis*

LIB. II. ELEG. II.

Ad Cornutum de votivo ſacrificio ſui natalis.

9. Annuat & *Cornute*

LIB. II. ELEG. III.

De Puella in agro poſita conqueritur ad Cornutum, & quod puellæ divitibus prætio delectentur.

v. 1. Rura meam, *Cornute*, tenent
3. Ipſa Venus *latos*
5. O ego cum *aſpicerem dominam*
10. Læderet &
11. Pavit & *armenti*
Poſt verſum 14. hoc tetraſtichon legitur:

Ipſe deus ſolitus ſtabulis expellere vaccas,
Ipſe ad umbroſas ducere fertur aquas;
Et miſcere novo docuiſſe coagula lacte,
Lacteus & mixtus obriguiſſe liquor.

18. Dicitur *occumbens*
61. *A* tibi dura *ſeges*
71. *Tunc* quibus
73. excluſura *dolentes*
Poſt verſum 74. hæc leguntur:

Mos precor ille redi patienter rurſus ut olim
Horrida villoſa corpora veſte tegant.
Nunc ſi clauſa mea eſt, ſi copia rara videndi
Heu miſerum laxam quid juvet eſſe togam.

LIB. II. ELEG. IV.

Conqueritur de Nemeſi, & quod ſit amoris vinculis innodatus, quodque non proſint Muſæ ; ſed præmia poſcat Amaſia. & poſcentes præmia execratur.

v. 1. *Sic* mihi ſervitium
10. Nauſraga quam *vitrei*
22. *Nec* jaceam
33. cuſtodia *incerta* eſt
59. Si *non* me

LIB. II. ELEG. V.

Invocatio Phœbi, & ejus laudes.

v. 18. *quos* canat
35. *Illaque* ſæpe gregis ..... *ditis*
Poſt verſum 38. incipit in MS. nova Elegia: Impiger Ænea, &c.

Sibillæ vaticinium de Ænea, & urbe Roma ſignaque ventura erant. & lauri pronoſtica & ſeſta palilia reſert. Demum Nemeſi ſe recomendat.

50. * condita *longe*
62. tam *longam* .... *viam*.
64. *Noſcar*, & æternum
66. *fuſas* & caput ante *comas*.
67. quidquid *Marpeja*
68. *Heriphile* Phœbo
69. *Quodque Albana*
72. Multus & in .... *depuleritque*
77. fudiſſe *repentes*
83. Laurus *ubi*
84. *Diſſentes* ſpicis
87. *Ac* madidus
92. Oſcula *compreſſis*
95. Tunc & *operta* deo
96. umbra *cadit*
99. feſtas *exſtruat*
108. dedit *iſta*
109. *taceo* cum ſaucius
110. * cum *dedit* ipſe dolor.
111. *Uſque* cano Nemeſim
116. victa *ferent*

LIB.

LIB. II. ELEG. VI.

Se amore in militia (*ſic*) profectus (*ſic*); rogat Nemeſim, & deteſtatur lænam, cui nomen erat Phirne.

v. 19.
Jam data fuiſſem leto: *ſed credula vitam*
Spes fovet, & *fore eras ſemper ait melius*.
30. *Si* bene
34. Et mea cum *multo facta*
45. miſerum *Phirne*
49. ubi *nox mihi promiſſa eſt*

LIBER EXPLICIT SECUNDUS INCIPIT TERTIUS.

ELEG. I.

Ad Neeram Amaſiam ſuam.

v. 12. littera facta *tuum*
15. *Parvos* Auctores
21. Sed primum *meritam*
28. *Auferat* extincto

LIB. III. ELEG. II.

De amore diſcidio (*ſic*) conqueritur nomine Ligdami & optat funeri ſuo intereſſe Neeram, & ejuſdem Ligdami Epitaphium.

v. 10. oſſa *ſupra*
18. veſte *legent*
19. annoſo *ſpargent*

LIB. III. ELEG. III.

Ad Neeram.

v. 7. *ſociarent* gaudia
20. *Invida quæ* falſo
24. *Et* ſine te

LIB. III. ELEG. IV.

De viſione ſomnii, in quo ſibi de Neera Phœbus vaticinatus eſt.

v. 1. nec ſint *mihi ſomnia* vera
2. Quæ tulit *heſterna pexima* (fortaſſe *peſſima*)
28. Stillabat *tyrio*
31. *Et* juveni
33. *Et* cum
50. *Quid*que Deus
66. verbera *poſſe* pati.
69. Tunc ego *non* cithara
81. defluxit *corpore*
89. *ſubmixta* figuram
96. *impia* ferre

LIB. III. ELEG. V.

De ſe ægrotante.

v. 4. remittit *humus*.
7. temeranda *Deorum*
10. *certa* venena
11. Nec nos *ſacrilegis* templis *amovimus* ægros
13. *inſanæ* ..... jurgia *mentis*

LIB. III. ELEG. VI.

Alloquitur Bacchum, & demum vertitur ad Neeram.

v. 23. Quales his pœnas *Deus hic*, *quantum*que
Statim ſequitur in Codice:
De Neera, quæ de Amaſio conqueritur.
Et incipit nova Elegia.
33. *Si* mihi difficile eſt
41. doctus, *minorque* Catullus
45. Nec *vox*, aut capiant
63. Jamdudum *tyrio*

Hanc Elegiam ſex verſus continuo ſequuntur in Codice Guarneriano, qui conſtituunt Carmen XII. libri IV.
Ne tibi ſit mea lux &c.

Lib. IV. Carmen I.

Nulla in Codice inſcriptio novi libri.

v. 1. quamquam *mea* cognita
2. infirmæ *valeant*
19. in *immenſo deſederit aere* tellus
22. *Hinc & contextus*
27. Hoc tibi *non* tanto..... *carmine*
55. *Non* valuit *Cyclops*
66. *Seu* ſupra
68. diſcurreret *undis*
69. Præteriitque *erta* (in marg.) al. *cita*
71. impetus *orbe*
78. Finis & *errorum*
91. *Et* quis eqnum
96. illac *grandis* venit impetus
110. Teſtis & *arpinis*
112. Inter hunc verſum & ſequentem legitur alius, quem Critici merito nothum cenſent:
Namque ſenex longæ peragit dum ſæcula vitæ.
140. lympha *Dyaſpes*
141. dementia *Cidnus*
142. *Creteis .... unda cariſtina campis.*
165. interque *rigentem*
176. Ergo ubi *præclaros poſcent*
185. Horrea *fecundis indeficientia menſis*
189. Cum memor *ancitus* ſemper dolor *admonet* annos
195. denſis vel ſolus
200. Poſſe Meletheas mallem *dimittere* chartas
205. *fato* properat mihi

Carmen II.

Laus Sulpitiæ ad Deum Martem.

v. 19. de litore *gemmas*
v. 23. multos *hoc ſumet*

Carmen III.

Sulpitia ad Cherintum de venatione dimittenda.

v. 3. in *pectore* dentes
20. *tange* manu

Carmen IV.

Ad Phœbum pro Cherinto.

Carmen V.

Ad Cherintum de ejus natali, atque amore, & demum Oratio ad Venerem.

v. 1. Eſt qui te *Cherinte* dies
3. Pareæ cecinere *Puellæ*
4. & *dederant*
10. ille *valet*

Carmen VI.

Ad Junonem recomendatio Puellæ.

v. 3. *ter* ſe lætiſſima
5. *orandi* cauſas
7. ne *nos* divellat

Carmen VII.

Gratulatio ad Venerem de amoris obtentu

Carmen VIII.

Sulpitia Meſſalæ.

v. 4. Atque *Aretino*

Carmen IX.

Ad Torratum de natali die.

v. 2. *non ſinet* eſſe

Carmen X.

De Sulpitia.

v. 3. *Sit* tibi cura *togæ* potior
6. Ne *credam* ignoto maxima *cauſa* toro.

Carmen XI.

Ad Cherintum.

v. 6. Noſtra *poteſt læto* pectore ferre mala. (ſequitur ſtatim Carmen XII.
v. 1. *Nec* tibi ſim
2. Ac *videas*

CAR-

Carmen XIII.

Alloquitur Puellam, & Amaſiam innominatam.

v. 8. *ipſe* ſinu
16. eſt *tibi* magna
17. pignora *credo*
23. *confidam* vinctus

Carmen XIV.

Tetraſticon de infamia ſuæ Puellæ.

v. 3. *facta* dolore
Poſtea ſequitur Epitaphium Tibulli:
Te quoque Virgilio comitem, &c.

Albil Tibulli Poetæ illuſtris liber explicit felicìter.

Albius Tibullus eques regalis, inſignis forma, cultuque, corpore obſervabilis ante alios Corvinum Meſſalam originem dilexit, cujus etiam contubernalis Aquitanico bello militaribus donis donatus eſt. Hic multorum judicio princeps (*ſic*) inter Elegiographos obtinet locum. Epiſtolæ quoque ejus amatoriæ, quamquam breves, omnino utiles ſunt. Obiit Adoleſcens, ut indicat Epigramma ſupraſcriptum.

Digitized by Google

CLEMENTIS SIBILLIATI,

In Seminario Patavino Græcæ & Latinæ
Humanitatis Præceptoris,

AD VIRUM CELEBERRIMUM

JO. ANTONIUM VULPIUM

In Gymnaſio Patavino Græcarum & Latinarum
Litterarum Profeſſorem,

ELEGIA.

QUALIS, *ubi patulis tepidum ver naribus efflant,*
Impurumque abigunt aera Solis equi,
Flexilis obliquo erumpens telluris hiatu,
Qua prius obſtrictum frigore clauſit hiems,
Antiquos coluber cum pellibus exuit annos:
Oſtentanſque novas corporis exuvias
Arduus ad Solem lætanti ſibilat ore;
(Quem non lætanti percipit aure puer:)
Haud ſecus annorum victor ſub luminis auras,
Ornatus ſpoliis, culte TIBULLE, *novis*
Alite felici prodis, cui VULPIUS *auctor*
Nativum mira vindicat arte decus.
Quis tam blanda tibi afflavit, divine poeta,
Carmina? non Phœbus, non Amor ille fuit.
Siſteret hoc Phœbus fugientem carmine Daphnen:
Protinus ac fieret dulcis, amarus Amor.
Per te ſpirat adhuc in vivis DELIA *chartis,*
Et NEMESIS *pulchra pulchrior eſt Helene.*

Per

Digitized by Google

Per te das miſero præcepta magiſter amanti
Infeſtæ terror falce PRIAPUS *avis.*

Oppoſita quem ſæpe manu riſere puellæ,
Rara eſt per digitos qua via facta oculis.

Quin ſtridorque rotæ, hinnituſque auditur equorum,
Dum MESSALÆ *avida carmen in aure ſonat.*

Quo, lyra, quo, mellita, loco, quave arbore pendens
Elicis incertos flamine tacta modos?

Quid loquor ah demens? te nunc tenet alter ab illo,
Et celer impoſitis temperat articulis

VULPIUS*; occultum* AGLAIES *ſeu narret amorem,*
Seu tua pro PHOLOE *fervida vota,* LYCON.

Seu (a) PETRI *laudes, tribuant cui Neſtoris annos*
Dii, quoniam dederunt Neſtoris ingenium.

Dulcius o quis te, VULPI, *dum extremus oberrat*
Spiritus in mœſto gutture, cantat olor?

Teſtis qui, vocis captus dulcedine, ab urna
MEDOACUS *ſolitas fundere ceſſat aquas.*

Vidi ego, dum caneres, errantem hæc mœnia circum
(b) FLACCI *umbram immotos ſuſtinuiſſe pedes,*

Qualis hians rorem ſub lumine matutino
Humidulum ore bibit lucida concha maris.

Vive diu felix, quoſque immatura TIBULLO
Olim præripuit, det tibi Parca dies.

GUL-

(*a*) PETRUS GRIMANUS, Dux inclytus Venetiarum, Vir in quo cum honore eximio eximia animi ornamenta conjuncta ſunt.

(*b*) C. VALERIUS FLACCUS, ſcriptor Argonauticon, Poeta Patavinus.

*Gulielmus*que (a) *tuus feliciter exigat ævum,*
In ſua qui Tuſcas ſcrinia vectat opes.

Vive diu; Aoniique volentibus ardua montis
Ire juga incertum lux tua ſignet iter.

Qualis Abydeno, tacita dum noctis in umbra
Feſſa per obſtantes brachia jactat aquas,

Suſpenderis tremulum turris de vertice lychnum,
Monſtrabat dubiam Seſta puella viam.

Improbe Amor, ſi talis amans eget indice flamma,
Accenſam præfert quid tua dextra facem?

(a) Gullielmus Camposamperius, Nobilis Patavinus, & Academicus della Crusca, qui mirificam domi ſuæ Hetruſcorum librorum Bibliothecam inſtruxit, idemque me ac Vulpium ſumma benevolentia complectitur.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. Fra Lorenzo Filippi*, *Inquiſitor Generale del Santo Officio di Padova*, nel libro intitolato: *Albius Tibullus, Eques Romanus, & in eum Jo. Antonii Vulpii, Philologi ac Rhetoris in Gymnaſio Patavino, Novus Commentarius diligentiſſimus*, non eſſere coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino Stampatore in Padova*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Maggio 1748.

(Barbon Moroſini Cav. Proc. Riſ.
(Marco Foſcarini Cav. Proc. Riſ.

Regiſtrato in Libro a carte 26. al Num. 204.

Michel Angelo Marino Segr.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBIUS
TIBULLUS;
ET IN EUM
JO. ANTONII VULPII
COMMENTARIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALBII * TIBULLI

EQUITIS ROMANI

ELEGIARUM LIBRI IV.

ET IN EOS

JOANNIS ANTONII VULPII

Commentarius.

*TIBULLI] Cognomen hoc derivatum videtur a *Tibius*, quod nomen fuit ſervile in Comœdia Græcorum, teſte Luciano in Timone, ac Gerardo Joanne Voſſio Inſtitut. Poetic. lib. 2. cap. 24. Ita vero ſormatur a Tibio Tibullus, quemadmodum a Fabio Fabullus, a Lucio Lucullus, a Mario Marullus, a Tertio Tertullus, a Catio Catullus, & reliqua ſimilia. Vide ſis Annotationes noſtras ad Carmen I. C. Valerii Catulli. Quod indicat, Tibulli majores peregrinæ ac ſervilis, ſortaſſe Phrygiæ, conditionis ſuiſſe: nam τιβία, ἡ ἔλη Φρυγία Suidæ. Neſcio quem Flaccum Tibullum memorat Fulgentius in libello De Antiquo Sermone, verbo *capularis: Flaccus Tibullus Melæne Comœdia: Tune amare audes, edentule & capularis ſenex?* Ubi Codd. nonnulli MSS. legunt, *in Helenæ Comœdia*.

Digitized by Google

ALBII TIBULLI

LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

DIVITIAS alius fulvo ſibi congerat auro,
Et teneat culti jugera magna ſoli.

Quem

ARGUMENTUM ELEGIÆ I. LIBRI I.

Ait, ſe ruri, dum vixerit, perpetuo futurum, &, opum cupiditate poſthabita, in amoribus Deliæ ſuaviter moriturum.

VERSU I. *fulvo ſ. c. auro*] Petronius Arbiter in poemate De Bello Civili, v. 5.

Si qua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum, Hoſtis erat.

De fulvo colore ita Fronto apud Gellium Noct. Attic. lib. 2. cap. 26. *Fulvus autem* (color) *videtur de ruſo atque viridi mixtus in aliis plus viridis, in aliis plus ruſi habere: ſicut poeta verborum diligentiſſimus*, fulvam aquilam *dicit*, & jaſpidem, fulvos galeros, fulvum aurum, & arenam fulvam, & fulvum leonem; *ſic Q. Ennius in Annalibus* ære fulvo *dixit*. Auri colorem pulchre deſcribit Plato in Timæo: *μονοειδὲς γένος, στίλβοντι καὶ ξανθῷ χρώματι κοινωθὲν, τιμαλφέστατον κτῆμα χρυσός. Uniforme genus, coruſcanti & flavo colore permixtum, honorificentiſſima poſſeſſio aurum*. Serranus *τὸ στίλβοντι* male vertit *pellucido*.

ibidem. *Divitias ſ. congerat auro*] *Dives aurum* poeta noſter vocavit Elegia 9. hujus libri:

Tunc mihi jurabat, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem.

Et rurſus Eleg. 3. lib. 3.

Nam grave quid prodeſt pondus mihi divitis auri?

quod præcipue in auri poſſeſſione divitiæ conſiſtant. Anacreon vero Ode 23. memorat *πλοῦτον χρυσοῦ*. *Congerere aurum* dixerunt alii boni ſcriptores. Ovidius Epiſt. Helenæ v. 224.

Congeſtoque auri pondere dives ero.

Seneca Herc. Fur. 166.

Hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians,
Et congeſto pauper in auro eſt.

Silius Italicus Punicorum lib. 8. 677.

Congeſto, læva quodcumque avellitur, auro
Metitur Latias victrix Carthago ruinas.

v. 2. *jugera magna*] Reſpondet illud Phocylidis v. 149.

Εἰ δὲ γεωπονίην μεθέπειν, μακραί τε ἄρουραι.
Si vero agriculturam ſectari velis, patent *lati campi*.

Animadverterat olim Achilles Statius ad hunc locum Tibulli, veteres auctores, quum incidiſſet mentio jugerum, ea potius dixiſſe *multa*, quam *magna*. Puto ego, propterea quod certa fuit jugeri magnitudo; neque aliud magnum, aliud parvum. Liquet id ex verbis Varronis lib. 1. de R. R. *Verſum dicunt*,

Digitized by Google

Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte,
Martia cui ſomnos claſſica pulſa fugent.

Me

cunt, centum pedes quoquoverſum quadratum. Jugerum, quod quadratos duos actus habeat. Actus quadratus, qui & latus eſt pedes centum viginti, & longus totidem. is modius, ac mina Latine appellatur. En, latitudo jugeri fuit pedum CCXL. & longitudo totidem. Omnia igitur jugera æqualia. *Multa* hoc loco poetæ noſtri legit etiam Salmaſius, De Modo Uſurarum cap. 3. Invidioſum ſane fuit apud Romanos, definitum quemdam jugerum modum poſſidendo excedere. Florus Epitome Liviana lib. 6. *Lata eſt altera lex, ne cui plus quingentis jugeribus agri liceret poſſidere.* Idem Epitome lib. 7. *Licinius Stolo lege ab ipſo lata damnatus eſt, quod plus quingentis jugeribus agri poſſideret.* Nihilominus quum plures codd. & editio princeps anni 1472. præferant *magna*; exiſtimavi, ab hac lectione temere non diſcedendum. Poteſt enim eſſe ἐπίθετον *perpetuum*.

Tibullus porro in hoc primo diſticho operis ſui (quod animadvertit memoratus Salmaſius) duplex divitiarum genus ſignificare voluit, nempe illas quæ parantur fœnore, & quæ redeunt ex fundis. Ita Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 13. & Epiſt. ad Piſones v. 421.

Dives agris, dives poſitis in fænore nummis.

hoc eſt, ut Græci loquuntur, ἐγγείῳ οὐσίᾳ, ἢ ἀργυρείῳ ἰδίῳ δεδανεισμένῳ. Seneca pariter Troadibus v. 1017.

Tolle felices, removeto multo
Divites auro, removeto, centum
Rura qui ſcindunt opulenta bubus;
Pauperi ſurgent animi jacentes.

Et antiquorum felix æmulator Petrarcha, in Triumpho Divinitatis:

Che vi fa ir ſuperbi, oro, e terreno.

v. 3. *labor aſſiduus*] Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 4.

O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.

Trebellius Pollio in Lolliano: *Deinde a ſuis militibus, quod in labore nimius eſſet, occiſus eſt.* Scilicet, quod eos aſſiduis, & numquam intermiſſis laboribus exerceret.

ibid. *vicino hoſte*] Vel qui non longe caſtra poſuit, vel qui loca finitima incolit. Romani enim ad imperii fines, tamquam in excubiis, legiones ſtatuebant, adverſus barbarorum inſidias, & vim apertam.

ibid. *terreat*] Amicus quidam meus doctiſſimus conjiciebat olim legendum *torreat*; nimirum pro *urat*. Sicuti Propertius Eleg. 3. lib. 4.

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?

Aut, quod verius judico, ob itinerum laborem, ob ardentes Solis radios, quos in expeditionibus milites oportet excipere. Favet huic conjecturæ locus Livii pulcherrimus lib. 44. Hiſt. *Nihil intereſt, utrum militem, quem nec viæ labor hodie, neque operis fatigaverit, ... arma capere jubeas: an longo itinere fatigatum, & onere feſſum .... torrentem meridiano Sole hoſti objicias recenti?* Huc pertinet illud M. Tullii lib. 2. Tuſc. Diſput. *Quum varices ſecabantur C. Mario, dolebat: quum æſtu magno ducebat agmen, laborabat.* Profecto laboris magis proprium eſt *torrere*, quam *terrere*. Nihil tamen invitis codicibus mutandum. terror enim commode referri poteſt ad militem trepide laborantem, ob hoſtem vicinum.

v. 4. *ſomnos c. p. fugent*] P. Syrus:

Metus quum venit, rarum habet ſomnus locum.

Contra Levitici cap. 26. v. 6. *Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat.*

ibid. *claſſica pulſa*] Horatius de commodis agricolæ Epodo 2.

Nec excitatur claſſico miles truci.

Silius Italicus lib. 15. v. 48.

Haud umquam trepidos abrumpet buccina ſomnos.

Seneca pater Controverſia 8. lib. 2. *Quouſque in duro caſtrorum jacebis cubiculo? quouſque ſomnum claſſico rumpes?* Filius vero, Stoice, ſuo more, Epiſt. 51. *Quid ni malit, quiſquis vir eſt, ſomnum ſuum claſſico, quam ſymphonia rumpi?* Cur claſſicum caneretur, ſignum pugnæ ineundæ, admodum luculente explicat Cæſar lib. 3. de Bello Civili c. 92. *Eſt quædam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus, quæ ſtudio pugnæ*

incen-

Digitized by Google

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.

Ipſe

incenditur. Haac non reprimere, ſed augere imperatores debent. Neque fruſtra antiquitus inſtitutum eſt, ut ſigna undique concinerent, clamoremque univerſi tollerent: quibus rebus & hoſtes terreri, & ſuos iacitari exiſtimaverunt.

v. 5. *Me mea*] Syllabarum ſimilium concurſum in fine vocis antecedentis, & principio ſequentis adeo non refugerunt veteres poetæ, ut etiam datâ operâ quæſiſſe videantur. Ex innumeris pauca, ſed iosignia proferemus. L. Columella libro de Cultu Hortorum, v. 225.

ME MEA Calliope cura leviore vagaatem
Jam revocat.

Noſter Eleg. 3. hujus primi libri:

Preſſerat exterNA NAvita merce ratem.

Et hac eadem Elegia quam explicamus:

facili grandia poMA MAnu.

Propertius lib. 3. Eleg. 9.

Jura dare ſtatuas inter & arMA MAri.

Catullus Carm. 15.

Verum a te meTUO, TUOque pene.

Virgilius lib. 1. Georgic. v. 74.

Unde prius lætum ſiliQUA QUAſſaate legumen.

Idem lib. 1. Æneidos v. 703.

QuinquagINTa INTus famulæ.

Idem lib. 5. Æneid. v. 71. bis in eodem verſu: *& cingiTE TEmpoRA RAmis*. Idem Copâ:

Copa SyriſCA CAput Grajâ rediMITA MITellâ.

Horatius Epodo 2. *Jam jam futuRUS RUSticus.*

Ovidius Epiſt. Penelopes: *TroJA JAcet certe.*

Idem lib. 3. Artis Amat. v. 315.

Res eſt blaada canor. diſCANT CANTare puellæ.

Idem lib. 8. Metamorph. v. 334.

ConcaVA VAllis erat.

In calce vero magni operis:

Quum volet, illa dies quæ nil niſi corporis hnJUS
JUS habet, incerti ſpatinm mihi finiat ævi.

Idem lib. 1. Amor. Eleg. 4.

Purpureas tenero pollice tanGE GEnas.

Perſius pariter Sat. 5. v. 151. *IndulGE GEnio.*

Manilius Aſtronom. lib. 4. v. 174.

DulcibUS USuris æQUO QUOque tempora vendit.

Valerius Flaccus lib. 5. v. 374.

Regiaa, attonito quamquam pavOR ORe ſilentem Exaaimet.

Silius Italicus lib. 5. v. 343.

Invenere locum perſOSSIS OSSIbus haſtæ.

Idem lib. 7. v. 721.

Jam ſibiMET METuens.

Martialis lib. 11. Fpig. 104.

POST OSTia ſervi.

Hunc tamen ſonum videtur evitare voluiſſe auctor veteris Epigrammatis de Zmyrna Cinnæ, & Craſſitio ejus poematis interprete, apud Suetonium in libello de Illuſtribus Grammaticis cap. 18. Sic eoim ille:

Intima cui ſoli nota ſua exſtiterint.

poterat enim hic verſus ita conſtrui:

Cui ſoli exſtiterINT INTima nota ſua.

quod ſane duriuſculum fuiſſet. Neque poetis tantum, ſed & aliis ſcriptoribus ſimilia vel exciderunt, vel placuerunt. Cicero initio libri 1. de Oratore: *Maximæ MOLES MOLEStiarum.* Idem lib. 1. de Offic. *Quaſi pleniORE ORE laudamus.* & inferius: *Ita tætra quædam, ita obſcæna, ut dictu quoque videanTUR TURpia.* quum tamen poſſet, *turpia videantur*; quæ clauſula Ciceroni frequens. Idem lib. 3. ad Attic. Epiſt. 15. *ME, MEos MEis tradidi inimicis.* Livius lib. 3. *ConSUL SULpicius.* Juſtinus pariter Hiſt. Trogi lib. 4. cap. 1. *Spiritu cum igne INTER INTERiora luctaate.* Quinctilianus lib. 10. Inſt. Orat. cap. 2. *Nec conTRA TRAgœdia ſocco ingreditur.* Sed illud Suetonii duriſſimum Nerone cap. 35. *FruSTRA STRAngulare meditatus*; niſi rem ipſam ſono vocis exprimere voluit. Vide Fridericum Taubmannum ad lib. 2. Æneid. Virg. v. 27. & ad Menæchmos Plauti a. 3.53. vide etiam, ſi placet, Commentarium noſtrum ad Satyr. 10. Juvenalis v. 1.

v. 5. *paupertas*] Differt paupertas ab egeſtate, ac mendicitate. Aliquando enim ſignificat mediocritatem, ut hoc loco Tibulli; qui quum prius locuples fuiſſet, ac deinde magnam rei familiaris jacturam feciſſet, nunc ſe pauperem appellat. Martialis

Digitized by Google

Ipſe ſeram teneras maturo tempore vites
Ruſticus, & facili grandia poma manu.

Nec

lis lib. 11. Epigr. 32.

Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

Et tamen illi ipſi quibus non deerat unde vitam parce ac duriter tolerare poſſent, dicebantur *nihil habere*. Juvenalis Sat. 3. v. 208. εἰρωνικῶς:

Nil habuit Codrus. quis enim negat? & tamen illud
Perdidit infelix totum nil.

ibid. *vitæ inerti*] Somno, otio, deſidiæ. Qui enim diteſcere minus curant, ſupervacuo labori parcere ſolent. Horatius Sat. 6. lib. 2. v. 61.

Nunc veterum libris, nunc ſomno & inertibus horis
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ.

Avari contra vigilant, diluculo ſurgunt, ne quis diligentior lucra ipſorum intercipiat. Perſius Sat. 5. v. 132.

Mane piger ſtertis: Surge, inquit Avaritia: eja
Surge. negas. inſtat, Surge, inquit. Non queo. Surge.
Et quid agam? Rogitas? ſaperdas advehe Ponto,
Caſtoreum, ſtuppas, hebenum, tus, lubrica Coa.

ibid. *traducat*] Ita Cicero lib. 1. de Invent. *Ut homines a conſuetudine ſubito converteret, & ad diverſas rationes vitæ traduceret.* Idem Epiſt. 5. lib. 1. *Animos a minore cura ad ſummum timorem traduceret.* Illud Terentii non diſſimile Prologo Phormionis: *Retrahere ab ſtudio, & transdere hominem in otium.* Idem vero caſum tertium adhibuit Hecyra 1. 1. 94. quemadmodum Tibullus: *Atque huic tranſtulit amorem.* nempe, ad hanc.

v. 6. *aſſiduo igne*] Ita recte Broukhuſius, fidem codicum ſecutus; non, *exiguo*. Neque aliter hunc verſum recitat Auctor additus Cenſorino de Die Natali, cap. 14. Scilicet aſſiduus ignis opponitur aſſiduo labori militum, de quo ſuperius. *Focum perennem* appellat Martialis Epigr. 47. lib. 10. Iccirco Statius Papinius lib. 1. Silv. Carm. 2. v. 255. *diveſque foco lucente Tibullus.* Adde quod ignis in foco ſemper accenſus incolumitatem familiæ ſignificabat: nam in luctu cum exſtinguebant. Vide Kirchmannum de Funeribus Romanorum lib. 4. cap. 11.

ibid. *luceat igne focus*] Ovidius Epiſt. Canaces v. 104.

Ut meus ex iſto luceat igne rogus.

Ingens autem lignorum ſtrues congeſta & accenſa lucere focum facit, ſeu late ſplendere. Quod igni exiguo minus convenit. Martialis lib. 3. Epigr. 58.

Et larga feſtos lucet ad Lares ſilva.

Notum eſt, Larium ſimulacra in foco ſita fuiſſe. Idem lib. 10. Epigr. 96.

tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.

D. Lucas pariter in Evangelio, cap. 22. v. 55. & 56. Ἁψάντων δὲ πῦρ ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς, καὶ συγκαθισάντων αὐτῶν, ἐκάθητο ὁ Πέτρος ἐν μέσῳ αὐτῶν. Ἰδοῦσα δὲ αὐτὸν παιδίσκη καθήμενον πρὸς τὸ ΦΩΣ. κ. τ. λ.

Homerus etiam in quodam Epigrammate:

Αἰθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.
Et lucente domus multo eſt auguſtior igne.

Eidem vero poetæ Odyſſeæ lib. 6. v. 305. Arete, uxor Alcinoi, ἧσται ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν πυρὸς αὐγῇ, *ſedet ad focum in ignis ſplendore.* Hinc *lucere* & *relucere*, de incendiis uſurpant poetæ. Virgilius 2. Æneid. v. 312.

Sigea igni freta lata relucent. Seneca Thyeſte v. 182. — — — *jam tuis flammis agros Lucere, & urbes decuit.* vide mihi Broukhuſium, qui hunc locum Tibulli in Commentario ſuo copioſe illuſtrat.

v. 7. *Ipſe*] Ego ipſe αὐτουργός, abſque vinitoris miniſterio. Italice: *Io di man propria.* Hoc pronomen vim ſimilem habet apud Virgilium, & Ovidium. Prior Ecloga 3. v. 76.

Phyllida mitte mihi: meus eſt natalis, Iola:
Quum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

Alter Epiſt. Penelopes:

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe.
Nil mihi reſcribas ut tamen: ipſe veni.

Ipſe utrobique valet quod Italicum, *tu in perſona*. Horatius quoque eodem pacto uſurpat Epiſt. 18. v. ult.

Det vitam, det opes: æquum mi animum ipſe parabo.

nempe, ſine Jovis auxilio.

v. 8.

Digitized by Google

Nec Spes deſtituat, ſed frugum ſemper acervos
Præbeat, & pleno pinguia muſta lacu.

Nam

v. 8. *Ruſticus*] Subaudi *quaſi*, *tamquam*, *non ſecus ac*; quod reticetur eleganter. Sic Horatius Epiſt. 2. lib. 1. v. 41. -- -- *vivendi qui recte prorogat horam*, *Ruſticus exſpectat dum defluat amnis*. Idem Epodo 2. *Neque excitatur claſſico miles truci*. h. e. ut miles excitari ſolet. Idem Ode 8. lib. 3. *Parce privatus nimium cavere*. nempe, quaſi privatus, ἰδιώτης γινόμενος. Virgilius 1. Æneidos v. 318. de Venere, quæ figuram mutaverat -- -- -- *habilemque humeris ſuſpenderat arcum Venatrix*. i. e. facta venatrix, more venatricis. Græci pariter. Anacreon Ode 20. ἢ παῖς ποτ' ὄρνις ἔπτη Πανδίονος χελιδών. *Et filia olim avis volavit Pandionis*, *hirundo*. nempe, ut mos eſt avium. Quod fortaſſe imitatus eſt Propertius lib. 2. Eleg. 23. Edit. Broukh.

Denique ut ad Trojæ tecta volâris avis.

loquitur de Jove in aquilam verſo, ut raperet Ganymedem.

ibid. *facili manu*] Vel peritâ, cui opus ideo facilius eſt; vel quæ domino ſuo minuit ſumtum, quum ipſe laboret. Nam vilia & parabilia, quæ Græci vocant εὐτελῆ, facilia etiam dicebantur. Virgilius Ecloga 3. v. 38. dixit *torno facili*.

Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis.

ibid. *grandia poma*] Solent agricolæ præſtantiſſima quæque ad ſationem ſeligere, ne rerum ſpecies deteriores fiant. Virgil. Ecloga 5. v. 36.

Grandia ſæpe quibus mandavimus hordea ſulcis.

Cauſſam vero affert Georg. lib. 1. v. 197.

Vidi lecta diu, & multo ſpectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret.

Idemque præcipiunt rei ruſticæ ſcriptores. Varro lib. 1. cap. 52. *Quæ ſeges grandiſſima atque optima fuerit, ſeorſum in aream ſecerni oportet ſpicas, ut ſemen optimum habeat*. L. Columella lib. 2. cap. 19. *Optimam quamque ſpicam legere oportet, ſeparatimque ex ea ſemen reponere*. Grandia vero *poma* Tibullus dixit, pro *ſemina grandium pomorum*, vel *ſurculos lectos arborum grandia poma parientium*.

v. 9. *Nec Spes deſtituat*] Spes Romanis Dea fuit, & plura fana Romæ habuit, de quibus vide Broukhuſium. Præcipue autem colebatur ab agricolis: nam, ut ait noſter lib. 2. Eleg. 6.

Spes alit agricolas: Spes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

ibid. *deſtituat*] *Deſtituere* ac *deſerere*, proprie ſignificant defodere, collocare, pangere ac plantare ſignum aliquod vel arborem, deinde fixam in eo loco relinquere, atque abire. Unde κατ' ἀναλογίαν hæc verba ſignificare cœperunt quod Itali dicimus *abbandonare*, *laſciare ſenza difeſa od ajuto*. Varro priore ſignificatione lib. 1. de R. R. cap. 20. *Novellos quum quis emerit juvencos, ſi eorum colla in furcas deſtitutas incluſerit*. Plautus item Rudente 3. 5. 43. *Ita duo deſtituit ſigna hic cum clavis ſenex*.

ibid. *ſed frugum ſemper acervos Præbeat*] Hinc Spes apud Boiſſardum T. 4. Antiquitatum fingitur mulier ſtolata ſpicas quinque ſiniſtra geſtans cum duobus papaverum capitibus. Varro lib. 1. de R. R. cap. 48. *Spica autem, quam ruſtici, ut acceperunt antiquitus, vocant ſpecam, a ſpe videtur nominata. eam enim quod ſperant fore, ſerunt*. Paria legere eſt apud eumdem lib. 4. de Lingua Latina.

v. 10. *pinguia muſta*] Turbulenta ſcilicet & craſſa, donec bulliendo defæcentur. Ita locutus Manilius lib. 3. v. 153.

Aut repetat Bacchum per pinguia muſta fluentem.

vide & v. 663. Columella pariter de Cultu Hortorum v. 432.

Exſudent pingui ſpumantia dolia muſto.

ibid. *lacu*] Nimirum amplo vaſe, quo muſtum ex uvis expreſſum recipitur. Noſter lib. 2. Eleg. 5. v. 85.

Oblitus & muſto feriet pede ruſticus uvas,
Dolia dum, magni deficiantque lacus.

v. 11

Digitized by Google

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

Er

v. 11. *Nam veneror*] Cauſſam affert, propter quam oporteat ipſi Spem propitiam eſſe; quod ſcilicet eam, ceteroſque deos agricolas veneretur atque adoret, ubicumque in eorum ſigna inciderit. *Venerari* accipitur interdum pro *precari*. Horatius Sat. 2. lib. 2. v. 124

At venerata Ceres, ut culmo ſurgeret alto,
Explicuit vino contracta ſeria frontis.

Propertius lib. 2. Eleg. 20.

Nec tu ſupplicibus me ſis venerata tabellis.

Ceterum, mirum eſt, Tibullum tantam erga deos pietatem, immo ſuperſtitionem jactare, qui Epicureus videtur fuiſſe. Novimus autem, Epicuri diſcipulos religionem, ac vulgares de diis opiniones contemſiſſe. Horatius profecto Epiſt. 4. lib. 1. ad Albium Tibullum ſcripta, id non obſcure ſignificat:

Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſsi Parmenſis opuſcula vincat?
An tacitum ſilvas inter reptare ſalubres,
Curantem quidquid dignum ſapiente bonoque eſt?

Silvæ ſalubres, hic ſunt horti & nemora, in quibus philoſophabatur Epicurus, vir quieti ac voluptati deditus. Eo reſpexit Virgilius quoque initio Ceiris, cultiſſimi poematii:

Etſi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius ſuaves exſpirans hortulus auras
Florentis ſophia viridi complectitur umbra.

Nam & Maro Scirone Epicureo præceptore uſus fuit. Epicuri decreta imperante Auguſto, Romæ in pretio ac deliciis erant. Mirari autem deſinet inconſtantiam Tibulli, qui illud Ciceronis legerit lib. 1. de Nat. Deorum: *Novi ego Epicureos omnia ſigilla venerantes*. Hæc verba Tullii huic loco Tibulli examuſſim conveniunt. Impiorum levitatem notavit & Samuel Puffendorffius de Jure Naturæ & Gentium, lib. 3. cap. 4. §. 6. Verum Andreas Dacerius, vir ingenio & doctrina præſtans, in Commentario Gallico quantivis pretii ad Epiſtolas Horatii, confidenter pronuntiat, errare illos qui exiſtiment, ab Horatio, loco memorato, Tibullum Epicureis annumerari. Negat ſiquidem, ſcriptores antiquos Epicureis umquam ſilvas tribuiſſe, quemadmodum Academicis, ſed hortos tantum, unde philoſophi illi vocati fuerint τυρανόκηποι: ſed ipſe, ejus pace dixerim, egregie fallitur. Silvæ enim, ſeu nemora uſurpantur interdum a veteribus Latinis pro hortis & viridariis, aut ſaltem partes hortorum fuerunt; neque ruri tantum, ſed in urbe quoque. Teſtem produco eumdem Horatium Epiſt. 10. lib. 1. v. 22.

Nempe inter varias nutritur ſilva columnas,
Laudaturque domus longos quæ proſpicit agros.

Et Ode 10. lib. 3.

Audis quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulchra ſatum tecta remugiat?

Sed & noſter Eleg. 3. lib. 3. memorat *nemora in domibus*. Qui hortos igitur tribuerunt Epicureis, tribuerunt & ſilvas.

v. 11. *ſtipes deſertus in agris*] Nempe Terminus, quem pro deo colebant. Ovidius lib. 2. Faſt. v. 641.

Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis ſic quoque numen habes.

Hujuſmodi lapides & ſtipites ungi & coronari ſolebant a ſuperſtitioſis hominibus: coronæ vero in ipſis relictæ alios ad ſimilia officia præſtanda provocabant. Juvenalis Sat. 16. v. 38.

Et ſacrum effodit medio de limite ſaxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.

De hoc more plura dixerunt ſuperiores Tibulli interpretes.

ibid. *deſertus in agris*] Defixus, deſtitutus, defoſſus, & poſtea ibi relictus. Tὸ enim *deſertus* utramque ſignificationem habet. Sic apud Italos *piantare* ſignificat *defigere*, & *derelinquere*. Dicimus: *Ei m' ha*

B *pian-*

Digitized by Google

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deo.

Fla-

piantato, id eſt, *ei m' ha abbandonato*. Dicebant & *deſitus*, a *deſero*, quod eſt *plnnto*. Varro de R. R. lib. 1. cap. 23. *Deſitis ſeminibus, in ordinemque arbuſculis poſitis*. Vide quæ annotavimus ad v. 9. hujus Elegiæ.

v. 12. *florea ſerta*] Ita recte plures codices. Nonnulli tamen præferunt *florida*, quibuſcum facit Editio princeps A. 1472.

v. 13. *quodcumque pomum*] Servius ad illud Ecl. 2. Virgilii, Caſtaneaſque nuces: *Bene ſpeciem addidit, diceus* caſtaneas. *Nam* nuces, *generaliter dicuntur omnia tecta corio duriore: ut avellanæ, amygdala, juglandes, caſtaneæ: ſicut contra dicuntur* poma, *omnia molliora*. Nihilominus *pomum* interdum uſurpatur de cujuſcumque arboris fructu. Apud Ovidium certe Nux ita loquitur, v. 5.

Nil ego peccnvi: niſi ſi peccare vocetur,
Annua cultori poma referre ſuo.

Scitum & argutum eſt quod narrat Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 6. *Lapidatus n populo Vatinius, quum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut ædiles edicerent ne quis in arenam niſi pomum miſiſſe vellet. forte bis diebus Caſcellius conſultus a quodam an nux pinen pomum eſſet, reſpondit: Si in Vntinium miſſurus es, pomum eſt*. Martialis extra jocum Epigr. 25. lib. 13. nuces pineas *poma Cybeles* appellare non dubitat; pinus enim Cybelæ ſacra erat.

Poma ſumus Cybeles: procul hinc diſcede, viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruinn caput.

Niſi forte jocus hic latet: potuit enim quum hæc ſcriberet Hiſpanus poeta, reſponſum Caſcellii J. C. in mente habere. Videtur & Virgilius juniperi baccas, & caſtaneas poma vocaviſſe Ecl. 7. v. 53.

Stant & juniperi, & caſtaneæ hirſutæ:
Strata jacent paſſim ſua quaque ſub arbore poma.

ibid. *novus annus*] Novum anni tempus, puta ver, aut æſtas nondum adulta: tunc enim creſcunt fœtus arborum. Ita dicebant *ver novum*, primam ſcilicet veris partem. Virgil. 1. Georg. v. 43.

Vere novo, gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe glæba reſolvit.

ad quem locum vide Servium. Auctor Pervigilii Veneris v. 2.

Ver novum, ver jam canorum eſt, vere natus orbis eſt.

Sic *novum & veterem Solem* dixit Ovidius Faſtorum lib. 1. v. 163.

Bruma novi prima eſt, veteriſque noviſſima Solis.

Idem poeta lib. eodem v. 149. *novum annum* vocavit menſem Januarium, vulgari ſcilicet appellatione:

Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?

Deinceps pluribus diſputat, concluditque v. 160. ver eſſe proprie novitatem anni:

Hæc anni novitas jure vocanda fuit.

Optima ſunt quæ huc contulit Janus Broukhuſius. Addo ego, ultimam hiemis partem dictam fuiſſe a Virgilio lib. 3. Georg. v. 304. *extremum annum:*

-- -- -- extremoque inrorat Aquarius anno.

ibid. *educat*] *Pomorum educationes* Saturno auctori tributas memorat Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 7. Catullus Carm. 19.

Uva pampineâ rubens educata ſub umbrâ.

Cicero lib. 5. de Finibus: *Earum etiam rerum quas terra gignit, educatio*. Seneca Epigram. quodam in Corſicam, ubi exſulabat:

Non poma autumnus, ſegetes non educat æſtas.

v. 14. *Libatum*] Primitias fructuum intellige, quæ diis offerebantur. Plinius lib. 18. N. H. cap. 2. *Ac ne degustabant quidem* (veteres Romani) *novas fruges, antequam ſacerdotes primitias libaſſent*. Cenſorinus de D. N. cap. 1. *Quum perceperant fruges, antequam veſcerentur, diis libare inſtituerunt*.

ibid. *agricolæ deo*] Deo cuilibet agriculturæ præſidi, & agricolarum cuſtodi. Qui plures omnino fuerunt. Propterea Ovidius Elegia de Nuce v. 9. extulit numero multitudinis:

Quum

Digitized by Google

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſæva falce Priapus aves.

Vos

Quum domini memores ſertis ornare ſolebant
Agricolas fructu proveniente deos.

Et lib. 8. Metamorph. v. 276.

Cœptus ab agricolis ſuperos pervenit ad omnes
Invidioſus honos.

Nempe a diis agrorum cultui præfectis. Codices aliqui, teſte Achille Statio, habent *agricolam deum*. Vide Broukhuſii Commentarium.

ibid. *ponitur ante deo*] Catullus eodem pacto Carm. 19.

Florido mihi ponitur picta vere corolla.

Et Epigr. 20. in Priapejis:

Hæc quæcumque tibi poſui vernacula poma.

v. 15. *corona Spicea*] Propterea Ceres a Græcis vocata σταχυοστέφανος, & σταχυοπλόκαμος. Auctor liberi Carm. Epigr. 53.

Magnaque fecundis quum meſſibus area deſit,
In Cereris crines una corona datur.

Fratres arvales idem inſigne ſibi ſumſerunt. A. Gellius lib. 6. N. A. cap. 7. *Ex eo tempore collegium manſit fratrum arvalium numero duodecim. Cujus ſacerdotii inſigne eſt ſpicea corona, & albæ infulæ.*

v. 15. *tibi ſit*] ὑπάκουον data. Quod expreſſit Catullus Carm. 106.

Lingua exſecta avido ſit data vulturio.

Noſter ita locutus etiam lib. 4. Carm. 6.

Tota tibi eſt hodie; tibi ſe lætiſſima compſit.

tibi eſt; nempe dedita, conſecrata.

v. 17. *pomoſis in hortis*] Horti pomoſi Tibullo ſunt pomaria, nempe loca fructiferis arboribus conſita. Certe in Obſcœnis Luſibus Epigr. 73. θεὸς ille κηπευτικὸς, vocatur *Pomarii tutela diligens.*

ibid. *ruber Priapus*] Faciem dei cuſtodis hortorum, vel etiam totum ſimulacrum, minio ſeu rubrica pingere ſolebant veteres. Carmen Priapejum poetæ noſtro a quibuſdam tributum:

Placet, Priape? qui ſub arboris coma
Soles ſacrum revincte pampino caput
Ruber ſedere cum rubente faſcino.

Diis etiam aliis agreſtibus rubentem vultum, ſeu πρόσωπον αἰθόμενον, affingebant, Pani præcipue, qui mundi ſeu cæli σύμβολον fuit. Virgilius Ecl. 10. v. 26.

Pan deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

Immo interdum & cælitibus univerſis. Vide Interpretes ad verba Horatii Ode 3. l. 3.

Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

ibid. *cuſtos ponatur*] Noſter Elegia ſequenti, v. 5.

Nam poſita eſt noſtræ cuſtodia ſæva puellæ.

Propertius autem lib. 2. Eleg. 6.

Quos igitur tibi cuſtodes, quæ limina ponam?

Dicebant & *addere cuſtodem* pro *apponere*. Horatius Ode 4. lib. 3.

Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Cuſtos

v. 18. *Terreat ut ſ. falce Priapus aves*] Vile ſane atque abjectum miniſterium dei hortenſis, avibus importunis pavori ac terrori eſſe. Animadverti etiam debet ἐπίθετον *ſævâ*, quod hoc loco γέλοιον. *Falce minax* appellatur hic deus in Luſibus, Epigr. 29. Sed & arundo in capite Priapi erecta, umbrâ ſuâ idem fere præſtabat. Horatius Sat. 8. lib. 1.

Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa.

Quæ tamen præſidia neque hortum, neque ipſum dei ſimulacrum adverſus avium injurias tueri ſatis ac munire poterant. Carmen Priapejum Tibullo tributum:

Abegimuſque voce ſæpe, quum tibi
Senexve corvus, impigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.

Propterea deus ipſe apud Horat. Sat. 8. lib. 1. dedecora iſta ſibi imprecatur:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis horti
Cuſtodes, fertis munera veſtra, Lares.
Tunc vitula innumeros luſtrabat cæſa juvencos:
Nunc agna exigui eſt hoſtia magna ſoli.
Agna cadet vobis, quam circum ruſtica pubes
Clamet: Io meſſes, & bona vina date.

Mentior at ſi quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum.

In divinis litteris Baruch Propheta cap. 6. ſtatuis profanorum numinum ſimilia objicit: *Supra corpus eorum, & ſupra caput eorum volant noctuæ & hirundines, & aves etiam ſimiliter & cattæ.*

v. 19. *felicis quondam agri*] Virgilius pariter Ecloga 1. v. 75.

Ite, meæ, felix quondam pecus, ite, capellæ.

Tibulli res familiatis multum detrimenti ceperat, quum is hanc Elegiam ſcriberet, oec noo Panegyricum ad Meſſalam; ut legentibus utrumque poema ſatis manifeſtum. Felix ager dicitur non ſolum qui fertilis, verum etiam qui amplus eſt, ac late patens: oppooitur iccirco pauperi agro, oempe anguſto; qui proprie agellus. Eodem pacto locuples homo, *felix*, aut *beatus* a Latinis vocatur, a Græcis εὐδαίμων. Seneca Troadibus v. 1017. feliees homines pauperi opponit:

Tolle felices, removeto multo
Divites auro, removeto, centum
Rura qui ſcindunt opulenta bubus;
Pauperi ſurgent animi jacentes.

v. 20. *fertis munera veſtra*] Percipitis hoſtias, ſacrificia, quæ vobis debentur pro meritis veſtris erga me. Sic Horatius Carm. 8. lib. 4. *Neque tu peſſima munerum Ferres.* nempe, reportares, percipere. Idem Epiſtola 17. lib. 1. v. 43.

Coram rege ſuo de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent.

Virgilius Ecloga 5. v. 88.

At tu ſume pedum, quod me, quum ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes.

Idem in Epigrammate apud Donatum in Vita:

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.

Reſpondet Græcum verbum ἄγωμαι. Theocritus Eidyllio 1. v. 9.

Αἴκα ταὶ μῶσαι τὰν οἴϊδα δῶρον ἄγωνται,
Ἄρνα τὺ σακίταν λαψῇ γέρας.

Si Muſæ oviculam donum (ſeu præmium) *abducant* (ſeu ferant)
Agnum tu ſtabularium pro præmio accipies.

ibid. *Lares*] Compitales videlicet; nam compita ſacrata Laribus. Ovidius lib. 2. Faſtorum v. 616.

-- -- -- compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in urbe Lares.

His frugum primitiæ offerri ſolebant; fiebat vero vitulâ, agnâ, ſed præcipue porco, vel porcâ. Horatius Ode 23. lib. 3.

Cælo ſupinas ſi tuleris manus,
Naſcente Luna, ruſtica Phidile;
Si ture placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca;
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fecunda vitis, nec ſterilem ſeges
Robiginem.

v. 21. *Tunc*] Me olim divite.

ibid. *innumeros luſtrabat juvencos*] Unius enim vitulæ cædes a toto armento exitium & morbos credebatur depellere. Noſter Elegia 5. libri hujus:

Illa deo ſciet agricolæ pro vitibus uvas,
Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.

v. 22. *Nunc*] Me videlicet ad paupertatem redacto.

ibid. *e. eſt hoſtia magna ſoli*] q. d. Majoribus hoſtiis facere non poſſum, quod res non ſuppetit. Agna nihilominus a me paupere cæſa, & diis oblata, magna victima cenſeri debet; quæ ſi a locuplete offerretur, hoſtia eſſet parva & contemnenda. Nam dii animum potius donantium, quam dona ipſa reſpiciunt.

v. 24. *Clamet: Io*] Precantis & exſultantis eſt. Libro 2. Eleg. 4. *io* precantis & dolentis eſt:

Uror, io remove, ſæva puella, faces.

Jam

v. 25.

Digitized by Google

Jam modo non poſſum contentus vivere parvo,
Nec ſemper longæ deditus eſſe viæ:
Sed Canis æſtivos ortus vitare ſub umbra
Arboris, ad rivos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.
Non agnamve ſinu pigeat, fœtumve capellæ
Deſertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori fureſque, lupique,
Parcite. de magno præda petenda grege eſt.
Hic ego paſtoremque meum luſtrare quotannis,
Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

Adſi-

v. 25. *modo non*] Videtur poſitum pro *non modo*. ὕστερον πρότερον. Non modo, inquit poeta, poſſum tenui victu contentus eſſe, quod antea non poteram: non tantum longis itineribus valedicere, rem augendi cauſſâ ſuſceptis; verum etiam in ſumma animi ſecuritate, indulgere otio, ſedens æſtate propter aquam ſub arbore.

ibid. *contentus vivere parvo*] Quid ſit hoc, explicat optime M. Antoninus Imperator de Vita ſua lib. 6. 30. mores laudans Antonini Pii, parentis ſui: Καὶ ὡς ὀλίγοις ἀρκούμενος, οἷον οἰκήσει, στρωμνῇ, ἐσθῆτι, τροφῇ, ὑπηρεσίᾳ. *Ut paucis contentus, tecto nempe, ſtrato, veſte, victu, ſervitio.*

v. 26. *longæ deditus viæ*] Ut ſolent milites in expeditionibus, vel mercatores. *Deditus viæ*: vel quem delectat peregre proficiſci, vel qui genere ipſo vitæ cogitur ad longa itinera ſuſcipienda.

v. 27. *Canis æſtivos ortus vitare*] Oritur Canis xvi. Kal. Auguſti, occidit poſt dies xl. qui caniculares ideo vocantur. *Canis æſtivos ortus* dictum videtur pro *Canis æſtivi ortus*. Ita Virgilius Æneid. lib. 8. v. 526.

Tyrrhenuſque tubæ mugire per æthera clangor.

pro *Tyrrhenæ tubæ*.

v. 28. *ad rivos prætereuntis aquæ*] Horatius ad Fontem Blanduſiæ Ode 13. l. 3.

Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Neſcit tangere

v. 29. *Nec tamen interdum p. t. b.*] Otiari quidem volo; non ita tamen, ut ab opere faciundo omnino deſiſtam. Joſephus Scaliger hæc tam pulchre colligata & cohærentia, adverſus fidem codicum, peſſime luxaverat.

v. 30. *ſtimulo t. increpuiſſe boves*] Græci propterea ſtimulum vocant βουπλῆγα, ὅτι βόας πλήττει. *Hoc loco* increpare *idem quod minitando percutere; quod ira accenſi hominis proprium eſt, qui dum in aliquem furenter irruit, una manus, contumeliis, conviciiſque additis, injicit. Sed id κατὰ μείωσιν dictum eſt, ſicut illud Maronis*, Pulſatuſve parens, *pro occiſo*. Verba ſunt Hieronymi Columnæ ad Fragmenta Ennii pag. 70.

v. 34. *de magno præda petenda grege eſt*] Simile monitum Priapi apud Catullum Carm. 19.

Quare hinc, o pueri, malas abſtinete rapinas.
Vicinus prope dives eſt, negligenſque Priapus.
Inde ſumite.

v. 35. *Hic ego paſtoremque meum luſtrare q.*] Non eſt cur ſe torqueant viri eruditi, quærentes quid ſit *luſtrare paſtorem*: nec ad Pana confugiendum cenſeo, ut ipſe nodum extricet. Tibullus ſibimet cereum lucet quum ait lib. 2. Eleg. 1. *purgamus agros, purgamus agreſtes*. Clarius tamen M. Cato R. R. cap. 141. hujuſmodi ſolenne ſacrum deſcribens: *Mars pater*, inquit, *te precor quæſoque, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiæ-*

miliæ-

Adſitis, divi. neu vos e paupere menſa
Dona, nec e puris ſpernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.
Non ego divitias patrum, fructuſque requiro
Quos tulit antiquo condita meſſis avo.
Parva ſeges ſatis eſt: ſatis eſt, requieſcere lecto
Si licet, & ſolito membra levare toro.

Quam

miliaque noſtræ, quojus rei ergo agrum, terram, fundumque meum ſuovetaurilia circumagi juſſi. Et poſt aliqua: *Paſtores pecuaque ſalva ſervaſſis, duiſque bonam ſalutem valetudinemque mihi, domui, familiaque noſtræ*. Id fiebat menſe Aprili ſub ipſis Palilibus.

v. 36. *Et p. ſ. ſpargere lacte Palem*] Plinius Præf. Hiſt. Nat. *Verum & diis lacte ruſtici multaque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa litant qui non habent tura: nec ulli fuit vitio deos colere quoquo modo poſſet*.

v. 37. *Adſitis, divi*] Formula deos invocandi. Ovidius initio libri 3. Faſtorum:
Bellice, depoſitis clypeo paullisper & haſta,
Mars, ades; & nitidas caſſide ſolve comas.

v. 38. *nec e puris ſp. fictilibus*] Excuſat paupertatem ſuam, quod antiquorum conſuetudini propior ſit quam divitum luxus. Varro de Lingua Latina lib. 4. *Capulæ a capiendo; quod anſatæ, ut prehendi poſſint, ideſt capi. Harum figuras in vaſis ſacris ligneas & fictiles antiquas etiam nunc videmus*. Nempe Varronis ætate, culta & locuplete, hujuſmodi vaſa ſacra lignea & fictilia, quibus veteres uſi fuerant, ob religionem ſervabantur. Inſigne eſt illud Senecæ Epiſt. 98. *Tubero paupertatem & ſe dignam & Capitolio judicavit, quum fictilibus in publica cœna uſus, oſtendit, debere his hominem eſſe contentum quibus dii etiamnum utentur*.

v. 39. *antiquus agreſtis*] Duo adjectiva; quorum alterum loco ſubſtantivi poſitum eſt. Ita Catullus Eleg. ad Manlium: *antiquis piis*. & Juvenalis Sat. 2. *triſtibus obſcœnis*.

v. 40. *de facili compoſuitq; luto*] Res minimi pretii, vulgares, vilea, appellantur *faciles*. Ovidius lib. 13. Metamorph. v. 831.
Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum
Munera contingent
Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 119. *parabilem amo Venerem, facilemque*.

v. 41. *fructuſque requiro*] *Requirere* ſignificat rei amiſſæ, vel quodammodo ſibi debitæ, deſiderium. Cicero Paradoxo 6. *Nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt*.

v. 42. *Quos t. antiquo condita meſſis avo*] Majores enim Tibulli, opes ingentes, fundos latiſſimos poſſederant. Vide Panegyricum ad Meſſalam infra lib. 4.

v. 43. *Parva ſeges*] Agellus, hæredinlum.

ibid. *ſatis eſt requieſcere lecto*] Lucas Fruterius conjiciebat legendum *tecto*: Fruterii conjecturam probat Paſſeratius, recipit Broukhuſius. Favere videtur Lucanus lib. 2. Pharſaliæ v. 384. ubi de moribus Catonis:
Huic epulæ, viciſſe famem: magnique penates,
Submoviſſe hiemem tecto.
Cicero item in Orat. pro Domo ſua: *Poſuit ſcilicet Statonem, illum .... qui in Marſis, ubi natus eſt, tectum quo imbris vitandi cauſſa ſuccederet, nullum haberet*. Sed nihil mutandum: nam *requieſcere*, *lectum* poſtulat. *Succedere tecto* dici poterat: non tamen a Tibullo dictum eſt.

v. 44. *ſ. membra levare toro*] *Torus* interdum ſignificat culcitam quæ imponebatur lecto tricliniari. Ovidius lib. 8. Metamorph. v. 665.
— — — in medio torus eſt de mollibus ulvis
Impoſitus lecto, ſponda pedibuſque ſalignis.
Idem 1. Amorum Eleg. 5.
Appoſui medio membra levanda toro.

Ita

Quam juvat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero continuiſſe ſinu:
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auſter,
Securum ſomnos imbre juvante ſequi!
Hoc mihi contingat. ſit dives jure, furorem
Qui maris, & triſtes ferre poteſt Hyadas.
O quantum eſt auri potius, pereatque zmaragdi,
Quam fleat ob noſtras ulla puella vias.

Te

Ita Horatius dixit *levare corpus* Epiſt. 1. lib. 2. v. 139.

Agricolæ priſci, fortes, parvoque beati,
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum.

Torum veteres operiebant ſtragulo, quod *toral* proprie, vel *torale* vocabant. Idem Horatius Epiſt. 5. v. 22.

— — — ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nares.

Satyra vero 4. lib. 2. v. 84.

Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes.

ubi *Tyriæ veſtes* videntur eſſe ſyntheſes purpureæ, quas a convivatoribus locupletibus & magnificis convivæ nonnunquam accipiebant. Lampridius in Heliogabalo cap. 19. *Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit.*

v. 46. *dominam tenero c. ſinu*] *Domina tenero ſinu*, eſt puella mammoſa; cujuſmodi Anacreon Ode 5. vocat *κόρην βαθύκολπον*.

ibid. *continuiſſe*] Broukhuſius, *detinuiſſe*. quod minus placet.

v. 48. *ſomnos imbre juvante ſequi*] Ita Seneca Oedipode v. 682. *Certiſſima eſt regnare cupienti via, Laudare modica, & otium ac ſomnum ſequi*. quamquam ibi vetus codex præfert, *loqui*. *Sequi ſomnos*, videtur eſſe illis delectari. Ita Cicero locutus libro 1. de Orat. *Me hæc tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum, patulis eſt diffuſa ramis, quam illa cujus umbram ſecutus eſt Socrates*. Idem lib. 2. de Legibus: *Ego vero, quum licet plures dies abeſſe, præſertim hoc tempore anni, & amœnitatem, & ſalubritatem hanc ſequor*. Terentius Adelphis 1. 1. 17. *Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium ſecutus ſum*. Quod M. Tullius ita variavit initio lib. 3. Officiorum: *A republica forenſibuſque negotiis armis impiis vique prohibiti otium perſequimur*. Plinius quoque Epiſt. 8. lib. 8. *Villæ quæ ſecutæ fluminis amœnitatem, margini inſiſtunt*. i. e. quaſi delectatæ amœno flumine. quod animadvertit vir πολυθρύλλητος Petrus Burmannus, ad lib. 1. Argonauticon Valerii Flacci v. 3. Verum, ut exiſtimo, *ſequi ſomnos* hoc loco Tibulli nihil aliud eſt quam *ſomnos continuare*. παννύχιον εὕδειν, totam noctem dormire.

ibid. *imbre juvante*] Pluvia enim lente decidens, blando frigore ſomnum conciliat. Livius lib. 24. Hiſt. *Imber a nocte media coortus, cuſtodes vigileſque, dilapſos e ſtationibus, ſuffugere in tecta coegit: ſonituque primo largioris procellæ ſtrepitum demolientium portam exaudiri prohibuit: lentior deinde æqualiorque accidens auribus, magnam partem hominum ſopivit.*

v. 49. *Sit dives jure*] Imitatus eſt Propertius lib. 3. Eleg. 3.

Præda ſit hæc illis, quorum meruere labores.

Et pari ſarcaſmo Juvenalis Sat. 1. 42. in eum qui laterum officio vetulæ teſtamentum captabat: *Accipiat ſane mercedem ſanguinis.*

v. 50. *triſtes ferre poteſt Hyadas*] Ita legit Nicolaus Heinſius cap. 1. Adverſariorum; quæ lectio, Broukhuſii etiam ſuffragio probata, vulgatæ *pluvias* videtur præferenda. Hyades, ut nemo eruditus ignorat, ſunt ſeptem ſtellæ in Tauri capite collocatæ, ita dictæ ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod iis orientibus & occidentibus magnæ tempeſtates exſiſtant. Poeta *triſtes* appellat, quo pacto dixit Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 36. *inverſum contriſtat Aquarius annum*. Noſter Eleg. 2. hujus libri: *triſti depellit nubila cælo.*

v. 53.

Te bellare decet terra, Meſſala, marique,
Ut domus hoſtiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum formoſæ vincla puellæ:
Et ſedeo duras janitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
Dummodo ſim, quæſo ſegnis, inerſque vocer.

Te

v. 53. *bellare terra marique*] Horatius Epiſt. 16. lib. 1. v. 25.

Si quis bella tibi terrâ pugnata marique Dicat.

v. 54. *Ut domus hoſtiles præferat exuvias*] Conſuetudo Romanis maxime ſolennis. Livius lib. 10. *Quorum domos ſpoliis hoſtium affixis inſignes inter alias feceritis.* Idem lib. 38. *Spolia ejus urbis ante currum laturus, & fixurus in poſtibus ſuis.* M. Seneca Controv. 8. lib. 1. *Hic impetus, hic ardor animi domum tuam trinis hoſtium ſpoliis adornavit.* Silius Italicus Punicorum lib. 6. v. 445.

Unde ire in Martem, quo capta referre ſolebas,
Et victor mecum ſuſpendere poſtibus arma.

Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 836.

-- -- -- Si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens, galeis præfixa votiſque
Cui domus.

A militibus venatores hunc ritum accepere. Manilius de his lib. 4. Aſtronomic. v. 180.

Hoc habet in ſtudium, poſtes ornare ſuperbos
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas.

v. 53. *Meſſala*] Hujus cognominis originem tradit Seneca libro de Brevitate Vitæ cap. 13. *Sane & hoc ad rem pertineat, quod Valerius Corvinus primus Meſſanam vicit, & primus ex familia Valeriorum, urbis captæ in ſe translato nomine Meſſana appellatus eſt, paullatimque vulgo permutante litteras, Meſſala dictus.*

v. 55. *Me retinent vinctum f. v. p.*] Piſtoclerus adoleſcens apud Plautum Bacchid. 2. 2. 1.

Mirum eſt, me, ut redeam opere tanto quæſere,
Qui abire hinc nullo pacto poſſim, ſi velim:
Ita me vadatum amore, vinctumque attines.

Horatius pariter Carm. l. 4. Ode 11. *Telephum, quem tu petis, occupavit Non tuæ ſortis juvenem puella Dives & laſciva, tenetque grata Compede vinctum.* Idem Carm. 1. Ode 33. *Ipſum me, melior quum peteret Venus, Grata detinuit compede Myrtale Libertina.*

v. 56. *ſedeo janitor*] Nam quæ mancipia ſervabant januam, ea plerumque catenis religata erant. Oſtendit vel illud Naſonis Amorum lib. 1. Eleg. 6.

Janitor (indignum) dura religate catena.

ibid. *duras ante fores*] Difficiles, crudeles; quas tamquam janitor aliquis obſervo, neque tamen ingredi poſſum.

v. 57. *Non ego laudari curo*] Ita codicet Achillis Statii magno conſenſu. Vulgati, *cupio*. Sed Janus Broukhuſius optime oſtendit, *curo* præferendum eſſe; quem vide. Ceterum hic mos laudandi ſtrenuos milites pro concione, eoſque præmiis honeſtandi, a Tarquinio Priſco acceptus, ad reliquos Romanorum duces, quaſi per manus traditus, deinceps pervenit. *Metellus* apud Salluſtium in Jugurtha cap. 58. *Meritos in præliis more militiæ donat, univerſos in concione laudat.* Livius lib. 2 Hiſtor. *Nec ullo ante bello latius ind[illegible] acta [illegible]. ea omnis militi data eſt. Adhibentur & laudes, quibus haud minus quam præmio gaudent militum animi.* Cornelius Tacitus lib. 2. Annalium cap. 22. *Laudatis pro concione victoribus, Cæſar congeriem armorum ſtruxit, ſuperbo cum titulo.* Memorabile eſt quod ſcribit Vegetius lib. 2. de Re Militari cap. 7. *Torquati duplares; torquati ſimplares, quibus torque aureus ſolidus virtutis præmium fuit; quem qui meruiſſet,*

præ-

Te ſpectem, ſuprema mihi quum venerit hora:
 Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis & arſuro poſitum me, Delia, lecto,
 Triſtibus & lacrimis oſcula mixta dabis.
Flebis. non tua ſunt duro præcordia ferro
 Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.
Illo non juvenis poterit de funere quiſquam
 Lumina, non virgo ſicca referre domum.
Tu manes ne læde meos: ſed parce ſolutis
 Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

In-

præter laudem interdum duplas conſequebatur annonas. Hunc ritum Græcis fuiſſe ignorum, ſuſpicatur Broukhuſius. Nihilominus Iſocrates Oratione de Bigis, ubi Alcibiadis geſta recenſet :- τοιοῦτος ὢν ἐν τοῖς κινδύνοις, ὥστε στεφανοῦσθαι, καὶ πανοπλίαν λαβεῖν παρὰ τοῦ στρατηγοῦ. *Eum ſe præſtabat in periculis, ut & coronaretur, & armaturam acciperet ab ipſo imperatore*. Mirum ſi Græci duces, quum coronarent meritos, & armis donarent, ab iis laudandis abſtinuerint. Non obſcure autem Tibullus hoc laudis contemtu Epicureum ſe profitetur : nam Epicuri ſectatores honeſtis jucunda præponebant. docet porro Ariſtoteles Rhetoricorum lib. I. honeſta, quamquam minus utilia & perpeſſu aſpera, laudationibus inſervire : τὰ συμφέροντα contra, ἢ ἴδια, deliberationum materiam eſſe.

v. 58. *quæſo ſegnis, inerſque vocer*] Parum videbatur voluptario poetæ laudationem aſpernari, niſi addidiſſet, ſe cupere ignavi & deſidis nomen, tamquam inſigne aliquod elogium & invidendum.

v. 61. *arſuro poſitum me, D. lecto*] Collocatum ſcilicet in lecto funereo, quo cadavera efferebantur. Hic autem lectus rogo impoſitus una cum ipſo cadavere comburebatur.

v. 63. *Flebis*] ἀναφορὰ μάλιστα παθητική.

v. 65. *Illo non juvenis* &c.] Videtur Tibullus quum hæc ſcriberet, ante oculos habuiſſe verſus Tyrtæi περὶ τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς, de juvene in pugna occiſo:

Τὸν δ' ὀλοφύρονται μὲν ὁμῶς νέοι ἠδὲ γέροντες,
Ἀργαλέῳ δὲ πόθῳ πᾶσα κέκηδε πόλις.

i. e. *Hunc lamentantur pariter juvenes ac ſenes, triſtique deſiderio tota civitas luget*. Lepida enim eſt oppoſitio adoleſcentis militaris, qui vitam in prœlio poſuerit, ac ignavi amatoris, quem indulgentem libidinibus turpis mors occupaverit. Ludovicus Areoſtus lib. 43. Rolandi Furentis in funere Brandimartis :

Dovunque andar, non laſciaro occhi aſciutti.
Sì bel, sì buon, sì giovine a pietade
Moſſe ogni ſeſſo, ogni ordine, ogni etade.

Sed propius Tibullum imitatur, vir elegantiſſimi judicii, Balthaſſar Caſtilionius lib. 3. Aulici : *Il corpo della coſtante e nobil donna, con grandiſſimo onore fu levato di quella grotta, e portato alla ſepoltura in Roma, con una corona in teſta di lauro, accompagnato da un numero infinito d'uomini e di donne; tra' quali non fu alcuno che a caſa riportaſſe gli occhi ſenza lacrime*. Præivit omnibus Homerus lib. 24. Odyſſeæ v. 61. de funere Achillis : ἔνθά κεν οὔτιν' ἀδάκρυτόν γ' ἐνόησας Ἀργείων. *Hic nullum ſine lacrimis vidiſſes Argivorum*.

v. 67. *Tu manes ne læde meos*] Qui luctu immoderato fata mortuorum proſequerentur, eorum umbris injurii eſſe credebantur. Quamobrem Cornelia apud Propertium lib. 4. Eleg. ult. maritum flentem ita increpat:

Deſine, Paule, meum lacrimis urgere ſepulcrum.

Id propterea opinati ſunt veteres, quod mors ærumnarum finem afferret, humanoſ-

Interea, dum fata ſinunt, jungamus amores.
Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.

Jam

que animns ab ergaſtnlis corporum liberatos vel in ætherem puriſſimum, vel ad Elyſios mitteret: iccircn bonorum obitum deplnrare ſummæ ſtultitiæ tribuebant. Cicero lib. 6. de Republ. in Snmnin Scipionis, ex Academicnrum ſententia: *Immo vero, inquit, hi vivunt, qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere evolaverunt. Veſtra vero quæ dicitur vita, mors eſt.* ad quem locum vide Commenrarium Macrobii lib. 1. cap. 10. Apud Platonem in Menexenn, fnrtiſſimi viri qui pro Athenienſium republica in prœliis occiderant, mnnent parentes ſuos, nnn facturos eos ipſorum mânibus rem gratam, ſi lamentatinnibus & ejulationibus indulgeant: ſed, ſi quis eſt in mnrtuis ſenſus viventium, plane rem ingratam ..... ſi vern leniter & moderate, rem ipſis haud dubie facturos acceptiſſimam; quod eum ſtatum jam conſecuti ſint moriendn qui inter homines pulcherrimus eſt; ac proinde deceat eorum ſortem potius laudare quam deflere. Lucianus in libelln de Luctu inducit juvenem vita functum ſic paternis querelis reſpondentem: *Ὦ κακοδαίμον ἄνθρωπε, τί κέκραγας; τί δέ μοι παρέχεις πράγματα; παῦσαι τιλλόμενος τὴν κόμην, καὶ τὸ πρόσωπον ἐξεπιπολῆς ἀμύσσων· ἀποκαλεῖς καὶ δύσμορον, πολύ σου βελτίω, καὶ μακαριώτερον γεγενημένον. Infelix homo, quid clamas? quid mihi moleſtus es? Deſine vellicare comam, ac vultus etiam cutem lacerare. cur mihi convicium facis, ac miſerum appellas & infortunatum, qui jam ſim te multo melior, tum etiam felicior?* omitto reliqua; ſunt enim plnra in hanc ſentenriam. Eodem pacto Sulpicius ad Ciceronem lib. 4. ad Famil. Epiſt. 5. *Quod ſi qui etiam inferis ſenſus eſt, qui illius in te amor fuit pietaſque in omnes ſuos, hoc certe illa* (Tullinla) *te facere non vult. Da hoc illi mortuæ, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore mærent.* Ita Druſus ad Liviam matrem in Elegia Pedonis Albinovani v. 467. *Jam comprime fletus. Hoc ego, qui flendi ſum tibi cauſſa, rogo.* Et Creuſa Virgiliana lib. 2. Æneid. v. 784.

— — — Lacrimas dilectæ pelle Creuſæ.

Non ego Myrmidonum ſedes, Dolopumve ſuperbas
Aſpiciam: aut Grajis ſervitum matribus ibo.

Cui concinit Seneca Tragicus Troadum chnrn 1. verbis Hecubæ:

Alio lacrimas flectite veſtras:
Non eſt Priami miſeranda mei
Mors, Iliades. Felix Priamus
Dicite cunctæ. liber Manes
Vadis ad imos: nec feret umquam
Vincta Grajum cervice jugum.

Auctnr item Octaviæ Tragœdiæ v. 271.

Renovare luctus parce cum fletu pios,
Manes parentis neve ſollicita tuæ.

His adde, ſi vacat, Senecam Philnſnphum Conſnlatinne ad Polybium cap. 23. & 24. magiſque Conſolatinne ad Marciam; ubi multa lectu digniſſima occurrunt. Porro ſimilem ſententiam tribuit Terentius Heautontim. 1. 1. 3. Chremeti Menedemum ſenem conſolanti, qui lugebat abſentiam filii, quem ipſe duritia ſua dnmn & patria migrare coegerat: *Quæſo tandem aliquantulum tibi parce: idem abſens facere te hoc vult filius.*

ibid. *ſed parce ſolutis Crinibus*] Mulieres in carorum funeribus capillum ſnlvebant, ſcindebant, & interdum etiam ſecabant, ac ſepulcris imponebant.

v. 68. *teneris, D. parce genis*] M. Tullius Quæſt. 3. Tuſcul. recenſet *muliebres lacerationes genarum* inter *deteſtabilia genera lugendi.*

v. 69. *jungamus amores*] Quod Hnmerus lib. 24. Iliados v. 130. vocat *γυναικὶ ἐν φιλότητι μίσγεσθαι. mulieri amore miſceri.* Ita Cicero prn Dejotaro dixit *amicitias jungere. Dejotarus quicquid a bellis populi Romani vacabat, cum hominibus noſtris conſuetudines, amicitiaſque jungebat.*

v. 7n. *tenebris Mors adoperta caput*] Lactantius Firmianus lib. 7. Divin. Inſtit. *Deſeratur, ſi fieri poteſt, via perditionis & fraudis, in qua mors voluptatis illecebris adoperta celatur.* Quæ aſſerimus ad illa verba Elegiæ 3. hujus libri, *Mors atra*, huc quoque pertinent. Vide Scholia noſtra ad Carmen 3. Catulli v. 11. *Qui nunc it per iter*

tene-

Jam ſubrepet iners ætas, nec amare decebit,
  Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis eſt tractanda Venus: dum frangere poſtes
  Non pudet, & rixas inſeruiſſe juvat.
Hic ego dux mileſque bonus. vos ſigna, tubæque
  Ite procul. cupidis vulnera ferte viris.

Fer-

tenebricoſum. Homerus Iliados 23. v. 51. ὡς ἐπιεικὲς Νεκρὸν ἔχοντα νέεσθαι ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα. *Uti par eſt Mortuum habere ſubeuntem tenebras obſcuras.*

v. 71. *ſubrepet iners ætas*] Nam *ſenectus obrepit non intellecta*, ut ait Juvenalis Sat. 9. v. 129. videlicet non animadverſa, nobis non ſentientibus.

ibid. *nec amare decebit*] *Turpe* enim *ſenilis amor*. Horatius propterea Epiſt. 2. lib. 2. v. ult. appellat juventam, *ætatem decentius laſcivam*.

v. 72. *cano capite*] Sunt qui legant *capiti*, pro capite; qui ablativus antiquus. Plautus Pœnulo 1. 2. 44. *Diem pulchrum & celebrem & venuſtatis plenum! Dignum Veneri pol, cui ſunt Aphrodiſia hodie.* pro, *dignum Venere*. M. Tullius Philippica 2. cap. 10. *M. Bibulo, præſtantiſſimo civi, conſule*: ut habent optimi codices; pro, *cive*. Inſcriptio vetus apud Gruterum IX. 5. *Cum Terentio Damarione filio ſacerdoti*: pro, *ſacerdote*. I & E ἀρχαϊκῶς facile commutantur. Plautus Amphitr. Prologo v. 5. *Bene expedire voltis peregrique & domi.* pro, *peregre*.

v. 73. *levis Venus*] Inſtabilis, fluitans, utpote e fluctibus nata: in qua *injuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, Bellum, pax rurſum*.

ibid. *dum frangere poſtes Non pudet*] Per vim ſcilicet juventus Romana ſuos amores exercebat, viles tamen ac meretricios; ut vel ex Horatio manifeſtum.

v. 74. *rixas inſeruiſſe juvat*] Ovidius lib. 3. Artis v. 71. puellam allocutus, cui minatur anilitatem:

Nec tua nocturnâ frangetur janua rixâ,

videtur exprimere hunc locum Tibulli.

v. 75. *Hic ego dux mileſque bonus*] *Miles bonus* eſt qui *bello utilis*, ut ait Horatius Ode 12. lib. 1. Sed quæ Tibulli militia fuerit, cjus carmina ſatis oſtendunt. Ita Flaccus lib. 3. Carm. Ode 26.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non ſine gloria.

Ovidius quoque lib. 2. Amorum Eleg. 12.

Me duce ad hanc voti finem, me milite veni:
Ipſe eques, ipſe pedes, ſignifer ipſe fui.

Ceterum ſtrenuos & fortes appellabant bonos. Cornelius Tacitus lib. 1. Annalium, de Auguſto: *M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia, & victoriæ ſocium, geminatis conſulatibus extulit.* Horatius Ode 8. lib. 4. *Inciſa notis marmora publicis, Per quæ ſpiritus & vita redit bonis Poſt mortem ducibus.* Contra Epiſt. 1. lib. 2. v. 124. *Militiæ quamquam piger, & malus, utilis urbi.* Trebellius Pollio in Saturnino tyranno, verbis ipſius: *Commilitones, bonum ducem perdidiſtis, & malum principem feciſtis.* Frontinus Strategematum lib. 4. cap. 37. *Philippus quum audiſſet, Pythiam quemdam bonum pugnatorem alienatum ſibi* &c. Dixerunt quoque *melior*, & *optimus*, eadem ſignificatione. Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 424.

Oraque Theſſalico melior contundere freno.

Idem libro eodem v. 143. *Optimus haſta Peleus*. Et prior Virgilius Æneid. 9. v. 40. *Optimus armis Æneas*. Qua locutione uſus & Florus lib. 3. Hiſtor. cap. 5. *Lucius Sylla feſtinat, vir armis optimus.* Græci pariter dixerunt, τὰ πολεμικὰ ἀγαθός. Vide Palæphatum περὶ ἀπίστων, cap. de Sphinge. Homerus Odyſſeæ lib. 15. v. 14.

Ἀλλ' ὄτρυνε τάχιστα βοὴν ἀγαθὸν Μενέλαον.
Sed move citiſſime prælio bonum Menelaum.

Apud eumdem Iliados 3. legere eſt πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα, h. e. *Pollucem pugnis bonum*; nimirum ἐν πυγμῇ ἀνδρεῖον καὶ γενναῖον. quod Horatius ita extulit Ode 12. lib. 1.

Dicam & Alciden, pueroſque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem.

 Alcæus

Digitized by Google

Ferte & opes. ego compoſito ſecurus acervo
Deſpiciam dites, deſpiciamque famem.

Alcæus in quodam Scholio, ſeu quiſquis eſt auctor, apud Euſtathium : Ἀδμήτου λόγον ὦ 'ταῖρε μαθὼν, τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις. En vides opponi ἀγαθοὺς δειλοῖς.

v. 76. *cupidis vulnera ferte viris*] Militum genus avaritiæ inſimulat. Exemplis accuſatio confirmatur. Qui ad Perſicam expeditionem Alexandrum Magnum ex Europa ſecuti ſunt, teſte Juſtino lib. 11. cap. 5. *Obliti omnes conjugum liberorumque, & longinquæ a domo militiæ, Perſicum aurum, & totius Orientis opes, jam quaſi ſuam prædam ducebant; nec belli periculorumque, ſed divitiarum meminerant*. Contra, qui pecuniis æquo animo carere poſſunt, a militia libenter abſtinent. Petronius in Catalectis:

Quum ſonuere tubæ, jugulo ſtat divite ferrum:
Barbara contemtu prælia pannus habet.

Pannus, pro, *pannoſi homines*, ſciſſa & ſordida tunicula induti.

v. 77. *compoſito ſecurus acervo*] *Acervus* Latinis, quod Italis hodiernis *pagliajo*. Varro lib. 1. de R. R. cap. 33. *Stramenta deſecari, & acervos conſtrui*. Significat poeta, ſe tranquillum omnino fore, ac lætitiæ operam daturum *condita poſt frumenta*, ut Horatius loquitur Epiſt. 1. lib. 2. v. 140. more veterum agricolarum, qui ludos agreſtes inſtituerunt.

v. 78. *Deſpiciam dites, d. famem*] Neque opum cupiditate, neque rurſum egeſtatis metu torquebor. Diceret Iſocrates: περὶ μὲν τὴν τροφὴν τὴν καθ' ἡμέραν, οὔτ' ἐν ἐνδείαις, οὔτ' ἐν ὑπερβολαῖς ἔσομαι. Hoc alii aliter dixerunt. Epictetus in Sententiis: Οὐ πενία λύπην ἐργάζεται, ἀλλ' ἐπιθυμία· οὐδὲ πλοῦτος φόβου ἀπαλλάττει, ἀλλὰ λογισμός. κτησάμενος τοιγαροῦν τὸν λογισμὸν, οὔτε πλοῦτον ἐπιθυμίαν ἕξεις, οὔτε πενίαν μέμψῃ. h. e. *Non paupertas moleſtiam facit; ſed cupiditas. Neque divitiæ a metu liberant; ſed ratio. Si igitur rationem tibi comparaveris, neque divitias concupiſces, neque paupertatem incuſabis*. Horatius Ode 10. lib. 2.

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Quæ mediocritas propria fuit equitum Romanorum. Equeſter enim ordo Romæ tantum a plebecula, quantum ab ordine ſenatorio diſtabat. Hoc pulchre oſtendit Ovidius lib. 2. Triſtium v. 110. loquens de familia ſua:

Parva quidem periit, ſed ſine labe domus.
Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut ævo
Clara, nec ullius nobilitate minor.
Et neque divitiis, nec paupertate notanda:
Unde ſit in neutrum conſpiciendus eques.

Fuerunt autem Ovidius ac Tibullus equites Romani. Ceterum & Maro mediocrem hanc fortunam indicavit in homine ruri degente, lib. 2. Georg. v. 499.

Nec doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.

ELE-

ELEGIA II.

Adde merum, vinoque novos compeſce dolores,
  Occupet ut feſſi lumina victa ſopor.
Neu quiſquam multo perfuſum tempora Baccho
  Excitet, infelix dum requieſcit amor.
Nam poſita eſt noſtræ cuſtodia ſæva puellæ,
  Clauditur & dura janua firma ſera.

Janua

Argumentum Elegiæ II. Libri I.

Queritur, januam puellæ amatæ ſibi clauſam eſſe: variis delinimentis puellam ipſam ad ſe vertere conatur: cauſſas inveſtigat, quamobrem hoc infortunium ſibi contigerit: denique rivali mala vaticinatur.

Versu I. *Adde merum*] Puerum a cyathis alloquitur. *Addere*, compoſitum verbum, pro ſimplici *dare* nonnumquam uſurpatur. Varro lib. 1. de R. R. cap. 54. *Electa* (uva) *in ſecretam corbulam* (veniat), *unde in ollulas addatur*. Pacuvius Niptris apud Ciceronem lib. 2. Tuſc. Quæſt. *Fletus muliebri ingenio additus*. Virgilius lib. 9. Æneid. 184. *Diine hunc ardorem mentibus addunt?* Ovidius Epiſt. Didûs 24.

Ut pia fumoſis addita tura focis.

Idem lib. 1. Amor. Eleg. 7. *Adde manus in vincla meas*. Hac locutione ſæpius gaudet Naſo. Auctor Obſcœni Carminis Epigr. 71. *Partibus additis in ignem*. Noſter lib. 2. Eleg. 4.

Nec quiſquam flammæ ſedulus addat aquam.

Martialis lib. 9. Epigr. 94.

Addere quid ceſſas, puer, immortale Falernum!

Seneca Agamemnone v. 579. *Heu quam dulce malum mortalibus additum Vitæ dirus amor!* Silius Italicus lib. 3. v. 350.

Cetera femineus peragit labor: addere ſulco
Semina, & impreſſo tellurem vertere aratro
Segne viris.

Niſi forte *addere*, Tibullo idem eſt atque *indere*. Plautus Caſina 2. 3. 31.

Si ego in os meum vini guttam indidi.

v. 1. *vinoque n. compeſce dolores*] Anacreon Ode 26. idem ſe experiri fatetur; Ὅταν ὁ Βάκχος εἰσέλθῃ, Εὕδουσιν αἱ μέριμναι. *Ut me ſubit Lyæus, Tunc cura dormit omnis.* Vide Homerum lib. 4. Odyſſeæ a verſu 220. ubi de nepenthe, Helenæ medicamine, quod vino mixtum luctus omnes tollebat.

v. 3. *multo perfuſum tempora Baccho*] *Tempora* dixit, τοὺς κροτάφους, partem capitis, quæ meri hauſtu incaleſcit, gravatur, & ſopore opprimitur. Ovidius a Tibullo, ut videtur, lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Ergo Amor, & modicum circa mea tempora vinum
Mecum eſt, & madidis lapſa corona comis.

Madidæ comæ ſunt unguentatæ; quamquam *madidus* pro *ebrius*, & *madere* pro *ebrium eſſe*, μεταφορικῶς uſurpantur.

v. 4. *infelix d. r. amor*] Sic plures codices, & omnium antiquiſſima Tibulli editio anni 1472. qua utor; non, *amans*. *Amorem* pro amante ponit. Infelicem amantem dixerunt Græci δυσέρωτα.

v. 5. *poſita eſt cuſtodia*] Cuſtodes, tamquam onus graviſſimum, procacibus puellis dicti ſunt *imponi*, ſeu *poni*. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Dure vir, impoſito teneræ cuſtode puellæ.

Propertius lib. 2. Eleg. 4.

Quos igitur tibi cuſtodes, quæ limina ponam?

Uſurparunt nihilominus & de adoleſcentibus, viris, rebus ipſis. Cornelius Nepos Dione: *Appoſiti erant cuſtodes, qui eum a*

pri-

Janua difficilis domini, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina miſſa petant.
Janua, jam pateas uni mihi victa querelis;
Neu furtim verſo cardine aperta ſones.
Et mala ſi qua tibi dixit dementia noſtra,
Ignoſcas. capiti ſint precor illa meo.

Te

priſtino victu deducerent. Idem Cimone: *Fuit enim tanta liberalitate, quum compluribus locis prædia hortoſque haberet, ut numquam eis cuſtodem impoſuerit*. L. Seneca lib. 2. de Ira cap. 33. *Propinavit illi Cæſar heminam: & poſuit illi cuſtodem*. Idem paullo inferius: *Illum hoſtis ſæviſſimus multis ſolatiis, ut cibum caperet, hortatus eſt, non ut pocula ingentia, ſuper caput poſito cuſtode, ſiccaret*.

v. 6. *Clauditur & d. janua f. ſera*] Græce diceres: καὶ ἡ θύρα ἀσφαλισμένη ἐστὶ τῷ μοχλῷ, τῷ κοινῶς λεγομένῳ κατωπυγίῳ. Sera enim antiquis proprie fuit vectis, obex, repagulum, quo januam firmabant, & obſerabant.

v. 7. *Janua difficilis domini*] Sunt qui legant, *Janua difficilis dominæ*, dandi caſu: nempe minus æqua puellæ clauſæ, quæ cuperet admittere amatorem. Certe Seneca lib. 3. de Ira cap. 37. *januam* ipſam appellavit *difficilem*. *Beati hominis judicat ac potentis indicium difficilem januam*.

ibid. *te verberet imber*] Venti, fluctus, grando, imber verberare dicuntur. Apud Muſæum de amoribus Herûs ac Leandri v. 296. legitur, ἀῆται χείλανα μαςίζοντες ὅλην ἅλα. *venti procellâ verberantes totum mare*. Hirtius de bello Africano cap. 1. *Tabernaculum ſecundum litus ipſum conſtituit, ut prope fluctus verberaret*. Malus arbor in Carmine Libero, Epigr. 61. ita loquens inducitur: *Nec ſum grandine verberata durâ*. Horatius quoque Carm. lib. 3. Ode 1. *Nec verberatæ grandine vineæ*. Lactantius de Mortibus Perſecutor. cap. 17. *Profectus hieme, ſæviente frigore, atque imbribus verberatus*.

v. 9. *Janua, jam pateas uni mihi*] Et nemini præterea rivalium meorum. Ita fere lib. 4. Carm. 13.

Atque utinam poſſes uni mihi bella videri!
Diſpliceas aliis, ſic ego tutus ero.

Contra Ovidius 1. Amor. Eleg. 6. dummodo admittatur, nihil penſi habet.

Quod precor, exiguum eſt. aditu fac janua parvo
Obliquum capiat ſemiadaperta latus.

v. 10. *Neu furtim v. c. aperta ſones*] Optat poeta, ſibi patere januam, ut deinceps poſſit non furtim, & cum pericolo, ſed libere ac maximo commodo ſuo amori operam dare. Qui autem clanculum ad puellas ibant, diligenter providebant ne cardines januæ ſtrepitum ederent. Nonnumquam & aquam ſuffundebant, quæ cadendo ſonitum cardinum exaudiri non ſinebat. Horum teſtis Plautus Curculione 1. 3. 1.

Placide egredere, & ſonitum prohibe forum,
& crepitum cardinum:
Ne, quod hic agimus, herus percipiat fieri,
mea Planeſium.
Mane, ſuffundam aquulam.

v. 11. *dementia noſtra*] Pro, *ego demens*. Ita loqui amant optimi quique poetæ. Ennius omnium princeps apud Varronem lib. 6. de L. L.

Ollei reſpondet ſuavis ſonus Egeriaï.

περιφραςικῶς, pro ipſa Egeria loquente. Vide Hieronymum Columnam ad Fragmenta Ennii pag. 89. Lucretius lib. 1. de R. N. v. 493.

Conlabefactatus rigor auri ſolvitur æſtu.

Et a Lucretio Virgilius lib. 1. Georg. v. 193.

Tum ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ.

pro, *aurum rigidum*, *ferrum rigidum*. Sic apud Horatium Sat. 2. lib. 1. v. 31.

— — — macte
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis.

Idem Ode 21. lib. 3.

Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.

Et Sat. 1. lib. 2. v. 71.

— — ubi

Te meminiſſe decet quæ plurima voce peregi
  Supplice, quum poſti florea ſerta darem.
Tu quoque ne timide cuſtodes, Delia, falle.
  Audendum eſt. Fortes adjuvat ipſa Venus.
Illa favet, ſeu quis juvenis nova limina tentat,
  Seu reſerat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli deſcendere lecto,
  Illa pedem nullo ponere poſſe ſono.

Illa

— — ubi ſe a vulgo & ſcena in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Leli.
Et Epiſt. 1. lib. 2. v. 191.
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.
Propertius lib. 4. Eleg. 10. de Hercule ſitiente:
Nec tulit iratam janua clauſa ſitim.
Ovidius Epiſt. Helenæ v. 74.
Quod per tam longas ſpes tua venit aquas.
Phædrus item Fab. 13. lib. 1.
Tunc demum ingemuit corvi deceptus ſtupor.
Vide ibi notas Fabri, & eumdem poetam lib. 2. fab. 5. v. 23.
Seneca Thebaide v. 19.
Vel qua cucurrit corpus invisum trahens
Zethi juventus — — pro, *Zethus juvenis*.
Idem Hippolyto v. 261.
Sic te ſenectus noſtra præcipiti ſinat
Perire leto?
Perſius Sat. 6. v. 10. *Cor jubet hoc Enni*. Juvenalis denique Sat. 4. v. 81. *venit & Criſpi jucunda ſenectus*. & v. 107. *Montani quoque venter adeſt*. Notat Montanum ſenatorem pinguiſſimum, & nihil niſi ventrem. Fons elegantiarum omnium Homerus eodem pacto Iliados 19. v. 98. dixit *βίην ἡρακληείην*, *vim Herculeam*, pro Hercule ipſo. & Odyſſeæ lib. 8. v. 2. *ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο*, *ſacrum robur Alcinoi*, pro ipſo Alcinoo.

v. 12. *capiti ſint precor illa meo*] Coelius pariter ad Ciceronem Epiſt. 1. lib. 8. *Te ad ix. Kal. Jun. ſubroſtrani (quod illorum capiti ſit) diſſiparant periiſſe*. Ovidius item Epiſt. Medeæ v. 20.
Dempta forent capiti quam mala multa meo!
Vide hoc loco Broukhuſium.

v. 13. *peregi*] Quum ſcilicet vota ſolverem, corollis floreis offerendis. Nam peragere eſt perficere.

v. 14. *quum poſti florea ſerta darem*] Amator ſæpius januam puellæ ſuæ coronabat, vel coronam de capite ſuo detractam in limine relinquebat. Sunt qui legant *florida*: ſed *florea* præferendum. Plautus Menæchmis 4. 2. 68.
Non ego te modo hic ante ædes cum corona florea
Vidi aſtare?

v. 16. *Fortes adjuvat ipſa Venus*] Ovidius Artis Amat. lib. 1. 608. *Audacem Forſque Venuſque juvant*. Idem lib. 10. Metam. 586. *Audentes Deus ipſe juvat*. Auctor Rhetoric. ad Herenn. lib. 3. cap. 5. *Fortitudini fortunam quoque eſſe adjumento ſolere*.

v. 17. *nova limina*] Quæ antea numquam tentavit, rudis militiæ amatoriæ.

v. 18. *reſerat fixo dente p. fores*] Intellige dentem clavis, quo inſerto retrahebant ſeram; ut optime jampridem explicaverunt Salmaſius & Lipſius. *Adulteræ* ſive adulterinæ *clavis* mentio apud Ovidium Artis Amat. lib. 3. v. 643. cujus ope nuptæ, vel mœchi fallebant maritos, quibus nihil proderat veram clavem diligenter cuſtodire.
Nomine quum doceat, quid agamus, adultera clavis.

v. 19. *furtim molli deſcendere lecto*] Clanculum, ſtertente marito, e toro conjugali ſurgere, atque ad mœchum prorepere. Quod facere olim conſuevit impudentiſſima Meſſalina, Claudii principis uxor, teſte Juvenale Sat. 6. v. 116.
— — dormire virum quum ſenſerat uxor,
Auſa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,

Lin-

Digitized by Google

Illa viro coram nutus conferre loquaces,
  Blandaque compoſitis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes: ſed quos nec inertia tardat,
  Nec vetat obſcura ſurgere nocte timor.
Nec ſinit occurrat quiſquam, qui corpora ferro
  Vulneret, aut rapta præmia veſte ferat.
Quiſquis amore tenetur, eat tutuſque ſacerque
  Qua libet. inſidias non timuiſſe decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis;
  Non mihi, quum multa decidit imber aqua.

Non

Linquebat.

Deſcendere, hic legendum monuerunt Douza pater, & Broukhuſius, quoniam gradibus attollebantur lecti. Hæc lectio & mihi valde probatur, quamquam vulgata *decedere* ferri poterat. Sane dixit Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 642.

Et cedat lecto quamlibet ægra ſuo.

Quod ſi Latinum eſt, non eſt cur barbarum exiſtimemus, *lecto decedere.*

v. 21. *nutus conferre loquaces*] Animadvertenda mira verborum proprietas, mirus nitor, mira elegantia in Tibullo. Juvenes amatores & puellæ, nutus loquaces inter ſe conferunt, quum taciti nictant., exſcreant., & viciſſim geſticulantur, nemine arcanam ipſorum loquelam ſentiente, vel intelligente.

v. 22. *B. compoſitis abdere verba notis*] *Abdere* omnino legendum, non *addere*. Id vel Ovidius oſtendit Artis Amat. lib. 1. v. 489.

Neve aliquis verbis odioſas afferat aures,
  Quam potes, ambiguis callidus abde notis.

& lib. 3. Amorum Eleg. 11.

Verbaque compoſitis diſſimulata notis.

Huc pertinent illa ejuſdem poetæ Epiſt. Helenæ, v. 81.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
  Signa ſupercilio pæne loquente dari!

Sed præcipue lib. 1. Amorum Eleg. 4. quæ tota de hoc amantium ſermone:

Me ſpecta, nutuſque meos, vultumque loquacem:
  Excipe furtivas, & refer ipſa, notas.
Verba ſuperciliis ſine voce loquentia dicam:
  Verba leges digitis, verba notata mero.

v. 24. *Nec vetat obſcura ſ. n. t.*] Poſt hunc verſiculum in vulgatis editionibus ſequitur ineptum & importunum diſtichum, quod felici manu ſuſtulit Joſephus Scaliger, ne puriſſimum Tibulli ſacrarium coinquinaret. Id eſt hujuſmodi:

En ego quum tenebris tota vagor anxius urbe,
  Securum in tenebris me facit eſſe Venus.

Quicumque tandem ille fuit qui Romano poetæ barbarum ἔμβλημα affinxit, ſibi certe non conſtat, quum unum & eumdem hominem *anxium* & *ſecurum* ſimul indueit: quæ duo plane contraria ſi conjungere velis, *nihilo plus agas, quam ſi des operam, ut cum ratione inſaniat.*

v. 26. *raptâ præmia veſte ferat*] *Præmium* ſignificare *prædam*, præſertim in re bellica & venatica, docte monet Broukhuſius. Ita Horatius Epodo 2.

Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem
  Jucunda captat præmia.

Ovidius quoque 6. Metamorph. v. 516.

Non aliter quam quum pedibus prædator obuncis
  Depoſuit nido leporem Jovis ales in alto:
  Nulla fuga eſt capto: ſpectat ſua præmia raptor.

Agnoſcis, lector, verba Tibulliana. Seneca, de miſſilibus in theatro ſparſis Epiſt. 74. *Nemo manum conferit cum excedente, nemo exeuntem ferit: circa præmium rixa eſt.* Legunt alii *præmia petat*; quod & ipſum

rectum

Non labor hic lædit, referet modo Delia poſtes,
Et vocet ad digiti me taciturna ſonum.
Parcite luminibus, ſeu vir, ſeu femina fias
Obvia. celari vult ſua furta Venus.
Neu ſtrepitu terrete pedum, neu quærite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face,
Si quis & imprudens aſpexerit; occulat ille,
Perque deos omnes ſe meminiſſe neget.
Nam fuerit quicumque loquax, is ſanguine natam,
Is Venerem e rapido ſentiet eſſe mari.

Nec

rectum eſt. Salluſtius Catilin. cap. 22. *Poſtulare pleri que, uti proponeret, quæ conditio belli foret, quæ præmia armis peterent.*

v. 30. *decidit imber*] Lucretius lib. 6. v. 195. — -- *in terras demiſſus ut imber Decidat, expediam.*

v. 31. *labor hic*] Puta per urbem noctu vagandi, puellæ januam occentandi, pervigilandi, aeris injurias tolerandi.

v. 32. *vocet ad digiti ſonum*] Ne ſentiat maritus, inſidias ſibi parari. Ceterum *σύγκρουσις* & crepitus digitorum lautis in uſu fuit etiam ad ciendos vernas, ut cognoſcimus ex Petronii Satyr. *Quum has miraremur lautitias, Trimalcio lautiſſimus homo digitos concrepuit: ad quod ſignum matellam ſpado ludenti ſuppoſuit.* Vide Martialem lib. 3. Epigr. 82. lib. 6. Epigr. 89. & lib. 14. Epig. 119.

v. 33. *Parcite luminibus*] Ne curioſius aſpicite quid agant amantes, conſulite oculis veſtris: nam ſi aſpexeritis, ab irata Venere cæcitas vobis timenda eſt. Feſtive admodum. Poteſt nihilominus ſimpliciter ſignificare, *nolite aſpicere, oculos alio vertite.* Sic apud Ovidium 5. Metamorph. v. 248.

Parcite luminibus, Perſeus ait; oraque regis
Ore Meduſæo ſilicem ſine ſanguine fecit.

ibid. *ſeu vir, ſeu femina fias Obvia*] Suetonius Tiberio cap. 64. *Nurum ac nepotes numquam aliter poſt damnationem, quam catenatos, obſutaque lectica, loco movit: prohibitis per militem obviis ac viatoribus reſpicere uſquam, vel conſiſtere.*

v. 34. *celari vult ſ. furta Venus*] Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 607.

Præcipue Cytherea jubet ſua ſacra taceri.
Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.

v. 35. *neu quærite nomen*] Graſſator nocturnus apud Juvenalem Sat. 3. v. 292.

-- -- -- unde venis? exclamat .....
Nil mihi reſpondes? aut dic, aut accipe calcem.
Ede, ubi conſiſtas: in qua te quæro proſeucha.

v. 37. *imprudens aſpexerit*] Non data quidem opera, ſed temere ac forte fortuna. Cicero Orat. de Haruſpicum reſponſis: *Hominemque illum qui pulvinaribus Bonæ Deæ ſtuprum intulerit, eaque ſacra quæ viri oculis, ne imprudentis quidem, aſpici fas non eſt, non ſolum aſpectu virili, ſed flagitio ſtuproque violarit, in concione de religionibus neglectis conqueri.* Et lib. 2. de Legibus, eadem ſacra ſignificans: *Qua licentia Romæ data, quidnam egiſſet ille qui in ſacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne imprudentiam quidem oculorum adjici fas fuit.*

v. 39. *is ſanguine natam ſentiet*] Vulgata fabula, Venerem e cruore genitalium Cœli a Saturno filio abſciſſorum, & maris ſpuma procreatam: unde Aphroditen & marinam dixerunt. Ovidius 1. Metamorph. v. 160. de impiis hominibus Gigantum propagine:

-- -- -- ſed & illa propago
Contemtrix ſuperûm, ſævæque avidiſſima cædis,
Et violenta fuit: ſcires e ſanguine natos.

v. 40. *e rapido mari*] Quod rapide fluit

D ac

Nec tamen huic credet conjux tuus, ut mihi verax
Pollicita eſt magico ſaga miniſterio.
Hanc ego de cælo ducentem ſidera vidi.
Fulminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque ſolum, maneſque ſepulcris
Elicit, & tepido devocat oſſa rogo.
Jam ciet infernas magico ſtridore catervas:
Jam jubet adſperſas lacte referre pedem.
Quum libet, hæc triſti depellit nubila cælo:
Quum libet, æſtivo convocat orbe nives.

Sola

ac refluit, in fretis præcipue. Lucretius lib. 1. v. 721.

Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiæ terraï oras a finibus ejus.

v. 42. *huic*] Loquaci nempe homini, qui furtivos puellæ amores ad ejus maritum odioſa ſedulitate retulerit.

ibid. *verax ſaga*] Mulier pharmaceutria, cui generi notitiam futurorum, & magnam in animos hominum poteſtatem olim tribuebant.

v. 43. *Hanc e. de cælo ducentem ſidera v.*] Magicorum præſtigiorum quæ hoc loco Tibullus commemorat, pleni ſunt poetarum libri. Singula Broukhuſius exſecutus eſt; quem conſulere poteſt quiſquis tralatitiis delectatur.

v. 44. *Fulminis rapidi*] Nonnulli codices præferunt *Fluminis:* utrumque numeratur in miraculis ſagarum.

v. 45. *maneſque ſepulcris Elicit*] Credebantur enim umbræ mortuorum, quas appellabant manes, non procul a ſepulcris & cineribus diſcedere. Iccirco Propertius lib. 4. Eleg. 5. vetulæ cuidam improbæ mala multa precatus, inter ejus umbram & reliquias corporis diſſidium optat: *Nec ſedeant cineri manes.* Apud Cornelium Tacitum lib. 2. Annalium cap. 28. *Junius quidam tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret.*

v. 46. *t. devocat oſſa rogo*] Cadavere in cineres redacto ſola oſſa ſupererant; quæ a propinquis poſtea legebantur diligenter, & lacrimis aſperſa in urna condebantur. Officium hoc funebre pulchre deſcribit noſter lib. 3. Eleg. 2.

v. 47. *Jam ciet i. m. ſ. c. Jam jubet*] Ita Horatius ter Sat. 7. lib. 2. v. 13.

Jam mœchus Romæ, jam mallet doctus Athenis Vivere.

v. 20.

Qui jam contento, jam laxo fune laborat.

v. 114.

Jam vino quærens, jam ſomno fallere curam.

Ovidius lib. 1. Metamorph. v. 111.

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.

Græci dicunt ἄλλοτε, ἄλλοτε: Dores ἄλλοκα, ἄλλοκα. Theocritus Idyllio 4. v. 42.

Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Et Juppiter jam quidem ſerenus eſt, jam vero pluit.

v. 48. *adſperſas lacte*] Statius lib. 4. Thebaidos v. 545.

-- -- Argolicas magis huc appelle precando
Thebanaſque animas. alias avertere greſſus
Lacte quater ſparſas, mæſtoque excedere luco,
Nata, jube.

Hunc locum Papinii protulerunt ad Tibullum illuſtrandum Livinejus & Broukhuſius.

ibid. *referre pedem*] Poeticum, pro *redire*. Noſter Elegia 8. hujus libri:

Te canet agricola, e magna quum veneris urbe
Serus, inoffenſum rettuleritque pedem.

pro *redieris inoffenſo pede.*

v. 50. *æſtivo orbe*] Quum orbis æſtatem agit. Virgilius lib. 2. Georg. v. 338.

-- -- ver magnus agebat Orbis. nimirum *orbe*

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
  Sola feros Hecatæ perdomuiſſe canes.
Hæc mihi compoſuit cantus, queis fallere poſſes.
  Ter cane, ter dictis deſpue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam:
  Non ſibi, ſi in molli viderit ipſe toro.
Tu tamen abſtineas aliis. nam cetera cernet
  Omnia: de me uno ſentiet ipſe nihil.
Quid credam? nempe hæc eadem ſe dixit amores
  Cantibus, aut herbis ſolvere poſſe meos.
Et me luſtravit tædis: & nocte ſerena
  Concidit ad magicos hoſtia pulla deos.

Non

be verno. Broukhuſius legere mavult: *æſtivas convocat ore nives*. quod minus elegans, mea quidem ſententia.

v. 51. *tenere malas herbas*] Noviſſe vim & efficacitatem malarum herbarum. Cicero lib. 1. de Oratore: *Tenenda praeterea eſt omnis antiquitas, exemplorumque vis.*

v. 52. *feros Hecatæ canes*] Infernas videlicet canes, quæ apud Maronem lib. 6. Æneid. v. 257. Hecaten, ſeu Proſerpinam ululantes comitantur. Valerius Flaccus lib. 6. Argonaut. 110. ubi de canibus militaribus Caſpiadum:

Pectora ferro,
Terribileſque innexa jubas, ruit agmine nigro
Latratuque cohors; quanto ſonat horrida Ditis
Janua, vel ſuperas Hecates comitatus ad auras.

Canes porro non ſolum deos proſequebantur, ſed etiam heroas. Vide Julium Pollucem Onomaſtici lib. 1. cap. 4. ubi de Hercule.

v. 53. *queis fallere poſſes*] Subaudi, Mariti & janitoris vigilantiam.

v. 54. *Ter dictis deſpue carminibus*] Hæc fuit veterum ſuperſtitio, ut in ſacris magicis, in avertendo faſcino, in amoribus conciliandis ter deſpuerent. Vide, ſi vacat, Broukhuſium. Addo ego Varronem lib. 1. de R. R. cap. 2. *Hoc ter novies cantare jubet, terram tangere, deſpuere, jejunum cantare.*

v. 56. *Non ſibi, ſi in m. viderit ipſe t.*] Plautus Milite Glor. 2. 1. 69.

Ei nos facetis fabricis, & doctis dolis
Glaucomam ob oculos objiciemus: eumque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Viderit ipſe licet, credet tamen ipſe neganti,
  Damnabitque oculos, & ſibi verba dabit.

v. 57. *Tu tamen abſtineas aliis*] Aſtute mulierculam adoritur, quam cupit ſibi uni facilem, ceteris omnibus difficilem.

v. 59. *ſe dixit amores C. a. h. ſolvere poſſe meos*] Novam adhibet machinam ad puellam in officio continendam, timorem ſcilicet ne ab amante deſeratur.

v. 61. *Et me luſtravit tædis*] Tædæ proprie ſunt faces, vel tabulæ ex arboribus picem, vel reſinam ſudantibus. Has adhibebant in luſtrationibus. Interdum tamen ſulfure utebantur. Noſter inferius Elegia 5.

Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure puro,
  Carmine quum magico præcinuiſſet anus.

Propertius lib. 4. Eleg. 8.

Terque meum tetigit ſulfuris igne caput.

Ovidius lib. 7. Metamorph. v. 261.

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulfure luſtrat.

Interdum tædis & ſulfure. Juvenalis Sat. 2. v. 157.

Digitized by Google

Non ego, totus abeſſet amor, ſed mutuus eſſet
 Orabam: nec te poſſe carere velim.
Ferreus ille fuit, qui, te quum poſſet habere,
 Maluerit prædas ſtultus, & arma ſequi.

Ille

-- -- cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulfura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

ibid. *nocte ſerena*] Sic apud Horatium Epodo 5. Canidia veneſica noctem haud ἀ-σέληνον, vel nubibus obſcuram, ſed illuſtrem & ſerenam ad veneficium eligit.

Hic irreſectum ſæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit! aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitræ
Nox, & Diana, quæ ſilentium regis,
Arcana quum fiunt ſacra.

v. 62. *ad magicos deos*] Quos invocabant magi, & quibus ſacra faciebant. Memorat *magicos deos* Lucanus lib. 6. Pharſaliæ v. 577. enumerat Ovidius lib. 7. Metam. a v. 192.

ibid. *hoſtia pulla*] Nam inferorum deorum honori mactabantur victimæ nigri velleris. Horatius lib. 1. Serm. Sat. 8. de Canidia & Sagana pharmaceutriis:

-- -- -- ſcalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt: cruor in foſſam confuſus, ut inde
Manes elicerent, animas reſponſa daturas.

v. 64. *nec te poſſe carere velim*] Hæc locutio magnam profecto vim haber. Nolim equidem te carere, o Delia, inquit poeta, quum ex animo te amem ac vehementer mihi optem, nam πάντων χαλεπώτατον Ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα: ſed neque velim te carere poſſe, nimirum ita affectus eſſe, ut minimo tui deſiderio tenear, & mihi jam ſit ἀδιάφορον te habere, vel non habere. Martialis lib. 3. Epigr. 53.

Tota te poteram, Chloë, carere.

Idem lib. 11. Epigr. 57.

O quam magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et ſtipula, & nigro pane carere potes!

εἰρωνικῶς in Chæremonem quemdam Stoicum, hominem pauperrimum, qui mortem putide laudabat. Quid proprie ſignificet *carere*, accurate oſtendit Cicero l. 1. Tuſcul. Quæſt. *Hoc igitur probe ſtabilito & fixo, illud excutiendum eſt, ut ſciatur quid ſit* carere, *ne relinquatur aliquid erroris in verbo. Carere igitur hoc ſignificat, egere eo quod habere velis: ineſt enim velle in carendo, niſi quum ſic tamquam in febri dicitur, alia quadam notione verbi. dicitur enim alio modo etiam carere, quum aliquid non habeas, & non habere te ſentias, etiamſi id facile patiare. carere enim malo, id non dicitur; non enim eſſet dolendum: dicitur illud, bono carere, quod eſt malum. Sed ne vivus quidem bono caret, ſi eo non indiget: ſed in vivo intelligi tamen poteſt regno carere. Dici hoc in te ſatis ſubtiliter non poteſt: poſſet in Tarquinio, quum regno eſſet expulſus; at in mortuo ne intelligi quidem poteſt. carere enim ſentientis eſt, nec ſenſus in mortuo eſt. ne carere quidem igitur in mortuo eſt.* Caremus igitur proprie bonis rebus & optatis, minus proprie rebus quarum nullo deſiderio tenemur, & quas nobis deeſſe facile patimur; ἀτόπως vero & καταχρηστικῶς malis & incommodis, puta febri, & aliis hujuſmodi.

v. 65. *Ferreus ille fuit, qui* &c.] Hæc optime cum ſuperioribus cohærentia Scaliger loco moverat, & ad primam Elegiam retraxerat, vetuſtis libris non addicentibus; audacter profecto, ne ſtulte dicam & inepte. De homine certo loquitur hic Tibullus, qui Deliam pridem amaverit, deinde ambitioni atque avaritiæ poſthabitam reliquerit: cujus imitari ſe duritiem ac levitatem nolle profitetur. Janus Broukhuſius hunc hominem arbitratur fuiſſe C. Soſium C. F. T. N. qui a M. Antonio Syriæ ac Ciliciæ præfectus, Aradios oppugnatione fameque & morbis confectos ſubegit, pluresque alias res illuſtres in iis regionibus geſſit. Hic Romam reverſus anno Urbis DCCXIX. de Cilicibus triumphavit; quod & nummi veteres teſtantur. Docti viri conjectura probabilis valde eſt; nam præterquamquod tempora conveniunt, audis, hunc Deliæ amatorem, de quo Tibullus, relicta domina, exercitui Romano præfuiſſe, in Cilicia rem feliciter geſſiſſe, prædas magnas abegiſſe,

oppi-

Digitized by Google

Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat & in capto Martia caſtra ſolo:
Totus & argento contextus, totus & auro
Inſideat celeri conſpiciendus equo.

Ipſe

oppida expugnaviſſe, atque agrum hoſtilem late tenuiſſe.

v. 66. *arma ſequi*] Sic libro 2. Eleg. 6. *Caſtra Macer ſequitur.*

v. 67. *victas agat ante catervas*] *Agere ante, cacciarſi dinanzi*, quemadmodum paſtores gregem ſolent. Qui triumphabant, duces in bello captos ante ſe agebant. Pariter qui præda potiti erant, captivos & prædam ipſam. Cornelius Nepos Datame cap. 3. *Vinctum ante ſe Thynm agebat, ut ſi feram beſtiam captam duceret.* Ita Joannes Boccatius Narratione 2. Diei 4. *E queſto fatto, dopo alquanto il menò fuori, e miſeſelo innanzi: ed andandol tenendo per la catena di dietro, ec.* Idem Narratione 1. Diei 3. *meſſogli l' aſino innanzi.* Livius lib. 5. Hiſtor. *Viderant eos milites Romani vagantes per agros, & congregatos agmine prædam præ ſe agentes.* Idem lib. 7. *Extra prædam quatuor millia deditorum habita: eos vinctos Conſul ante currum triumphans egit.* Et lib. 1. de Hercule: *Prope Tiberim fluvium, qua præ ſe armentum agens, nando trajecerat.* Virgilius lib. 3. Georg. v. 551.

Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone: Morbos agit ante Metumque.

Horatius Ode 12. lib. 1.

Ille ſeu Parthos Latio imminentes
Egerit juſto domitos triumpho, &c.

Hoc loco ſubticetur τὸ *ante*. Silius Italicus lib. 4. v. 29. -- -- *tum crine ſoluto Ante agitur conjux.* Statius Papinius lib. 3. Thebaid. 432. *Æolio dimiſſos carcere ventos Dux præ ſe Neptunus agit.* Martialis lib. 8. Epigr. 26.

Nam quum captivos ageret ſub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

L. Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 23. *Illos per nota itinera ad domum in qua ſervierant, præcucurriſſe, & dominam ſuam ante ſe egiſſe.* Hoc maris undis accommodavit idem ſcriptor lib. 3. Natur. Quæſt. cap. 28. *Hæc fatis mota, non æſtu ..... attollit vaſto ſinu fretum, agitque ante ſe.* Q. Curtius lib. 3. cap. 11. *Agebantur ergo a tam paucis pecorum modo.* Latinorum phraſin exprimit Ludovicus Areoſtus Cantu 39. Rolandi Furentis 1. ſtrophe 21.

Aſtolfo come pecore li mena
Dinanzi a' ſuoi di guerreggiar più dotti.

Et Franciſcus Bernius (*dell' Orlando Innamorato* Canto 20. *Stanza* 43.)

Cavalli, e gente innanzi ſi cacciava
Quella donna arrabbiata, e furioſa,
Che con la ſpada intorno folgorava.

Quatere præ ſe dixit Cicero in Arateis:

Arctophylax, vulgo qui dicitur eſſe Bootes;
Quod quaſi temone adjunctam præ ſe quatit Arcton.

Hos verſus ipſe affert lib. 2. de Nat. Deor.

v. 68. *in capto ſolo*] Hoſtibus nimirum erepto. Catullus Carm. 65. de Ptolemæo Evergete:

Captam Aſiam Ægypti finibus addiderat.

Vide Commentarium noſtrum ad eum locum.

v. 69. *T. & argento contextus, totus & auro*] Pro, amictus veſtibus, totis argento & auro contextis. Ovidius Ep. Medeæ v. 151:

-- -- -- *pompam pater, inquit, Jāſon*
Ducet; & adjunctos aureus urget equos.

v. 70. *Inſideat celeri equo*] Fortaſſe intelligit ovationem, pompam triumpho minorem, quam ducebant imperatores non in curru ſtantes, verum equo inſidentes.

ibid. *conſpiciendus*] Græce περίβλεπτος. Equitantes longe conſpiciuntur, quum ſupra pedites emineant. Horatius l. 3. Carm. Ode 7.

Quamvis non alius flectere equum ſciens
Æque conſpicitur gramine Martio.

Ovidius lib. 8. Metamorph. v. 372.

At gemini, nondum cæleſtia ſidera, fratres
Ambo conſpicui nive candidioribus alba
Vectabantur equis.

Martialis lib. 9. Epigr. 50.

Hæc eſt illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector amatque togam.
Parthenianà fuit, quondam memorabile vatis

Mu-

Ipſe boves, mea ſim tecum modo Delia, poſſim
  Jungere, & in ſolo paſcere monte pecus.
Et, te dum liceat teneris retinere lacertis,
  Mollis & inculta ſit mihi ſomnus humo.
Quid Tyrio recubare toro ſine amore ſecundo
  Prodeſt, quum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumæ, nec ſtragula picta ſoporem,
  Nec ſonitus placidæ ducere poſſit aquæ.
Num Veneris magnæ violavi numina verbo?
  Et mea nunc pœnas impia lingua luit?

Num

Munus: in hac ibam conſpiciendus eques. Livius pariter lib. 5. de Camillo dictatore triumphante: *Maxime conſpectus ipſe eſt, curru equis albis juncto urbem invectus.* Italice diceres: *Diede nell' occhio aſſaiſſimo.* Et lib. 21. initio, de Hannibalis moribus: *Veſtitus nihil inter æquales excellens: arma atque equi conſpiciebantur.* Monuit me de hoc loco Liviano *Alphonſus Aldrighettus*, Comes, Patricius Patavinus, vir doctus, & in ſcriptoribus Latinis legendis exercitatus, qui me jamdiu ſumma benevolentia proſequitur. Tibullus autem paludamentum ſignificare voluit, quod erat veſtis imperatoria. Memorabilia ſunt verba Varronis lib. 6. de Lingua Latina: *Paluda a paludamentis. Sunt hæc inſignia & ornamenta militaria. Ideo ad bellum quum exit imperator, ac lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt; Paludatus dicitur proficiſci: quæ propterea quod conſpiciuntur qui ea habent, ac fiunt palam, Paludamenta dicta.*

v. 72. *in ſolo monte*] Deſerto, devio. ἐν ἐρήμῳ ὄρει ϗ ἀβάτῳ.

v. 73. *teneris lacertis*] Teneros lacertos tribuit ſibi Tibullus, nempe lentos, flexiles. Ita Horatius Epodo 15.

Arctius atque ederâ procera adſtringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis.

Nam alioqui teneritudo puellis magis convenit.

v. 74. *Mollis & inculta ſit mihi ſomnus humo*] L. Seneca Epiſt. 90. *Mollem ſomnum illis dura tellus dabat.*

v. 75. *Tyrio toro.*] Stragulis cooperto Tyria purpura infectis, quæ omnium laudatiſſima.

v. 76. *nox vigilanda venit*] *Venit*, pro *eſt*. Ovidius pariter Epiſt. Oeoones, v. 8.

Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.

Quinctilianus lib. 11. Inſt. Orat. cap. 3. *Vigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibenda, & in ſudata veſte durandum.*

v. 77. *plumæ*] Quibus culcitæ lectorum farciebantur.

ibid. *ſtragula picta*] Cicero luculente lib. 5. Tuſcul. Quæſt. *Collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificis operibus picto.* Huc faciunt verba Luciani in Cynico: Ἀλλ᾽ ὄψει πολλάκις ἐπὶ τῆς ἐλεφαντίνης κλίνης, ϗ τῶν πολυτελῶν στρωμάτων, τὺς εὐδαίμονας, ὕπνου λαχεῖν ὐ δυναμένους. h. e. *Sed videbis haud raro in eburneo lecto, & in ſumtuoſis ſtragulis, beatos, potiri ſomno non poſſe.*

v. 78. *Nec ſonitus placidæ ducere p. aquæ*] Nam & aquam leniter cadentem ſomno conciliando eſſe, docent οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες. Cornelius Celſus lib. 3. Medicinæ cap. 18. *Confert etiam aliquid ad ſomnum ſilanus juxta cadens.* Itali dicimus, *caſcata d' acqua.* Fuerunt ſilani, κρουνοὶ, fiſtulæ, ſeu tubi plumbei, unde aqua exſiliebat.

v. 79. *Num Veneris m. v. n. v.*] Hæc exiſtimavit Scaliger hiulca eſſe; propterea, contra fidem codicum, transtulit in Elegiam 5. hujus libri. Sed reputare debuerat homo acutus, in quam multas formas vertant ſe amantium animi: dolent ſcilicet, deſperant, paullo poſt lætitiam & ſpem teci-

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe deorum,
Sertaque de ſanctis deripuiſſe focis?
Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus:

Non

cipiunt, mox in triſtes affectus relabuntur, *tempeſtatis prope ritu*, quod ait Horatius, *fluitantes*. Nos in ſedem ſuam verſus perperam luxatos revocavimus. Poeta iratus rivali ſuo, puta marito puellæ quam ipſe amabat, & vicem ſuam lamentatus; incipit cogitare quod crimen admiſerit, cui tam durum ſupplicium debeatur. Cicero in Lucullo: *Sic ille* (Strato Lampſacenus, qui deorum providentiam tollebat) *& Deum opere magno liberat, & me timore. quis enim poteſt, quum exiſtimet a Deo ſe curari, non & dies & noctes divinum numen horrere: &, ſi quid adverſi acciderit (quod cui non accidit?) extimeſcere, ne id jure evenerit*. Cydippe apud Ovidium in Epiſtola ad Acontium v. 177. non ſecus ac Tibullus, exquirit cauſſam cur ægrotet, Dianam hoc pacto alloquens:

Numquid, in umbroſo quum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua labra tuli?
Præteriine tuas de tot cæleſtibus aras?
Atque tua eſt noſtrâ ſpreta parente parens?

ibid. *Veneris magnæ*] Nam & Venus in duodecim ſelectis diis numerata, quos Ennianum Diſtichum relatum ab Appulejo in libro de Deo Socratis. & a Marciano Capella de Nuptiis Philologiæ complectitur, antiquitas vero Magnos & Conſentes appellavit.

ibid. *violavi numina verbo*] ἐβλασφήμησα. Violare verbo, ſi de diis agatur, graviſſimum eſt, quibus nimirum facto & re ipſa noceri non poteſt: ſi de hominibus, leve. Cicero Philippica 2. *Tu, ne verbo quidem violatus*. *Verbo* autem dixit, non *verbis*: nam verbum unum minus conſideratum cuilibet vel pio excidere poteſt.

v. 80. *pœnas i. l. luit*] *Luere* ſignificat ſæpius abſtergere, vel expiare: dicimus enim, luere ignominiam, maculam, ſtuprum: ſed interdum uſurpatur de pœnis, & ſignificat perſolvere, *τίνειν*; ut hoc loco. M. Tullius lib. 2. ad Atticum Epiſt. 9. *Itaque mei peccati pœnas luo*.

v. 81. *Num feror*] Sacrilegium & deorum contemtus, ipſum per ſe delictum maximum, etiamſi clam commiſſum fuerit: quid ſi vulgetur, & differatur, ac in ora hominum veniat? Propterea Tibullus ait *feror*.

ibid. *inceſtus*] Puta concubitu heſterna nocte pollutus, quales ab aris deorum arcebantur: vel profanus homo, cæremoniis & myſteriis non initiatus. Contra, ſacerdotes, quibus fas erat penetralia templorum adire, caſti appellabantur. Virgilius 6. Æneid. v. 661.

Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat.

Et Valerius Flaccus lib. 1. Argonautic. v. 5.

Phœbe, mone; ſi Cumeæ mihi conſcia vatis
Stat caſtâ cortina domo.

Quindecimvir enim erat Valerius libris Sibyllinis inſpiciendis, quod auguſti ſacerdotii genus.

ibid. *ſedes adiiſſe deorum*] Varro lib. 4. de L. L. *In ædibus ſacris ante cellam, ubi ſedes dei ſunt, Græci dicunt πρόδομον: quod poſt, ὀπισθόδομον. Ædes ab aditu, quod plano pede adibant*. Auctor Ciris poematis elegantiſſimi v. 526.

Sæpe deûm largo decorarat munere ſedes.

Livius lib. 5. Hiſtor. *Motam certe ſede ſua* (Junonem) *parvi molimenti adminiculis, ſequentis modo, accepimus levem & facilem tranſlatu fuiſſe*. Idem lib. 29. qui locus Tibullum valde illuſtrat: *Sed & nunc, & ſæpe alias, dea ſuam ſedem, ſuumque templum aut tutata eſt, aut a violatoribus gravia piacula exegit*.

v. 82. *Sertaq; de ſ. deripuiſſe focis*] Nam foci ornabantur corollis, & Lares, quos in focis collocatos adorabant. Plautus Trinummo 1. 2. 1.

Larem coronâ noſtrum decorari volo.

Vittis etiam focos & altaria cingebant. Propertius lib. 4. Eleg. 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Virgilius Pharmaceutria v. 64.

Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.

v. 83. *procumbere templis, Et dare ſ. oſcula*

Non ego tellurem genibus perrepere ſupplex,
Et miſerum ſancto tundere poſte caput.
At tu, qui lætus rides mala noſtra, caveto:
Mox tibi non unus ſæviet uſque deus.
Vidi ego, qui juvenum miſeros luſiſſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.
Et ſibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.

Stare

In liminibus] Utrumque ritum commemorat Arnobius lib. 1. contra Gentes: *Quum per omnia ſupplices irent templa, quum deorum ante ora proſtrati, limina ipſa converrerent oſculis*. Livius in calce libri 45. loquens de Pruſia rege: *Romæ quoque quum veniret in curiam, ſummiſiſſe ſe, & oſculo limen curiæ contigiſſe: & deos ſervatores ſuos ſenatum appellaſſe*.

v. 85. *tellurem genibus perrepere*] Piaculi hujus meminit & Juvenalis Sat. 6. v. 525.

-- -- -- inde Superbi
Totum regis agrum nuda & tremebunda cruentis
Erepet genibus.

v. 86. *ſancto tundere poſte caput*] Ritum fuiſſe peregrinum, qui ad expiationes pertineret, atque ab Ægypto & Nilo advectum una cum Iſide, ſuſpicatur Broukhuſius. Certe dolentes, & quos fortunæ ſuæ pœnitebat, columnis & parietibus capita illidere ſolebant. Livius lib. 25. *Flere omnes repente, & offenſare capita: & alii manus ad cælum tendere, deos incuſantes*. Ita Maximinus imperator, ubi ſenatuſconſultum accepit quo hoſtis patriæ judicatus fuerat, *jaciebat ſe in parietes, nonnumquam terræ ſe proſternebat*; ut narrat Capitolinus in ejus Vita cap. 17. Seneca lib. 1. de Ira cap. 6. *Quid opus eſt menſam evertere? quid pocula affligere? quid ſe in columnas impingere?* Lucianus quoque ἐν τῷ περὶ πένθους meminit τῶν τὰς κεφαλὰς ἀραττόντων πρὸς τὸ ἔδαφος. *allidentium capita pavimento*. Veterum imitator Ludovicus Areoſtus Cantu 28. Rolandi Furentis:

Ne fu per arrabbiar, per venir matto,
Ne fu per dar del capo in tutti i muri.

Fortaſſe huc pertinet locus Auctoris ad Herennium lib. 3. Rhetorie. *Sin utemur*, inquit, *amplificatione per conqueſtionem, femineo plangore, & capitis ictu uti oportebit*. Sed capitis ictus hoc loco eſt quaſſatio capitis: aut legendum *capitis jactu*.

v. 87. *At tu, qui l. rides mala noſtra*] Homo inimice, quiſquis es, vel marite, vel rivalis. Horatius eodem pacto Epodo 15.

At tu quicumque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo,
Eheu translatos alio mærebit amores.

v. 88. *tibi non unus ſæviet deus*] Multos deos, puta qui amoribus præſident, iratos & crudeles habebis.

v. 89. *qui juvenum m. luſiſſet amores*] Hoc eſt, irriſiſſet, deſpicatui & ludibrio habuiſſet, vel feſelliſſet. Sfortiæ liber præferebat *læſiſſet*; quod probari poſſit: ſic enim loquitur noſter infra Eleg. 10. -- -- *ſi fueras miſeros læſurus amores*. Peſſime autem Scaliger, meo judicio, quem ſequitur Broukhuſius:

Vidi ego qui juvenem ſeros deſiſſet amores.

Durum ὑπέρβατον, locutio contorta, atque a Tibulli genio maxime aliena.

v. 90. *vinclis ſubdere colla*] Jugo videlicet, quod vinculis ſive loris collo accommodatur. Vel catenæ, quam in collum mancipiorum injiciebant. Propertius lib. 2. Eleg. 29.

Dixit, & in collo jam mihi nodus erat.

v. 91. *ſibi blanditias componere*] Secum præmeditari ſermones amatorios, quibus animum puellæ aggrederetur.

v. 92. *fingere comas*] Pectere, diſcriminare, ponere in ſtatione, ut ſolent adoleſcentuli. Ovidius lib. 3. Artis v. 306.

Quid toties poſitas fingis, inepte, comas?

v. 94.

Stare nec ante fores puduit, caræve puellæ
Ancillam medio detinuiſſe foro.
Hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arcta:
Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.
At mihi parce, Venus: ſemper tibi dedita ſerviit
Mens mea: quid meſſes uris acerba tuas?

ELE-

v. 94. *Ancillam*] Blandam ſcilicet amorum conciliatriculam. Terentius elegantiſſime ſuo more Heautont. 2. 3. 57.

Magnum hoc quoque ſignum' ſt, dominam eſſe extra noxiam,
Quum ejus tam negliguntur internuntii.
Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui adfectant viam.

ibid. *medio foro*] Non in angiportu aliquo ſecretiore, at palam, in luce hominum & frequentia; quod impudentis eſt ac diſſoluti. Sic *luce palam in foro ſaltare*, dixit Cicero lib. 1. Officiorum.

v. 95. *H. puer, h. juvenis turba circumterit arcta*] Conveniunt omnes, quibus otium eſt ab re ſua, ut novum hoc portentum admirentur, ſenem nugacem, & ſtrenue amori dantem operam. Ita vero circumſtant, ut miſerum terant, premant, urgeant. Horatius pariter Sat. 3. lib. 1. ad Stoicum philoſophum: *Vellunt tibi barbam*

Laſcivi pueri; quos tu niſi fuſte coërces,
Urgeris turba circum te ſtante.

Idem Ode 13. lib. 2. turbam arctam vocavit, *denſum humeris vulgus.*

v. 96. *Deſpuit in m. & ſibi quiſque ſinus*] Ut portentum averterent. Superſtitio veterum. Theocritus Idyllio 6. v. 39.

Ὡς μὴ βασκανθῶ δέ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.
Ne vero faſcino læderer, ter ipſe in gremium meum inſpui.

Et Idyllio 20. v. 11.

Καὶ κακὸν ἐξόζεις. ἀπ' ἐμεῦ φύγε, μή με μολύνῃς.
Τοιάδε μυθίζοισα, τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον.
Et male oles. fuge hinc a me, ne me contamines.
Hæc locuta, ter in ſuum deſpuit ſinum.

Hoc modo expiabant etiam homicidium occulte perpetratum. Apollonius Rhodius lib. 4. Argonautic. v. 479.

Τρὶς δ' ἀπέλειξε φόνου, τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυσ' ὀδόντων,
Ἣ θέμις αὐθέντῃσι δολοκτασίας ἱλάεσθαι.
Ter delingit ſanguinem occiſi, ter dentibus exſpuit februa.
Prout fas eſt percuſſori clandeſtinam expiare cædem.

Ceterum, magnam vim ſalivæ hominis ineſſe, docet Plinius Nat. Hiſt. lib. 28. cap. 4. quem vide. Fuiſſe certum aliquem morbum, cui non alia ratione mederentur, indicat Plautus Captivis 3. 2. 18.

Et illic iſti, qui ſputatur, morbus interdum venit.

Inferius etiam 21.

Et eum morbum mihi eſſe, ut qui me opus ſit inſputarier.

ibid. *molles ſinus*] Teneros. Nam qui ſenem delirum circumſtabant, juvenes erant ac pueri. Niſi accipiendum eſt de ſinibus veſtium lanearum, quibus eo tempore induebantur. Mollities lanæ propria. Catullus ideo Carm. 25. *laneum latuſculum* dixit, pro *molle*, ac *tenerum.*

v. 97. *ſemper tibi dedita ſerviit Mens mea*] Dedita; nimirum obnoxia, ſubjecta. Cicero pro Milone: *Nos, qui ſemper veſtræ auctoritati dediti fuimus.* Livius lib. 39. *Mater dedita viro erat.* Similem ſententiam ita expreſſit Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 9. Cupidinem allocutus:

Nos tua ſentimus populus tibi deditus arma:
Pigra reluctanti ceſſat in hoſte manus.

Conſueverunt Romani, teſte Marone lib. 6. Æneidos v. 854.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Propterea Campani, *quum urgerentur a Samnitibus bello, auxilio adverſus eos a ſenatu*

E peti-

petito; quum id non impetrarent, urbem atque agros populo Romano dediderunt. ob quam cauſſam ea quæ populi Romani facta eſſent, defendi bello adverſus Samnites placuit. Verba ſunt Flori Epitome Liviana l. 7. Franciſcus Petrareha Ode 4. prope ad Tibulli mentem, eleganter & callide:

Ond' io gridai con carta, e con inchioſtro,
Non ſon mio nò: s' io moro, il danno è voſtro.

v. 98. *quid meſſes uris a. tuas?*] Par illud Flacci adagium Epiſt. 1. lib. 2. v. 220. *vineta ſua cædere:* & illud Hetruſcorum: *tirar' a' ſuoi colombi.* Meſſes alienas urere, ad ultimas inimicitias pertinet. Ariſtæus apud Virgilium 4. Georg. v. 330.

Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes:
Ure ſata, & validam in vites molire bipennem;
Tanta meæ ſi te ceperunt tædia laudis.

Unde Ludovicus Areoſtus Cantu 10. R. F.

Ma foco mai così non acceſ' eſca;
Nè ſe lo pongan l' invide e nemiche
Mani talor nelle mature ſpiche.

ELEGIA III.

IBITIS Ægeas ſine me, Meſſala, per undas,
O utinam memores ipſe, cohorſque mei.

Me

ARGUMENTUM ELEGIÆ III. LIBRI I.

Quum adverſa valetudine Corcyræ detineretur quominus Meſſalam patronum ſuum in expeditione Syriaca ſequi poſſet, longa itinera damnat, ſeque mox ad Elyſios morte obita migraturum ſperat.

VERSU I. *Ibitis, Meſſala*] Poeta Meſſalam alloquens, utitur verbo numeri multitudinis, quod is cum exercitu & cohorte in Syriam proficiſceretur, & plurimis præfectus eſſet; non igitur ad imperatorem ſolum, ſed ad imperatorem ſimul & comites orationem convertit. Eodem pacto Cicero lib. 1. de Oratore: *Sulpitius: Inſperanti mihi, inquit, & Cottæ, ſed valde optanti utrique noſtrûm cecidit, ut in iſtum ſermonem, Craſſe, delaberemini.* Aderant enim alii præter Craſſum. Livius pariter lib. 39. *Ea quoque ipſa vos mihi, Q. Cæcili, paucos ante dies ademiſtis.* Plautus Pœnulo 3. 2. 27. *Agite, intro abite, Agoraſtocles.* Idem Milite Glor. 3. 1. 1. *Cohibete intra limen etiam vos parumper, Pleuſides.* Virgilius Æneid. lib. 9. v. 525. *Vos, o Calliope, precor adſpirate canenti.* Calliopen advocat cum octo ſororibus. Silius Italicus lib. 16. Punic. v. 212.

Et vos, qui Tyriæ regitis Karthaginis arces,
Haſdrubal, huc aures, huc quæſo advertite ſenſus.

Valerius Flaccus denique lib. 8. Argonaut. v. 178.

Vos, ait, Æſonide, contenti vellere capto,
Nec via quæ ſuperet, nec qua fortuna, videtis.

ibid. *Meſſala*] Quæ fuerit hujus cognominis origo, tradit Macrobius Saturnal. l. 1. cap. 6. *Sic Meſſala tuus, Aviene, dictus a cognomento Valerii Maximi; qui poſtquam Meſſanam urbem Siciliæ nobiliſſimam cepit, Meſſala cognominatus eſt.* Porro Tibulli patronus, in hac familia natus, vocabatur M. Valerius Corvinus Meſſala, is qui primus Auguſtum Patrem Patriæ ſalutavit, Suetonio teſte in Octaviano cap. 58. Contigit ejus ortus Olympiade 180. anno 2. quod & T. Livium litteris tradidiſſe, refert D. Hieronymus in Chronicis. Adoleſcens Triumviris formidini fuit: occiſo enim a conjuratis C. Julio Cæſare, ipſe ad Brutum fugit. Triumviri eum e numero proſcriptorum exemtum voluerunt, quod ne in Urbe quidem fuiſſet quum Cæſar occideretur. Bruto deinde & Caſſio in Thracia cæſis, reliquiæ exercitus illorum Meſſalam ducem ſibi optabant. Is imperium detrectans,

auctor

Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.
  Abſtineas avidas, Mors, precor, atra, manus.
Abſtineas, Mors atra, precor. non hic mihi mater,
  Quæ legat in mœſtos oſſa peruſta ſinus:
Non ſoror, Aſſyrios cineri quæ dedat odores,
  Et fleat effuſis ante ſepulcra comis:
Delia non uſquam, quæ me quam mitteret urbe,
  Dicitur ante omnes conſuluiſſe deos.

auctor eis fuit, ut fortunæ cedentes tranſirent ad militiam Antonii, cui poſtea familiariter adhæſit, donec 'ſuperbia Cleopatræ offenſus migravit ad Octavianum. Hic vero conſulem eum ſuffecit in ipſius Antonii locum, quando ille iterum hoſtis a ſenatu judicatus eſt. Navali quoque prœlio ad Actium egregie pugnavit pro Cæſare: deinde contra Galles rebelles miſſus, victor triumphum meruit. Expeditionem Gallicam Meſſalæ Tibullus, perpetuus ejus comes, non obſcure ſignificat Elegia 7. hujus libri. Denique in Syriam profectus eſt cum imperio extraordinario A.U. DCCXXIV. ut oſtendit vir ſummus Henricus Noriſius Cenotaph. Piſan. Diſſert. 2. cap. 16. §. 7. Eloquentiſſimus fuit, patriæ amantiſſimus, & omni virtute ornatus. Hiſtoriam etiam videtur ſcripſiſſe, ſi divinare liect, rerum geſtarum Auguſti. De Meſſala conſulendi Appianus lib. 4. & 5. Bellorum Civilium, Plutarchus in calce Vitæ M. Bruti, & Vellejus Paterculus lib. 2. qui eum invidendis laudibus cumulat. Plura ſuppedirabit Voſſius de Hiſt. Latinis lib. 1. cap. 18.

v. 2. *ipſe, cohorſque*] Comites præſidum, proconſulum, prætorum qui cum imperio in provincias mittebantur, cohortem appellavere. Catullus Carm. 10.

Præſertim quibus eſſet irrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.

Ab hac voce derivatur vox Italica *Corte*, qua utimur ad ſignificandam aulam virorum principum, & aulicos qui eiſdem præſto ſunt.

v. 3. *Phæacia*] Corcyra, olim Scheria, hodie *Corfù*, inſula maris Ionii, quam Phæaces habitaverunt, a Nauſithoo Alcinoi patre ex Hyperia illuc deducti. Vide Homerum in Odyſſea, & Eminentiſſimum Angelum Mariam Quirinum S. R. E. Cardinalem in opere præclaro de Antiquiraribus Corcyræ.

v. 4. *Mors atra*] Ita Virgilius Æneid. lib. 6. v. 867.

Sed nox atra caput triſti circumvolat umbra.

Prior Homerus dixerat Odyſſeæ lib. 4. v. 180.

Πρὶν γ' ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.

Donec jam mortis nigra nebula obtexiſſet.

Vide quæ animadvertimus ad Carmen 3. Catulli v. 11.

v. 5. *non hic mihi mater*] Quæ ſcilicet me proficiſcente manſit Romæ.

v. 6. *Quæ legat in m. oſſa peruſta ſ.*] Hoc officium legendi oſſa mortuorum, quæ ex igne rogi reliqua eſſent, pertinebat ad proximâ conſanguinirate conjunctos. Vide noſtrum lib. 3. Eleg. 2. & quæ ibi nos dicturi ſumus.

v. 7. *Aſſyrios cineri quæ dedat odores*] Quæ unguenta Syriaca, & gentium Syriæ vicinarum, magno ſumtu parata in urnam recondat. Broukhuſius mallet *fundat*: ego nihil mutandum cenſeo. *dedere* hic eſt *dicare*, *ſacrare*. Frequens eſt in Romanis Inſcriptionibus: D. M. S. *Diis Manibus ſacrum*.

v. 9. *Delia non uſquam*] Hic Delia non comparet, longe abeſt. *Nuſquam eſt* dicebant etiam de mortuo, pro *vixit*, *ad plures abiit*. Horatius Sat. 5. lib. 2. v. 101.

— — — Ergo nunc Dama ſodalis
Nuſquam eſt? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?

ibid. *quam mitteret urbe Dicitur ante o. c. d.*] *Quam ante*, pro *antequam*. ὕστερον πρότερον. Ita Propertius lib. 2. Eleg. 25.

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Rettulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus. tamen eſt deterrita numquam,
Quin fleret, noſtras reſpiceretque vias.

Ipſe

Septima quam metam triverit ante rota.

v. 10. *omnes conſuluiſſe deos*] Reſponſa oraculorum petiviſſe, vatum & ſacerdotum ſententiam rogaviſſe, ut ſciret, an utilis futura eſſet mihi amatori ſuo profectio iſta. Vide quæ animadvertimus ad Elegiam 5. lib. 4. Propertii v. 17.

v. 11. *Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit*] Præneſtinas, & Aotiatinas ſortes videtur Delia cooſuluiſſe, quarum ſama celeberrima. *Pueri ſortes* appellat noſter, quoniam *Fortunæ monitu, pueri manu miſcebantur, atque ducebantur*, ut Cicero teſtatur luculente lib. 2. de Divioat. cap. 41. Pueris etiam recentiora ſæcula uſa in ſortibus ducendis, quod in ſimplicem illam ætatem ſuſpicio fraudis non cadat. Ludovicus Areoſtus Cantu 30. R. F.

Un ſemplice fanciul nell' urna meſſe
La mano, e preſe un breve, e vennea caſo,
Che in queſto il nome di Ruggier ſi leſſe,
Eſſendo quel del Serican rimaſo.

v. 12. *Rettulit e triviis omina certa puer*] Male Broukhuſius *e trinis*, ut referatur ad præcedentia, *ter ſuſtulit*. Hanc lectionem codices non agnoſcuot. Aliud geous divinationis memorat Albius noſter io pentametro, nempe omina, quæ plerumque captabantur ex pueris io trivio forte fortuna prætereuntibus. Veteres illi ſuperſtitioſi vocem quamlibet tranſeuntium ſubito auditam, ominis loco habebant. Puer igitur e triviis retulit Deliæ omina certa, quod nimirum puer aliquis caſu prætereuns vocem miſerit fauſtæ ſignificationis. Ineptiarum prope ſimilium fuit divinatio illa ab Horatio memorara Sat. 3. lib. 2. v. 272.

Quid? quum Picenis excerpens ſemina pomis,
Gaudes, ſi cameram percuſſi forte; penes te es?

Mala etiam omioa ſumebantur ex pueris, ut teſtatur D. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 20. cujus afferam verba: *His adjunguntur millia inaniſſimarum obſervationum; ſi membrum aliquod ſalierit, ſi junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit: atque illud quod lapidem calcant, tamquam diremtorem amicitiæ, minus moleſtum eſt, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, ſi pariter ambulantibus intercurrit*. Porro augurium ipſum, ſcilicet divinatio ab avium volatu petita, interdum a poetis omeo appellatur. Virgilius Æneid. 3. v. 361.

Et volucrum cantus, & præpetis omina pennæ.

v. 13. *Cuncta dabant reditus*] Divini puta, ſomniorum conjectores, augures, haruſpices, omina, reditui meo ſuffragabaotur, me rediturum promittebant. *Dare* hic eſt *concedere, non abnuere*.

ibid. *tamen eſt deterrita numquam, Quin fleret, n. r. v.*] Probe ſciebat Delia, flere ac ſæpe reſpicere in diſceſſu carorum triſte aliquid portendere, maliſque omioibus aonumerari: nihilominus dolore victa, non poterat a lacrimis temperare, ſeque cohibere, quin idemtidem me abeuotem reſpiceret. Veriſſima hæc explicatio debetur Jo. Friderico Gronovio Diatribe in Statii Silvas cap. 26. Locus Papinii, qui Tibulli ſententiam illuſtrat, occurrit lib. 3. Silv. Carm. 2. v. 50. de Metii Celeris diſceſſu:

Audimur: vocat ipſe ratem, nautaſque morantes
Increpat: inde meum timido jam frigore pectus
Labitur, & nequeo, quamvis monet ominis horror,
Claudere ſuſpenſos oculorum in margine fletus.

Addo ego Maroois locum ex 12. Æneid. v. 71. de Turno pugnatum abeunte:

Ardet in arma magis, pauciſque adfatur Amatam:
Ne, quaſo, ne me lacrimis, neve omine tanto
Proſequere in duri certamina Martis euntem.

Cun-

Ipſe ego ſolator, quum jam mandata dediſſem,
Quærebam tardas anxius uſque moras.
Aut ego ſum cauſſatus aves, aut omina dira:
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.
O quoties ingreſſus iter mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem!

Audeat

Cuncta igitur ſigna in diſceſſu Tibulli fauſta & felicia erant : ſolus Deliæ fletus, & reſpectus frequens tot bona ſigna iotertur-babaot. *Deterrere* hic eſt *dehortari*, *a propoſito abducere*.

v. 15. *Ipſe ego ſolator*] Qui ſolari conabar Deliam, ejuſque dolorem verbis & argumentis lenire.

ibid. *mandata dediſſem*] Ut ſolebant profecturi. Idem ſibi uſuveniſſe, quum Româ juſſu principis diſcederet, ſcribit Ovidius lib. 1. Triſtium Eleg. 3.

Sæpe, Vale dicto, rurſus ſum multa locutus,
Et quaſi diſcedens oſcula ſumma dedi.
Sæpe eadem mandata dedi, meque ipſe fefelli,
Reſpiciens oculis pignora cara meis.

v. 17. *Aut ego ſ. cauſſatus aves, aut omina d.*] Hoc verſu diſtinguit poeta auſpicium ab omine. Maxima religione Romani omina ſervabaot. Iccirco Appianus Alexandrinus Bellorum Parthicorum lib. 2. vitio vertit M. Craſſo neglectum ominum. Exciderat Craſſo inter concionandum vox infauſta, quæ milites valde terruerat : dixit enim, ſe pontem fluminis ideo rumpere, ut nemo ex illis reverteretur. Abſurdum hoc dictum quum revocare ac declarare debuiſſet propter ominis religionem, neglexit præ contumacia. Idem quum immolaret, exta a vate ſibi tradita paſſus eſt manibus ſibi excidere. quod quum adſtantes moleſte ferrent, ait ſubridens : Hæc ſunt ſenectutis incommoda : ſed arma numquam manibus excident. Omen proprie genus erat divinationis quod capiebatur ex voce aliqua humana ſubito audita. Videndus Cicero in libris de Divinatione. Apud Plautum Mercatore 2. 2. 1. Lyſimachus ſenex ita loquitur:

Profecto ego illunc hircum caſtrari volo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.

Demipho autem alius ſenex, his auditis, ioquit:

Nec omen illud mihi, nec auſpicium placet.
Quaſi hircum, metuo ne uxor me caſtret mea.

Exemplum ominis proprie dicti memorabile atque illuſtre affert Livius io calce lib. 5. *Rem dubiam decrevit opportune vox emiſſa, quod quum Senatus poſt paullo de his rebus in curia Hoſtilia haberetur, cohorteſque ex præſidiis revertentes forte agmine forum tranſirent, centurio in comitio exclamavit :* Signifer, ſtatue ſignum : hic manebimus optime. *qua voce audita, & ſenatus, accipere ſe omen, ex curia egreſſus, conclamavit, & plebes circumfuſa approbavit.*

v. 18. *Saturni a. ſacram me tenuiſſe diem*] Quæ dies *rebus minus apta gerendis* vocatur ab Ovidio Artis Amat. l. 1. v. 415. ominoſum enim fuit, plerumque aleæ, Saturni die, ſeu Sabbato, io viam ſe dare. Nimirum Romani ſuperſtitiones peregrinas in urbem receperant; ſed potiſſimum Judaicam religionem obſervabaot; cujus rei auctores locupletes Horatius Sat. 9. lib. 1. Perſius Sat. 5. v. 184. & Juvenalis Sat. 14. a verſu 97. Propterea minus placent qui hunc Tibulli verſiculum accipiunt de Saturnalibus : præcipue quum Ovidius a me ſtet, qui Remediorum Amoris v. 219. juvenes δυσέρωτας ad longa itinera ineunda ſic hortatur:

Nec pluvias vites, nec te peregrina morentur
Sabbata, nec damnis Allia nota ſuis.

Porro *tenuiſſe*, dictum pro *retinuiſſe*, *moratam eſſe*.

v. 20. *Offenſum in porta pedem*] Hoc quoque fuit inter mala omioa. Ceterum offenditur pes io limine, offenditur & limen ipſum, in quod pes impingit. *Pedis leviter offenſi* meminit Seneca lib. 6. Natur.

Quæſt.

Digitized by Google

Audeat invito ne quis diſcedere amore,
  Aut ſciat egreſſum ſe prohibente deo.
Quid tua nunc Iſis mihi, Delia: quid mihi proſunt
  Illa tuâ toties æra repulſa manu?
Quidve, pie dum ſacra colis, pureque lavari
  Te (memini) & puro ſecubuiſſe toro?

Nunc,

Quæſt. cap. ultimo. Liminis Ovidius Epiſt. Laodamiæ v. 87.

Quum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenſo limine ſigna dedit.

v. 23. *Quid tua nunc Iſis mihi, Delia*] In Iſidis fide ac tutela fuiſſe navigantes, oſtendit Hadrianus Turnebus Adverſ. lib. 16. cap. 4. Tibullo propterea iter maritimum ſuſcepturo, Delia Iſidi ſupplicaverat pro ſalute amatoris, & in ejus deæ caſto fuerat: nam eo tempore ſuperſtitiones Ægyptiæ Romæ regnabant. Vide Propertium lib. 2. Eleg. 33. Si quis *ſibi* legere malit, quod præferunt veteres editiones, eodem recidet ſententia: uno enim amantium ægrotante, alter valere non poteſt.

v. 24. *æra repulſa manu*] Siſtrum Ægyptiacum intelligit, quod nihil aliud erat quam *æneum crepitaculum*, ut id vocat Appulejus lib. 1. Metamorph. conſtans ex lamina anguſta, in modum baltei recurvata, per quam mediam virgulæ aliquot trajiciebantur, quæ criſpante brachio ter pulſæ, reddebant argutum ſonorem. Propterea Martialis in Apophoretis Epigr. 54. omne crepitaculum appellat ſiſtrum:

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula ſiſtra manu.

nempe crepundia, quibus oblectantur infantes pueri. Propertius lib. 3. Eleg. 11.

Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro.

Ovidius quoque lib. 9. Metamorph. v. 783. *crepuitque ſonabile ſiſtrum*. Iſis cum ſiſtro fingebatur, eoque utebantur Iſidis ſacerdotes. Vide Menſam Iſiacam Laurentii Pignorii pag. 67. ubi etiam forma ſiſtri exhibetur ex muſæo Franciſci Gualdi. Virgæ trajectæ deſinunt utrimque in aſpidum capita: in ſummo ſiſtro recubat Sphinx.

v. 25. *pureque lavari*] Erant balnea Romæ, in quibus viri & mulieres promiſcue lavabant. Hæc *lavacra mixta edicto* poſtea *ſubmovit*, teſte Julio Capitolino, M. Aurelius Antoninus, princeps verecundiæ ac pudicitiæ ſtudioſus. Erant & balnea ſecretiora, quibus mares, vel feminæ utebantur, altero ſexu amoto & ſecluſo. Delia igitur pure lavit in hujuſmodi balneo, ut ſacro Iſidis adeſſe poſſet ſine piaculo. Hanc explicationem veram eſſe oſtendunt ſequentia, *puro ſecubuiſſe toro*, nimirum procul a viri complexibus. Livius lib. 5. Hiſt. *Delecti ex omni exercitu juvenes, pure lotis corporibus, candida veſte, quibus deportanda Romam regina Juno aſſignata erat*. Idem lib. 39. *Damnatam voti, deûm benignitate, exſolvere id velle: decem dierum caſtimonia opus eſſe. Decimo die cœnatum, deinde pure lautum in ſacrarium deducturam*.

ibid. *pureque lavari Te (memini)*] *τὸ memini* ſigno παρενθέσεως includendum: repeti enim debet *ἀπὸ κοινοῦ prodeſt*. Quid mihi prodeſt, o Delia, te pure laviſſe, & puram a virili contubernio recubuiſſe? memini enim, te hujuſmodi cærimoniis uſam. Broukhuſius legit ſine parentheſi; quod tametſi hujus diſtichi ſententiam impedit & obſcurat, nihilominus ferri poteſt. *Memini te pure lavari*, pro *laviſſe*, Latinum eſt, atque adeo elegans. Hoc verbum tempori præſenti jungi non licere, perperam docet Agroetius vetus grammaticus. exempla enim optimorum ſcriptorum adverſantur. Virgilius Ecloga 1. v. 16.

Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læva fuiſſet,
De cælo tactas memini prædicere quercus.

Seneca Rhetor Controverſia 9. *Memini optime dicere illum pro juvene adulterii reo*. Plautus Menæchmis 5. 9. 15. — — *non commeminiſti ſimul Te hodie mecum exire e navi?* Ita Cicero in Oratore ad Brutum cap. 7. uſus eſt verbo *recordari*: *Recordor longe omnibus*

Digitized by Google

Nunc, dea, nunc ſuccurre mihi. nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis:
Ut mea votivas perſolvens Delia pœnas,
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.
Biſque die reſoluta comas tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

At

bus unum anteferre Demoſthenem. ὑπάκει με.

v. 27. *poſſe mederi Picta docet t. multa tabella t.*] Subaudi *te*. *Docet*, nempe indicat, oſtendit, argumento eſt. Ita *documentum* pro indicio atque argumento nonnumquam ſumitur. Ovidius 1. Metamorph. v. 415.

Et documenta damus, qua ſimus origine nati.

Hunc ritum ſuſpendendi tabellas votivas in templis deorum, quibus periculo aut morbo liberati valetudinem & incolumitatem debere ſe profitebantur, calumniatur Auctor Clementinorum Homilia 9. §. 17. ubi de conſiliis Æſculapii. Verba ejus afferam: Ἄλλοι δὲ νοσήσαντες, καὶ εὐξάμενοι, ἐξ αὐτομάτου ὑγιάναντες ὡς ἐπικαλέσαιντο ἔγραψαν, καὶ ἀναθήματα ἐποίησαν. οἱ μὲν τοίγε μετὰ εὐχὴν διαφωνήσαντες, τῆς ἀποτυχίας ἀναθεῖναι οὐ δύνανται. h. e. *Alii vero ægroti poſt preces recepta ſanitate, iis quos invocaverant adſcripſerunt, & donaria appenderunt. Qui autem poſt votum decepti exſpirarunt, infortunia non poſſunt dedicare.* Arnobius item lib. 1. Contra Gentes: *Quot millia vultis a nobis debilium vobis oſtendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retuliſſe medicinam, quum per omnia ſupplices irent templa?* -- -- Et paullo poſt: *Quid ergo prodeſt oſtendere unum aut alterum fortaſſe curatos, quum tot millibus ſubvenerit nemo, & plena ſint omnia miſerorum infeliciumque delubra.* Huc pertinet Diagoræ Melii reſponſio apud Ciceronem lib. 3. de Nat. Deorum.

v. 29. *votivas perſolvens Delia pœnas*] Mulctam videlicet, quam ſibi puella voto impoſuit. Non placet *votivas noctes*, nempe ſecubitum aliquot noctium; fit enim continuo mentio de ſeſſione. Laudes vero Iſidis, ut recte animadvertit Broukhuſius, de die, non de nocte canebantur. Sed neque *votivas voces*, quod ipſi arridet, probaverim: durum enim cenſeo, neque Latinum ſatis.

v. 30. *Ante ſacras lino tecta fores ſedeat*] Ovidius lib. 1. Ponticorum Epiſt. 1.

Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.

Lineis veſtibus, tamquam omnium puriſſimis, operiebantur Iſiaci, & ipſum quoque Oſiridis ſimulacrum. Lucanus lib. 9. v. 158.

Evolvam buſto jam numen gentibus Iſin,
Et tectum lino ſpargam per vulgus Oſirim.

Vide Adagium apud Eraſmum: *Adorantes ſedeant*. Martialis Epigr. 14. lib. 2.

Hic quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Aſſidet & cathedris, mœſta juvenca, tuis.

Porro ſedebant non in templis, ſed in veſtibulis templorum, ut videre eſt hoc loco Tibulli, & apud Senecam Epiſt. 95. *Vetemus*, inquit, *ſalutationibus matutinis fungi, & foribus aſſidere templorum: humana ambitio iſtis officiis capitur.*

v. 31. *Biſque die r. c. tibi dicere laudes -- debeat*] Hora diei prima (quod Joſephus Scaliger ad hunc locum ante alios omnes animadvertit) ſacerdotes Iſidis templum aperiebant, deinde ſalutabant deam, poſtea, moto e ſede ſua ſimulacro, id aſello impoſitum circumferebant, totum diem ſtipem emendicantes. poſtremo ad octavam redibant, deam componebant, templum claudebant. Laudes igitur deæ ab Iſiacis bis die canebantur, nimirum & quum deam ſalutarent, & antequam templum clauderent. Id liquet ex Appulejo lib. 11. Metamorph. & ex Arnobio lib. 7. Contra Gentes. Has laudes vocabant etiam Curationes & θεραπείαν: cui vocabulo reſpondere crediderim *Officium*, quo in ſacris hodie utimur. Simile quidpiam de Chriſtianis narrat Plinius Trajano Epiſt. 97. lib. 10. *Quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire:*

car-

At mihi contingat patrios celebrare Penates,
  Reddereque antiquo menſtrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priuſquam
  Tellus in longas eſt patefacta vias!
Nondum cæruleas pinus contemſerat undas,
  Effuſum ventis præbueratque ſinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
  Presſerat externa navita merce ratem.

Illo

carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem. Et ſane Monachi & Sacerdotes noſtri piam illam vererum temporum conſuetudinem ſecuti, poſt matutinam ſupplicationem carmen inchoanr, quod Laudes appellanr. Ceterum hoc ritu colebatur & Venus. Horatius Ode 1. lib. 4. Cythercam allocutus:

Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes.

Ira Deliades puellæ Apollinem & Dianam frequentes laudabant. Vide Homerum Hymno in Apollinem v. 157. & ſequu. Iſidis templum Romæ fuit in campo Marrio juxta Ovile, uude illam vocabant Campenſem..

ibid. *reſoluta comas — — — Inſignis*] Dicit inſignem, quod comata eſſet inter calvos: nam Iſiaci raſo capite incedebant. Martialis lib. 12. Epigr. 29.

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba,
Inter adorantes quum ſtetit Hermogenes.

Idem lib. 10. Epigr. 48.

Nuntiat octavam Phariæ ſua turba juvencæ,
Atque pilata redit, jamque ſubitque cohors.

uti reſtituit Scriverius monitus a. Joſepho Scaligero. *pilata*, depilara, volſa, glabra. Capillis autem ſolutis animi demiſſionem, ac metum deorum mulieres ſignificabant.

v. 32. *turba in Pharia*] Ægyptiaca: nam Iſis dea Ægypria. Pharus, oppidum regium haud procul Alexandria, in inſula oblonga continenti ponte juncta. Ibi celeberrima illa turris quæ navigantibus facem lucebat. Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 348.

— — — hæc procul Io
Spectat ab arce Phari, jam divis addita, jamque
Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.

v. 33. *At m. contingat patrios celebrare Penates*] Quum ſcilicet ſanitati reſtiturus, incolumis rediero a longa peregrinatione.

v. 34. *Reddereque*] Pari numero Lucretius lib. 2. v. 279.

— — — tamen eſſe in pectore noſtro
Quiddam, quod contra pugnare, obſtareque poſſit.

Durius vero Manilius lib. 2. Aſtronomic. v. 49.

Cernere ut inter ſe poſſint, audireque quædam.

ibid. *antiquo menſtrua tura Lari*] Curabant enim Lares, eorumque armarium aperiebant ſingulis Kalendis. Propertius lib. 4. Eleg. 3.

— — — rariſque aſſueta Kalendis
Vix aperit clauſos una puella Lares.

Sed & naſcente Luna rem divinam Laribus nonnumquam faciebant. Vide Horatium Ode 23. lib. 3.

v. 35. *Quam bene Saturno vivebant rege, priuſquam &c.*] Hunc Tibulli verſum ita παρῳδεῖ Juvenalis Sat. 13. v. 38.

Quondam hoc indigenæ vivebant more, priuſquam &c.

v. 36. *Tellus in longas eſt patefacta vias*] Ira Papinius dixit, *æquor patefacere*, & Valerius Flaccus *aperire pelagus*. Vide Broukhuſium.

v. 38. *Effuſum ſinum*] Subaudi *velorum*.

v. 39. *Ignotis terris*] Eodem pacto ſuperius v. 3.

Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.

Ci-

Digitized by Google

Illo non validus ſubiit juga tempore taurus:
  Non domito frœnos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit: non fixus in agris,
  Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipſæ mella dabant quercus, ultroque ferebant
  Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella: nec enſem
  Immiti ſævus duxerat arte faber.

Nunc

ibid. *repetens compendia*] Lucra videlicet. Cicero Act. 4. in Verrem ubi Siciliam commendat: *Quos illa mercibus ſuppeditandis, cum quæſtu compendioque dimittit*. Columella Rei Ruſticæ lib. 1. *Ubi ſedulo colitur ager, compendium affert*. Sic *lucra petere* dixit noſter Eleg. 10. hujus libri:

Lucra petituras freta per parentia ventis
  Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.

Contra, *diſpendium* pro damno. Ovidius 1. Amorum Eleg. 7.

In mea veſanas habui diſpendia vires.

Manilius lib. 4. Aſtronomic. v. 19. contraria oppoſuit:

Et vitia & clades, damna & compendia rerum.

v. 40. *Preſſerat externa navita merce ratem*] Oneraverat mercibus peregrinis. Hinc naves onerariæ, ὁλκάδες. Virgilius pariter 1. Georg. v. 303.

Ceu preſſæ quum jam portum tetigere carinæ.

v. 41. *ſubiit juga taurus*] Taurum poſuit pro bove exſecto. Ita Propertius lib. 2. Eleg. 19.

Illic aſſidue tauros ſpectabis arantes.

Nam ceteroqui arationi, ac trahendis plauſtris adhibentur exſecti boves, utpote manſueti. Noſter lib. 2. Eleg. 3.

Dum ſubigunt ſteriles arva ferenda boves.

v. 42. *Non domito frœnos ore momordit equus*] Quod Lapithis, genti Theſſalicæ, tribuit antiquitas. Lucanus lib. 6. v. 396.

Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen
Exſiluit; primus chalybem, frænoſque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.

v. 44. *Qui regeret certis finibus arva, lapis*] *Regere fines*, locutio Juriſconſultorum ſolennis: eam reſpicere videtur Tibullus. Cicero pro L. Muræna, ubi comparat ſtudium juris civilis cum re militari: *Ille exercitatus eſt in propagandis finibus, tu in regendis*. Idem lib. 1. de Legibus: *Nec Manilia lege ſinguli, ſed his tres arbitri fines regemus*. *Dirigere finem* Livius dixit lib. 39. *De jure*, inquit, *etiam finium pauca adjecerunt: Q. Fabium Labeonem, quum in regione ea fuiſſet, direxiſſe finem Philippo veterem viam regiam, quæ ad Thraciæ Paroreiam ſubeat; nuſquam ad mare declinantem. Philippum novam poſtea deflexiſſe viam, qua Maronitarum urbes agroſque amplectatur.*

v. 46. *ubera lactis*] Prior Lucretius lib. 1. v. 884.

— — — herbas quoque ſæpe decebat,
Et latices, dulces guttas, ſimilique ſapore
Mittere, lanigeræ quali ſunt ubera lactis.

Mammas dixerunt *ubera* ab ubertate. Id teſtatur Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Quæ paullo ante nata ſunt, ſine magiſtro, duce natura, mammas appetunt, earumque ubertate ſaturantur*. Hanc locutionem & alio modo variaverunt. Lucretius lib. 5. v. 883.

Ubera mammarum in ſomnis lactantia quærit.

Virgilius 2. Georg. v. 524. — — *ubera vaccæ Lactea demittunt*. Idem poeta princeps *uber* pro abundantia uſurpavit Æneid. 3. v. 164.

Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.

Græci pariter locuti ſunt. Euripides Phœniſſis v. 1524. ματέρος ἐμᾶς ἐν διδύμοις γάλακτος παρὰ μαστοῖσιν.

v. 47. *Non acies, non ira fuit, non bella*]

F Pla-

Nunc Jove ſub domino cædes, nunc vulnera ſemper:
Nunc mare; nunc leti mille repente viæ.
Parce, pater. timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in ſanctos impia verba deos.

Quod

Placer Broukhuſii conjectura : *Non animi, non ira fuit*. animoſi enim & μέγα φρονῦντες facile iraſcuntur, quod contemtum pati non poſſint. Hæc duo conjunxit etiam Ovidius Epiſt. Briſeidos v. 85.

Vince animos iramque tuam, qui cetera vincit.

Ceterum ſimilibus numeris Juvenalis Sat. 10. v. 163.

Finem animæ quæ res humanas miſcuit olim,
Non gladii, non ſaxa dabunt, nec tela, ſed ille
Cannarum vindex, & tanti ſanguinis ultor
Anulus.

ibid. *nec enſes I. ſ. duxerat arte faber*] Ferri lamina malleo ducitur, ex qua faber enſem procudit. Auctori Liberi Carminis Epigr. 32. *ductor ferreus inſularis* eſt χαλκῦργός τις, faber gladiorum opiſex ; quem inſularem poeta vocat, quod inſulæ ſodinas multas haberent, & in eas deportarentur damnati ad opus metalli. *Ducere* eſt ἐλαύνειν. Hæc debentur Joſepho Scaligero ad Priapeja. Pulchre S. Auguſtinus Enarrat. 3. in Pſalmum 32. num. 10. *Tuba ductilis malleo producitur : ita Chriſtianum cor in Deum preſſurarum plagis extenditur*. Idem in Pſalmum 38. num. 16. μεταφορικῶς : *Tunde ut producat, non ut comminuat.*

v. 50. *nunc leti mille repente viæ*] Broukhuſius ex codice Vaticano quarto a Nic. Heinſio collato: *leto multa reperta via*. Sed nibil mutandum. *Mille mortes, mille formæ mortis*, locutiones ſunt bonis auctoribus uſitatæ. M. Seneca Controverſia 16. *Hæc eſt conditio miſerrima humani generis, quod naſcimur uno modo, multis morimur: laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille aliæ mortes inſidiantur huic miſerrimæ animæ*. Et alius Seneca Hippolyto v. 548.

Invenit artes bellicus Mavors novas,
Et mille formas mortis.

Sic & *mille viæ*. Leti via eſt quidquid mortem adducit. Virgilius 3. Æneidos, de Scylla & Charybdi : *utramque viam leti diſcrimine parvo*. Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 32. -- -- *letique vias ac tempora verſat*. *τὸ repente*, quod Broukhuſius non probat, ſignificat, mortis vim ſingulis mortalibus plerumque improviſam eſſe ; ſive inſperatam, non exſpectatam. Horatius lib. 2. Ode 13. mirifice Tibullum illuſtrat:

Quid quiſque vitet, numquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. navita Boſporum
Pœnus perhorreſcit, neque ultra
Cæca timet aliunde fata:
Miles ſagittas & celerem fugam
Parthi; catenas Parthus & Italum
Robur: ſed improviſa leti
Vis rapuit rapietque gentes.

v. 51. *pater*] Juppiter, quem κατ' ἐξοχὴν appellabant patrem.

ibid. *timidum non me perjuria terrent*] Scelerum ſibi conſcii timere ſolent ne a diis immortalibus merito ſupplicio puniantur. Tibullus contra, quod nec pejeraverit, nec deos maledictis læſerit, fiduciæ plenus eſt. Nam *hic murus aheneus Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.*

v. 53. *Quod ſi fatales jam nunc explevimus annos*] A Parcis & ſato naſcenti mihi præſcriptos, ultra quos vitam producere non licet. Qui ſint ſatales anni, docte admodum oſtendit Macrobius lib. 1. Comment. in Somnium Scipionis cap. 13. *Addis etiam* (Plotinus) *illam ſolam eſſe naturalem mortem, ubi corpus animam, non anima corpus relinquit. conſtat enim, numerorum certam conſtitutamque rationem animas ſociare corporibus. hi numeri dum ſuperſunt, perſeverat corpus animari ; quum vero deficiunt, mox arcana illa vis ſolvitur qua ſocietas ipſa conſtabat. & hoc eſt quod fatum & fatalia vitæ tempora vocamus*. Meminit fatalium annorum Ovidius Triſtium lib. 3. Eleg. 3. Tibullum ſecutus:

Si tamen implevit mea ſors, quos debuit, annos;
Et mihi vivendi tam cito finis adeſt;

Quan-

Quod ſi fatales jam nunc explevimus annos,
  Fac lapis his ſcriptus ſtet ſuper oſſa notis:
Hic jacet immiti conſumtus morte Tibullus,
  Meſſalam terra dum ſequiturque mari.
Sed me, quod facilis tenero ſum ſemper Amori,
  Ipſa Venus campos ducet in Elyſios.
Hic choreæ, cantuſque vigent, paſſimque vagantes
  Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.

Fert

Quantum erat, o magni, perituro parcere, divi;
Us ſaltem patriâ contumularer humo?

Idem Epiſt. Briſeidos v. 135. -- -- *ſic omnes Peleus pater impleat annos*. Verum hic *omnes anni* videntur eſſe ſenecta ultima, ad quam pauci hominum perveniunt. *Moriendo fatum implere vitæ* dixerat Homerus Iliados 4. v. 170.

Αἴ κε θάνῃς, καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο.

Ceterum, qui ſe ipſi interficiebant, credebantur fatum antevertere. Ita Dido illa Virgiliana Æneid. 4. v. 696.

-- -- -- *nec fato, merita nec morte peribat,*
Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore.

Contra Euripides Alceſtide v. 695.

Καὶ ζῇς παρελθὼν τὴν πεπρωμένην τύχην.
Et vivis prætergreſſus fatalem diem.

v. 54. *lapis his ſcriptus ſtet ſuper oſſa notis*] Cippum ſepulcralem intellige, quem ei loco ſuperponebant in quo urna cum oſſibus defoſſa erat. Hujuſmodi cippis notas incidebant. Horatius Sat. 8. lib. 1. v. 12.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne ſequeretur.

Notæ ſolennes fuere: H. M. H. N. S. nempe, *Hoc monumentum heredes non ſequitur*.

v. 55. *immiti conſumtus morte*] Fatali quidem, ſed acerba & prænatura.

v. 58. *Ipſa Venus campos ducet in Elyſios*] Manium ſcilicet reliquorum dux erat Mercurius. Audiamus Horatium Ode 24. l. 1.

Non vanæ redeat ſanguis imagini,
  Quam virga ſemel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

Et ſuperius Ode 10. ad ipſum deum:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, ſuperis deorum
    Gratus & imis.

Addendus locus illuſtris Valerii Flacci in calce lib. 1. Argonaut.

Quos omnes lenis plantis, & lampada quaſſans,
Progenies Atlantis agit. lucet via late
Igne dei: donec ſilvas & amœna piorum
Deveniant, campoſque, ubi Sol, totumque per annum
Durat aprica dies, thiaſique, chorique virorum,
Carminaque.

Vide Lucianum quoque in Dialogis Mortuorum. Campos Elyſios plerique antiquorum collocaverunt in inſulis fortunatis. M. Tullius in Hortenſio apud D. Auguſtinum lib. 14. de Trinitate cap. 9. *Si nobis, quum ex hac vita migraverimus, in beatorum inſulis, immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus eſſet eloquentia, quum judicia nulla fierent?* A Platonis lib. 7. de Republica id ſumſit Cicero. Eas etiam Plautus laudat Trinummo 2. 4. 148.

Sicut fortunatorum memorant inſulas,
Quo cuncti qui ætatem egerunt caſte ſuam,
Conveniant.

v. 60. *Dulce ſonant tenui gutture carmen aves*] Ovidius a Tibullo, Amorum lib. 1. Eleg. 13.

Et liquidum tenui gutture cantat avis.

Mirari deſinet, veteres fabulas campis Elyſiis, beatorum ſedibus, præter alia ad voluptatem pertinentia, cantum quoque avicularum tribuiſſe, quiſquis legerit apud Platonem in Phædone, volucres nonnullas, præ-

Digitized by Google

Fert caſiam non culta ſeges, totoſque per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.
Hic juvenum ſeries teneris immixta puellis
Ludit, & aſſidue prœlia miſcet Amor.

Illic

cipue cycnos, dulcius canere morti proximas, quod ea prævideant bona quæ ſunt apud inferos. Apollini ſcilicet dicaræ erant, atque adeo divinandi inſtinctu quodam præditæ: nihil igitur mirum, ſi paullo poſt morituræ, cantu magis tunc delectantur, quam priori vitæ tempore. Tibullo conſentit Papinius lib. 8. Thebaid. v. 193. ubi de Amphiarao:

An tibi felices lucos miſeratus Averni
Rector, & Elyſias dedit inſervare volucres?

Ceterum, quo βρόγχος ϰ φάρυγξ, *guttur & gula*, inter ſe differant, oſtendit Democritus in Epiſt. ad Hippocratem de Natura Humana. βρόγχος δὲ, inquit, ϰ φάρυγξ, ἡρμοσμένοι ἀλλήλοις, γειτνιῶσιν. ὁ μὲν γὰρ ἐς κιλάθον πνεύματος. ὁ δὲ, εἰς βυθὸν κοιλίης, τροφὴν προπέμπει, λάβρον ὠθεόμενος. h. e. *Guttur autem & gula, inter ſeſe aptata, vicina ſunt. Illud enim in ſpiritus viam, hæc vero in ventriculi profundum, alimentum præmittit, vehementer impulſa.* Porro, *tenui gutture ſonare*, ut locutione Græca utamur, eſt ἐν τοῖς ὠσὶ τινὰ λεπτὸν ἦχον ἠχεῖν, *ſubtilem quemdam ſonum in auribus procreare*, quod etiam dicebant ψιθυρίζειν, quum loquerentur de arborum foliis vento agitatis. Vide Theocritum Idyllio primo.

v. 61. *Fert caſiam non culta ſeges*] Caſia, ſive herba, ſive frutex, ſive cortex (non enim hoc ſatis liquet apud βοτανικοῖς ϰ ῥιζοτόμοις) adhibita olim fuit ad unguenta maximi pretii conficienda. Virgilius l. 2. Georgicon v. 466.

Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi.

Idem poeta herbis annumerare videtur Ecl. 2. v. 49.

Tum, caſia atque aliis intexent ſuavibus herbis
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

ibid. *totoſque per agros*] Illic non in hortis tantum ſeptis & concluſis roſæ proveniunt, ſed mira Elyſii benignitate totos per agros paſſim florent.

v. 62. *terra benigna*] Fertilis, ἄφθονος. Ita Ovidius Amor. 1. Eleg. 10.

Præbeat Alcinoi poma benignus ager.

Et Plinius Panegyrico Trajani cap. 31. *Itaque beneficio tuo nec maligna tellus, & obſequens Nilus, Ægypto quidem ſæpe, ſed gloriæ noſtræ numquam largior fluxit.* Quidquid autem largum, abundans, copioſum eſt, id *benignum* appellavere Latini ſcriptores. Ovidius 5. Faſtorum v. 173. de Hya venatore:

Dum nova lanugo; pavidos formidine cervos
Terret: & eſt illi præda benigna lepus.

h. e. larga, magna pro ætate ac viribus. Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 3.

Iratus tibi, quod vini, ſomnique benignus
Nil dignum ſermone canas.

L. Seneca libro de Conſtantia Sapientis c. 18. C. *Cæſar* (nempe Caligula) *inter cetera vitia quibus abundabat, contumelioſus mirabiliter ferebatur, omnes aliqua nota feriendo, ipſe materia riſus benigniſſima.* i. e. uberrima. Pomponius Mela in Operis Præfatione: *Facundiæ minime capax, & longa magis, quam benigna materia.* Contra Virgilius Æneid. lib. 6. v. 270.

Quale per incertam Lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſilvis.

parca videlicet, nec ſatis illuſtri, quam Itali vocamus *barlume*. Ovidius 1. Amorum Eleg. 4.

Blanditiæ taceant; ſitque maligna Venus.

Juſtinus Hiſtor. Trogi lib. 5. cap. 2. *Grata oratio Tiſſaferni fuit. Itaque commeatus maligne præbere, claſſem regiam non totam mittere.* Apud Livium lib. 5. legitur *malignitas prædæ partitæ.* γαῖαν ἄφθονα μάλοις dixit Pindarus Ode 7. Olympiorum, *terram* ſcilicet *benignam pecoribus.*

v. 63. *Hic juvenum ſeries*] Nobis ante oculos ponit juvenes puellaſque manibus inter ſe nexos colligatoſque, ut in choreis fieri amat. *Series* enim ordo eſt & quaſi catena: vox a *ſero* derivata; quod verbum antiquis *necto* interdum ſignificabat: unde

ſer-

Digitized by Google

Illic eſt cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit inſigni myrtea ſerta coma.
At Scelerata jacet Sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra ſonant.
Tiſiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit: & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta ſerpentum Cerberus ore
Stridit, & æratas excubat ante fores.

Illic

ſertum, & *ſerta*, *ſertæ*, nempe corona.

v. 64. *prælia*] Reprehendat quis fortaſſe noſtrum, quod in campos fortunatorum inducat prœlia, rem triſtem ac luctuoſam. Verum hoc loco prœlia ſunt dulces amantium rixæ. Horatius Ode 6. lib. 1.

Nos convivia, nos prælia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium
Cantamus vacui.

v. 65. *rapax mors venit amanti*] Mortem rapacem dicimus, quum adoleſcentem aliquem aut puellam in ipſo ætatis flore ad Orcum agit. Porro, *venire mortem* dicebant. Noſter Elegia ult. hujus libri:

Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

Propertius lib. 2. Eleg. 13. de Neſtore:

Non ille Antilochi vidiſſet corpus humati;
Diceret aut, O Mors, cur mihi ſera venis!

Auctor Copæ:

Mors aurem vellens, Vivite, ait, venio.

v. 67. *At Scelerata jacet Sedes*] Tartarus videlicet, ubi æternis pœnis homines impios torqueri finxerunt poetæ. Locum illum Tibullus Elyſiis campis opponit. Ovidius pariter lib. 4. Metamorph. v. 455.

Quam ſimul agnorunt inter caliginis umbras,
Surrexere deæ. Sedes Scelerata vocatur.

Virgilius variavit Æneid. lib. 6. v. 563.

Nulli fas caſto Sceleratum inſiſtere Limen.

Eodem pacto *Vicum Sceleratum* Romæ appellabant, ubi Tullia uxor Tarquinii Superbi ſuper cadaver patris ſui Servii Tullii carpentum egerat.

ibid. *in nocte profunda Abdita*] Ideo *ſedem* dixit, quod Tartarus eſſet infimum regiæ Plutonis fundamentum. nam fundamenta murorum atque ædificiorum *ſedes* etiam vocantur. Virgilius Æneid. 2. v. 610.

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque a ſedibus urbem
Eruit.

Mire in hanc rem Claudianus lib. 2. in Rufinum v. 523.

-- -- -- agitate flagellis
Trans Styga, trans barathrum.
-- -- -- qua noctis opacæ
Fundamenta latent.

v. 69. *impexa feros pro crinibus angues*] Locutio admodum efficax, numeri elegantiſſimi, ac Tibullo digni. Furiæ capillos proprie non habebant, ſed capillorum loco ſerpentes, atque horridos quidem & impexos.

v. 70. *Sævit, & huc illuc impia turba fugit*] Sævit flagello, & impios perſequitur, qui ante illam palantes diffugiunt. egregia ὑποτύπωσις. Virgilius 3. Georg. v. 551.

Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone, morbos agit ante metumque.

ubi Tiſiphonem peſtilentiam eſſe, non unam Furiarum, docet Philargyrius. neſcio quam vere. Sed magis luculenter lib. 6. Æneid. v. 570.

Continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, torvoſque ſiniſtra
Intentans angues, vocat agmina ſæva ſororum.

Huic Furiæ nomen dedit ἡ τοῦ φόνου τίσις, ultio & mulcta cædis ſive homicidii.

v. 71. *ſerpentum Cerberus ore Stridit*] Etiam huic inferorum janitori pro villis & juba tribuerunt angues. Seneca Hercule Furente v. 794. de Cerbero: *Sibilat tortos minax Serpens per armos.*

v. 73.

Digitized by Google

Illic Junonem tentare Ixionis auſi
  Verſantur celeri noxia membra rota.
Porrectuſque novem Tityus per jugera terræ
  Aſſiduas atro viſcere paſcit aves.
Tantalus eſt illic, & circum ſtagna: ſed acrem
  Jam jam poturi deſerit unda ſitim.
Et Danai proles, Veneris quæ numina læſit,
  In cava Letheas dolia portat aquas.
Illic ſit, quicumque meos violavit amores,
  Optavit lentas & mihi militias.

At

v. 73. *Junonem tentare Ixionis auſi*] Vide Indicem noſtrum in Tibullum.

v. 75. *Tityus*] Fabellas haſce notiſſimas ad Indicem rejicimus.

v. 76. *atro viſcere*] *Viſcere* pro *viſceribus* poſuit Seneca Hercule Œtæo v. 1249.

Quæcumque peſtis viſcere in noſtro lates,
Procede.

Verum Tibullus hepar ſeu jecur ſignificat; quod colore eſt nigricanti. μέλαν ἧπαρ appellat Marcellus Sidetes in Fragmento de Piſcibus v. 94. *pulmonem* vero *atrum* Silius Italicus lib. 5. v. 256.

— — — tum fervidus atro
Pulmone exundat per hiantia viſcera ſanguis.

Homerus Iliados 1. v. 103. de Agamemnone irato:

— — — μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ'.

Atrum viſcus Tibullo, & φρένες ἀμφιμέλαιναι Homero, ſunt jecur, in quo ſecernitur bilis. Horatius Ode 13. lib. 1.

Fervens difficili bile tumet jecur.

Recte igitur Antonius Maria Salvinius Homeri locum vertit: *E l' atre viſcere s' empiero Di rabbia*; ad hunc fortaſſe verſum Tibulli reſpiciens. Memorabile eſt quod tradit Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 6. *Septem ſunt intra hominem quæ a Græcis nigra membra vocitantur; lingua, cor, pulmo, jecur, lien, renes duo.*

v. 77. *Tantalus eſt illic*] Hoc diſtichum elegiacæ poeſeos tironibus, candidæ ac perſpicuæ brevitatis exemplum eſſe poteſt. Mirus artifex verſuum Tibullus amputat omnia ſupervacua, præcipuas rerum περιςάσεις notat, ſtilum compeſcit, ſeligit verba & locutiones, epithetis utitur maxime ſignificantibus. *τὸ deſerit unda ſitim*, dictum expedite ac rotunde.

v. 79. *Veneris quæ numina læſit*] Veneris nimirum conjugalis, juſtæ ac legitimæ, occiſis maritis nocte ipſa nuptiarum. Quod tamen ex quinquaginta Danai filiabus fecerunt quadraginta octo: nam duæ reliquæ ſponſis pepercerunt, Lynceo quidem Hypermneſtra, Hippolyto autem Bebryca.

v. 80. *In cava dolia*] Fundo pertuſo, & plena rimarum, ut aquam injectam continere non poſſint. Hanc fabulam, ſtultorum hominum cupiditatibus nullo fine circumſcriptis pulchre accommodat Lucretius lib. 3. de R. N. a v. 1016.

Deinde animi ingratam naturam paſcere ſemper,
Atque explere bonis rebus, ſatiareque numquam:
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Quum redeunt, fœtuſque ferunt, varioſque lepores;
Nec tamen explemur vitaï fructibus umquam:
Hoc (ut opinor) id eſt, ævo florente puellas
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas;
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

v. 81. *Illic ſit, quicumque* &c.] Reſpondet ſuperiori: *Illic eſt cuicumque rapax mors venit amanti*. Quemadmodum enim juvenes amatores, qui nemini nocuerunt, immatura morte prærepti, campos Elyſios incolunt;

At tu caſta, precor, maneas: ſanctique pudoris
  Adſideat cuſtos ſedula ſemper anus.
Hæc tibi fabellas referat, poſitaque lucerna
  Deducat plena ſtamina longa colo.
Ac circa gravibus penſis adfixa puella
  Paullatim ſomno feſſa remittat opus.
Tunc veniam ſubito, ne quiſquam nuntiet ante:
  Sed videar cælo miſſus adeſſe tibi.

Tuoc

lunt; ita qui alienis amoribus inſidiati ſunt, morte obita, in Tartaro commorari debent.

ibid. *quicumque meos violavit amores*] Legendum exiſtimo: *violarit amores*, *Optarit lentas & mihi militias*. Nemo enim, aut ego fallor, ante diſceſſum Tibulli, ejus amores violaverat. Vidimus enim, Deliam pro ipſo vota ſuſcepiſſe; quod facere abſtinuiſſet, ſi animum alio tranſtuliſſet. Ait igitur poeta: Si quis me abſente ad puellam meam affectaverit viam, & ut ſecurus illa frui poſſit, optaverit prorogari mihi militiæ tempus, is apud Tartarum merito ſupplicio puniatur. Lectionem a me propoſitam confirmant quæ ſtatim ſequuntur.

v. 84. *Adſideat c. ſedula ſ. anus*] Ita apud amicam illam Cliniæ Terentiani Heautont. a. 3. 51.

— — — anus
Subtemen nebat: præterea una ancillula
Erat; ea texebat una, pannis obſita,
Neglecta, immunda illuvie.

v. 85. *Hæc tibi fabellas referat*] Eleganter Dantes Aligherius Paradiſi Cantu 15. v. 124.

L' altra traendo alla rocca la chioma
Favoleggiava, con la ſua famiglia,
De' Trojani, e di Fieſole, e di Roma.

ibid. *poſitaque lucerna*] In ædibus Lucretiæ Collatini uxoris, ut ait Ovidius lib. 2. Faſtorum v. 743.

Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant.

Virgilius pulcherrime lib. 1. Georg. v. 390.

Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivere hiemem, teſta quum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

Ut vero Tibullus, *poſita lucerna*, ita Naſo dixit, *poſito lumine*, Epiſt. Herûs v. 151.

Sternuit & lumen; poſito nam ſcribimus illo.

v. 87. *Ac circa gravibus penſis adfixa puella*] *Circa* pro *Circe*, Latina videlicet terminatione, vult hoc loco dictum Joſephus Scaliger: ſicuti Plautus Pſeudolo 1. 2. 65. uſurpavit *Dircam* pro *Dircem*. Sed alienum hoc eſt a nitore Tibulli. *Puella* hic non unam tantum ancillam, ſed plures videtur ſignificare: quaſi dixiſſet ooſter *multa puella*. neque enim *τὸ circa* uni tantum accommodari poteſt. Puellas quæ circa dominam ſunt, appellat Homerus ἀμφιπόλους Iliados lib. 6. v. 286.

ibid. *gravibus penſis*] Moleſtis; vel etiam grave pondus habentibus. nam ideo vocata ſunt penſa, quod appenderentur a dominabus, & rependerentur ab ancillis jam colo deducta & perfecta. Propertius lib. 4. Eleg. 7.

Et graviora rependit iniquis penſa quaſillis,
Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.

ibid. *penſis adfixa*] Nendo intenta, ut opus ne minimo quidem ſpatio temporis interrumpere liceat. Sic *foribus adfixa*, inferius Eleg. 7. Cicero lib. 3. ad Q. Fratrem Epiſt. 1. *Jubes illum mihi eſſe adfixum tamquam magiſtro.*

v. 88. *ſomno f. remittat opus*] Puta dormitanti fuſus e manibus effluat.

v. 89. *Tunc veniam ſubito --- Sed videar cælo miſſus adeſſe tibi*] Qui non exſpectati ſubito aderant, vel graviter laborantibus in tempore præſto erant, *cælo mitti*, *delabi* vel *deſcendere* dicebantur. Cicero lib. 1. ad Q. Fratrem Epiſt. 1. *Nam Græci quidem ſic*

te

Tunc mihi qualis eris longos turbata capillos
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roſeis candida portet equis.

ELE-

te ita viventem intuebantur, ut quemdam ex annalium memoria, aut etiam de cælo divinum hominem eſſe in provinciam delapſum putent. Livius lib. 8. Hiſt. *Conſpectus ab utraque acie aliquanto auguſtior humano viſu, ſicut cælo miſſus, piaculum omnis deorum iræ, qui peſtem ab ſuis averſam in hoſtes ferret.* Idem lib. 22. *Fabiana ſe acies repente, velut cælo demiſſa, ad auxilium oſtendit.* Juſtinus lib. 5. Hiſt. Trogi cap. 4. *Hunc* (Alcibiadem) *quaſi de cælo miſſum, & ut ipſam Victoriam contuentur.* Minucius Felix Octavio: *In hodiernum inopinate viſos, cælo miſſos --- vocamus.* Quem locum Chriſtiani ſcriptoris Lactantius Firmianus ita recitat D. J. lib. 1. cap. 11. *Minucius Felix in eo libro qui Octavius inſcribitur, ſic argumentatus eſt: Saturnum, quum fugatus eſſet a filio, in Italiamque veniſſet, Cæli filium dictum; quod ſoleamus eos quorum virtutem miremur, aut qui repentine advenerint, de cælo cecidiſſe, dicere: terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus.* Homerus pariter lib. 21. Odyſſeæ v. 195.

Ποῖοι κ' εἶτ' Ὀδυσῆι ἀμυνέμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι
Ὧδε μάλ' ἐξαπίνης, καί τις θεὸς αὐτὸν ἐνείκαι;

Quales eſſetis ad Ulixi auxiliandum, ſicunde veniat
Sic valde repente, & aliquis deus ipſum afferat?

Eidem poetarum corypheo lib. 6. ejuſdem poematis v. 281. *cælo miſſus*, vel *delapſus*, eſt οὐρανόθεν καταβάς. Noſter l. 4. Carm. 13.

Nunc licet e cælo mittatur amica Tibullo,
Mittetur fruſtra.

Virgilius tandem Ecloga 4. v. 7.

Jam nova progenies cælo demittitur alto.

v. 91. *Qualis eris, longos turbata capillos*] Quæ amatores, vel maritos abſentes deſiderabant, ab ornatu capillorum ſe abſtinebant. Vide Terentium Heautont. a. 3. a verſu 38. Idem Phormione 1. 2. 54.

-- -- virgo pulchra; &, quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem.
Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida.

Freinſhemius ad Florum Hiſt. Rom. lib. 3. cap. 10. fatetur, ſibi non ſuccurrere, vocem *qualis* uſpiam hoc modo uſurpatam, verum ſemper *ut*, vel *ſicut*. Nam Ovidius 2. Amor. Eleg. 5.

Sicut erant, & erant comti, laniare capillos,
Et fuit in teneras impetus ire genas.

Idemque Epiſt. Paridis v. 119.

Et ſoror effuſis ut erat Caſſandra capillis,
Quo ruis? exclamat.

Virum doctum ſcilicet oblivio ceperat loci hujus Tibulliani.

v. 90. *nudato pede*] Hoc una tantum voce ἀσάνδαλος Græci exprimunt. Vide Bionem Epitaphio Adonidis v. 21. In ſubitis caſibus, qui cubarent, vel etiam opus facerent ſedentes in lectulis, exſiliebant ſine ſoleis, ne calceandis pedibus nimium temporis inſumerent. Apud Theocritum Idyllio 24. v. 36. Alcmena ad maritum Amphitryonem:

Ἄνστα, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θείης:

Surge, neque pedibus tuis ſandalia ſubjicias.

Matres familiarum, & puellæ ingenuæ plerumque torum premebant quum lanam facerent. Vide quid afferant docti viri ad illud Propertii lib. 4. Eleg. ultima:

Si tamen adverſum mutarit janua lectum,
Sederit & noſtro cauta noverca toro.

Ne igitur lecti ſtragula inquinarent, ſoleas ad ejus pedem deponebant. Libros etiam legebant, & ſtudiis operam dabant, eodem pacto recubantes. Id non obſcure colligitur ex Ovidio lib. 1. Triſtium Eleg. 11.

Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis:
Nec, conſuete, meum, lectule, corpus habes.

v. 93. *hunc illum Luciferum*] Si quid judico, male Broukhuſius mutare inſtituit, legens *hunc utinam*. Vulgata lectio prorſus

reti-

Digitized by Google

retinenda. *Hunc illum diem*, i. e. talem qualem deſcripſi, & animo mihi finxi. *ὥσπερ ἔλεγον*. Vide Janum Meleagrum ad Catullum Carm. 17. Ita locutus & Cicero lib. 1. Academ. Quæſt. ad M. Varronem: *Sed habeo opus magnum in manibus, quod jampridem ad hunc eum ipſum (me autem dicebat) quædam inſtitui.* Idem lib. 1. de Oratore: *Quonam modo iſtos philoſophos hos ferre poſſemus?* Terentius quoque Andria 1. 1. 20. *Quas credis eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.* i. e. Quas credis eſſe tales, hujuſmodi; nempe veras. Porro Tibullus *Luciferum* uſurpavit pro *diem*. ſicuti Propertius lib. 2. Eleg. 19.

Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.

videlicet, *paucos poſt dies*. Quod attinet ad ſententiam, ſimile eſt illud Ovidii lib. 2. Amorum Eleg. 11.

Hæc mihi quamprimum cælo nitidiſſimus alto
Lucifer admiſſo tempora portet equo.

Idem lib. 3. Triſtium Eleg. 5.

Hunc utinam nitidi Solis prænuntius ortum
Adferat admiſſo Lucifer albus equo.

Et lib. 1. Ponticorum Epiſt. 4.

Memnonis hanc utinam lenito principe mater,
Quamprimum roſeo provocet ore diem.

Denique Pedo Albinovanus Conſolat. ad Liviam v. 281.

Hunc Aurora diem ſpectacula tanta ferentem
Quamprimum croceis candida portet equis.

Ovidius Lucifero, ſeu Phoſphoro, tribuit equum ſingularem; Auroræ bigam Tibullus & Albinovanus.

ELEGIA IV.

SIc umbroſa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti ſoles, ne noceantque nives:

ARGUMENTUM ELEGIÆ IV. LIBRI I.

Inducit hortorum deum conſulenti reſpondentem, quo pacto formoſorum amicitia conciliari & retineri poſſit.

VERSU I. *umbroſa tibi contingant tecta*] Arborum umbracula intelligit Broukhuſius. Viderit tamen ipſe, quomodo arbores hieme frondibus amiſſis nivium caſum in caput Priapi prohibere potuiſſent. Apud Tullium quidem lib. 1. de Inventione legere eſt, *diſperſos homines in agris, & in tectis ſilveſtribus abditos.* at illud quod ex arbore tectum facit, frondes præcipue ſunt, & *συνηρεφῆ τὰ πέταλα*, ut ait Achilles Tatius lib. 1. de Amoribus Clitophontis & Leucippes. Quamobrem Cicero lib. 2. de Divinatione:

Qui platani in ramo foliorum tegmine ſeptos
Corripuit pullos.

Deinde Priapi ſimulacrum reſidere ſolebat ſub arboribus, quod Broukhuſius non diffitetur. Optari propterea debuerunt agreſti numini ea quibus carebat, puta ædicula aliqua vel tabernaculum, non quæ illi ſuppetebant. Neque Tibullus *contingant* dixiſſet de bonis præſentibus, qui Elegia ſuperiore v. 33. dixit de commodis quorum poteſtatem non habebat:

At mihi contingat patrios celebrare Penates.

quum enim hæc ſcriberet, aberat Roma, & Corcyræ morabatur ægrotus. Putaveram olim adoleſcens intelligendum ſacellum: ſed quod ſacellum proprie dicebant, tecto caruit, & *ὑπαίθριον* fuit. Niſi alia obſtarent, Broukhuſio favere poſſet Homerus, qui Odyſſeæ lib. 19. a verſu 439. ſilvam deſcribit foliis ita denſam, ut neque ventorum vis penetraret, neque ſol radiis percuteret, neque imber influeret. Philoſtratus etiam lib. 2. de Vita Apollonii Tyanenſis cap. 8. refert, Bacchum in loco quodam Indiæ *κιττόν τε περιβαλεῖν αὐτὸν καὶ ἀμπέλους ταῖς δάφναις, ἄγαλμά τε ἑαυτοῦ ἔνδον στήσασθαι, γιγνώσκοντα ὡς ξυμφύσει τὰ δένδρα ὁ χρόνος, καὶ δώσει τινὰ ἀπ' αὐτῶν ὄροφον. ὃς οὕτω ξυμβέβληται νῦν, ὡς μήτε ὕεσθαι τὸ ἱερὸν, μήτ' ἄνεμον εἰσπνεῖσθαι.* h. e. *Hederas item viteſque lauros amplexas eum ſeviſſe, in-*

Quæ tua formoſos cepit ſolertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma eſt.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æſtivi tempora ſicca Canis.
Sic ego: tum Bacchi reſpondet ruſtica proles
Armatus curva ſic mihi falce deus.

O ſu-

tus autem ſtatuam ſuam erexiſſe, gnarum fore, ut tempore coaleſcerent arbores, tectumque aliquod ramis ſuis ſuppeditarent: quod ita contextum jam eſt, ut neque pluviæ ad templum, neque vento aditus pateat. Ceterum Juvenalis Sat. 7. v. 105. de hiſtoricis loquens *tectum & umbram* conjunxit:

At genus ignavum, quod tecto gaudet & umbra.

v. 2. *Soles*] Hæc vox poetis nonnumquam ſignificat dies, nonnumquam æſtivos calores. Priori ſignificatione Catullus Carm. 5.

Soles occidere & redire poſſunt.

Idem Carm. 8.

Fulſere quondam candidi tibi ſoles.

Virgilius Ecloga 9. v. 51.

-- -- -- ſæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere ſoles.

Poſteriori Virgilius 1. Georg. v. 66.

glebaſque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas.

Horatius Epodo 2. v. 41.

Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis uxor Appuli.

Idem Epodo 16. v. 13.

Quæque carent ventis & ſolibus oſſa Quirini
(Nefas videre) diſſipabit inſolens.

v. 3. *Quæ tua formoſus cepit ſolertia?*] Quibus artibus, qua calliditate, quo cultu corporis gregem formoſorum adoleſcentium ad tuam amicitiam pertraxiſti? horti enim tui frequentiâ illorum celebrantur. Sermo eſt quaſi conſultoris ad conſultum non juris, ſed amoris.

v. 4. *Non tibi barba nitet*] Unguento ſcilicet odorato. nam elegantiores non capillum tantum, ſed & barbam ungebant. Pulcherrime Ludovicus Areoſtus initio libri 41. R. F.

L' odor che ſparſo in ben nutrita, e bella
O chioma, o barba, o delicata veſta
Di giovine leggiadro, e di donzella,
Ch' Amor ſovente lagrimando deſta,
Se ſpira, e fa ſentir di ſè novella,
E dopo molti giorni ancora reſta,
Moſtra con chiaro ed evidente effetto
Come a principio buono era e perfetto.

ibid. *non tibi culta coma eſt*] Non pectinem adhibes, non tonſorem. Fingebant ſcilicet Priapi ſtatuam intonſis crinibus ac barbatis; quod antiquam diſciplinam redolebat. M. Varro R. R. lib. 2. cap. ult. *Olim tonſores non fuiſſe, adſignificant antiquorum ſtatuæ, quod pleræque habent capillum & barbam magnam.* Apud ſcriptorem Liberi Carminis Epigr. 63. Priapus ipſe graphice admodum ſe deſcribit:

Parum eſt, amici, fixerim quod hic ſedem
Agente terra per Caniculam rimas,
Siticuloſam ſuſtinens diu æſtatem:
Parum, quod imi perfluunt ſinus imbre,
Et in capillos grandines cadunt noſtros,
Horretque dura barba vincta cryſtallo.

v. 5. *hibernæ brumæ*] ἐπίθετον perpetuum. bruma enim ſemper hiberna.

ibid. *producis frigora*] Locutio animadverſione digna. Verbum compoſitum pro ſimplici *ducis*. Propertius lib. 4. Eleg. 6.

Sic noctem patera, ſic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

v. 7. *Sic ego: tum Bacchi reſpondet ruſtica proles*] Numeris prope paribus Martialis lib. 6. Epigr. 10.

Sic ego: ſic breviter poſita mihi Gorgone Pallas.

Sunt qui Priapum Bacchi & Veneris filium perhibeant, ſunt qui Bacchi & Naidos, aut Chiones, Nymphæ neſcio cujus.

v. 9.

Digitized by Google

O fuge te teneræ puerorum credere turbæ:
Nam cauſſam juſti ſemper amoris habent.
Hic placet, anguſtis quod equum compeſcit habenis:
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adeſt audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras ſtat pudor ante genas.

v. 9. *O fuge te t. p. c. t.*] Joſephus Scaliger hunc verſum & quinque ſequentes loco moverat, & in calcem hujus Elegiæ rejecerat, peſſimo non ſolum exemplo, quia contra fidem codicum, ſed & judicio; mirifice enim cum antecedentibus cohærent. Imitatur ſcilicet Priapus peritum aliquem legum & juris eumdemque probum hominem, qui conſultorem ad ſe advenientem ac litigandi cupidum, ab incœpto primum deterret enumerandis litium incommodis, hortaturque ut potius cum adverſario tranſigat: deinde poſtquam eum perſiſtere in propoſito animadvertit, præceptis & monitis inſtruit, ne cauſsâ cadat. Sic & deus hortorum, prius hominem παιδεραστεῖν (quo morbo turpiſſimo Græci & Romani laboraverunt) dehortatur ab epheborum familiaritate: ſed poſtea, quum obſtinatum videat, docere aggreditur, atque oſtendere quid in hac re ſibi ipſi profuerit.

ibid. *fuge te t. puerorum credere turbæ*] Fuge loca quo pueri conveniunt, vel equitaturi, vel armis luſuri, vel nataturi; puta Martium campum, prope quem Tiberis fluvius: noli te committere hujuſmodi cœtibus periculoſis, ne tandem in plagas incidas inextricabiles.

v. 10. *Nam cauſſam juſti ſemper amoris habent*] Cujuſcumque enim formæ fuerint; ſive equum optime flectere ſciant, ſive natare; ſeu protervi ſint, ſeu virginali verecundia; nihilominus te allicient, ac ſemper excuſationem & cauſſam habere tibi videberis, cur eos ames jure ac merito. Quod hic breviter Tibullus de adoleſcentibus, copioſe Ovidius de puellis tota Elegia 4. lib. 2. Amorum.

v. 11. *Hic placet, anguſtis* &c.] Conjungit equitationem & natationem; quod Romani pueri equitarent in campo Martio, deinde in Tiberi natarent, qui campum Martium præterlabebatur. Horatius mirifice Tibullum illuſtrat lib. 3. Ode 7.

Quamvis non alius flectere equum ſciens
Æque conſpicitur gramine Martio:
Nec quiſquam citus æque
Tuſco denatat alveo.

Tuſcus alveus pro *Tiberis*. Idem lib. 4. Ode 1. de Ligurino:

Jam captum teneo, jam volucrem ſequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

v. 12. *Hic placidam niveo pectore pellit aquam*] Cauſſa igitur juſti amoris eſt niveum pectus natantis. *Pellit aquam*. Auſonius Moſella v. 344.

Plaudenti gelidum flumen pepuliſſe natatu.

Antequam vero flumini ſe committerent, corpus ungebant. Horatius Sat. 1. lib. 2. v. 7.

-- -- -- ter uncti
Tranſnanto Tiberim, ſomno quibus eſt opus alto.

Ovidius lib. 3. Triſtium Eleg. 12.

Nunc ubi perfuſa eſt oleo labente juventus,
Defeſſos artus virgine tingit aqua.

Vide & Vegetium lib. 1. de Re Militari cap. 10.

v. 13. *Hic, quia fortis adeſt audacia, cepit* &c.] Alius puerili quadam petulantia & laſcivia in ſui amorem inducit: alius autem ob virgineum pudorem diligi meretur. *Adeſt* pro *eſt*. Maro Ecloga 4. v. 55.

Non me carminibus vincet vel Thracius Orpheus,
Vel Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adſit,
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Item Ovidius lib. 4. Ponticorum Eleg. ult.

-- -- quorum quod inedita cura eſt,
Appellandorum nil mihi juris adeſt.

Martialis pariter lib. 1. Epigr. 6.

Quæ majora putas miracula? ſummus utriſque

Sed te ne capiant, primo ſi forte negarit,
Tædia. paullatim ſub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli ſaxa peredit aqua.

Auctor adeſt: hæc ſunt Cæſaris, illa Jovis. Porro juvenum pulchritudinem in eo ponit Ariſtoteles, ut corpus habeant idoneum ſuſtinendis laboribus. Verba ſunt ejus lib. 1. Rhetoricorum: Νέου μὲν οὖν κάλλος, τὸ πρὸς τοὺς πόνους χρήσιμον ἔχειν τὸ σῶμα· τούς τε πρὸς δρόμον, καὶ πρὸς βίαν· ἡδὺν ὄντα ἰδεῖν πρὸς ἀπόλαυσιν.

v. 14. *Virgineus teneras ſtat pudor ante genas*] Alia cauſſa juſti amoris, pudor virgineus. Clearchus lib. 1. τῶν ἐρωτικῶν apud Athenæum lib. 13. refert hoc dictum Lycophronidis: Οὔτε παιδὸς ἄρρενος, οὔτε παρθένων τῶν χρυσοφόρων, οὐδὲ γυναικῶν βαθυκόλπων καλὸν τὸ πρόσωπον, ἀλλὰ κόσμιον πέφυκεν, ἡ γὰρ αἰδὼς ἄνθος ἐπισπείρει. h. e. *Nec maſculi pueri, nec virginum quæ auro ſunt ornatæ, nec mulierum veſte altius ſinuoſa indutarum pulchra naturâ facies eſt, ſed modeſtia, cui flores pudor inſpergit.* Et Anacreon apud eumdem Athenæum ibidem: Ὦ παῖ, παρθένιον βλέπων. *O puer, virgineum quid tuens.*

ibid. *Stat pudor ante genas*] Stat quaſi excubitor, pueri pudicitiam ſervans; ut vigiles ante regum fores excubare ſolent. Sic apud Horatium Ode 13. lib. 4. Amor

-- -- -- virentis, &
Doctæ pſallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.

Ceterum, ad hunc locum Tibulli pertinere poſſunt illa Senecæ ex Epiſt. 116. ubi de amore: *Sive enim nos reſpexit, humanitate ejus irritamur: ſive contemſit, ſuperbia accendimur. Æque facilitas amoris, quam difficultas nocet: facilitate capimur, cum difficultate certamus.* Quod vero Joſephus Scaliger ſententiam hujus hexaſtichi loco ſuo moti tribuebat uxori Titii maritum ſuum a turpi marium amore avertere ſtudentis, abſurdum omnino eſt, ἢ ἀλλότριον τι πράττοντος. Noverunt enim omnes, quam refugiant matronæ vel exiguas harum rerum ſuſpiciones & cogitationes.

v. 15. *Sed te ne capiant, primo ſi forte negarit, Tædia*] Quum adhuc Priapus homi-nem amoribus deditum a formoſorum familiaritate graviter ſit dehortatus, nunc molli admodum tranſitu præcipere incipit quæ ille diligenter ſervare debeat, ut voti compos tandem fiat. Probi videlicet ac rudis adoleſcentuli virgineum pudorem verſu antecedenti memoraverat: quem tamen proceſſu ipſo temporis, officiis, obſequio, conſuetudine, juramentis attritum & victum iri pollicetur. Bono igitur & forti animo amatorem eſſe jubet, ſi primo repulſam tulerit. Broukhuſium ſequor legentem *negarit.* nam ὁμοιοτέλευτον illud, *negabit, dabit*, in ultimis hexametri & pentametri vocibus minus placet: quamvis Propertius non repudiaverit lib. 2. Eleg. 3.

Non non humani ſunt partus talia dona:
Iſta decem menſes non peperere bona.

v. 17. *Longa dies*] Longum tempus, diuturnitas temporis. Plautus Epidico 4. 1. 17. *Longa dies meum incertat animum.* Juvenalis Sat. 10. v. 265. de Priamo: *Longa dies igitur quid contulit? Diem* pro tempore aperte uſurpavit Terentius Heautont. 3. 1. 12. *Aut illud falſum eſt quod vulgo audio dici, diem adimere ægritudinem hominibus.* Item Cornelius Nepos Ageſilao: *Poſtquam induciarum præteriit dies;* nam inter Ageſilaum & Tiſſaphernem induciæ trimeſtres pactæ fuerant. Livius etiam lib. 22. *Ad Pineum quoque regem in Illyricos legati miſſi ad ſtipendium, cujus dies exierat, poſcendum: aut ſi diem proferre vellet, obſides accipiendos.* Idem inferius libro eodem *tempus* & *diem* conjunxit: *Meliores, prudentiores, conſtantiores nos tempus dieſque facit.* Cicero pariter Epiſt. 6. lib. 1. ad Famil. *Suſpicor fore ut infringatur hominum improbitas & conſiliis tuorum amicorum, & ipſa die: quæ debilitat cogitationes & inimicorum, & proditorum.* Idem lib. 2. de Nat. Deor. *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.* Sed locus eſt egregius M. Tulli proœmio primæ Actionis in Verrem, qui hanc ſignificationem hujus vocis mirifice illuſtret.

Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida ſigna vice.
Nec jurare time. Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.
Gratia magna Jovi: vetuit pater ipſe valere,
Juraſſet cupide quidquid ineptus amor.

Per-

Quum ego, inquit, *diem in Siciliam inquirendi perexiguam poſtulaviſſem, invenit iſte qui in Achajam biduo breviorem diem poſtularet*. Ubi Aſconius Pædianus: Dies *feminino genere tempus: & ideo diminutive* diecula *dicitur breve tempus & mora*. Dies *horarum XII. generis maſculini eſt: unde* hodie *dicimus, quaſi* hoc die. *Petiit autem Tullius C. & X. dies: Rupilius, ſive Oppius, ſuppoſitus a Verre, C. & VIII. petiit.*

ibid. *homini docuit parere leones*] Cicuris leonis mirum exemplum vide apud Philoſtratum lib. 5. de Vita Apollonii cap. 42.

v. 18. *ſaxa peredit aqua*] Ignis & humor dicuntur *peredere*. Teſtimonia ſcriptorum attulit Broukhuſius.

v. 19. *Annus in a. maturat c. uvas*] Quaſi diceret: Nonne vides, anno vertente opus eſſe, ut uvæ Solis calore percoctæ, maturentur in collibus? Interpres Tibulli Gallicus: *Une année fait meurir les raiſins ſur les collines expoſées au Soleil.*

v. 20. *Annus agit certa lucida ſigna vice*] Non breviori tempore quam integri anni, cæleſtia corpora gyros abſolvunt ſuos, & ad ſedem unde profecta erant, revertuntur. Is porro circuitus certus eſt, ac numquam fallit.

v. 21. *Nec jurare time*] Audacter & ſtrenue jurare ſolent amatores: nam ſi deorum majeſtatem horreant, parum ſe proficere putant. Catullus Carm. 63. v. 146.

Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.

ibid. *Veneris perjuria venti Irrita ferunt*] Prior hoc dixerat Callimachus Epigr. 26.

Ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τὰς ἐν ἔρωτι
Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.

Juravit: ſed verum eſt quod vulgo dicunt, amatoria
Juramenta non ſubire aures deorum.

Quod ſumſit Virgilius Ecloga 3. v. 72.

O quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt!
Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.

v. 22. *freta ſumma*] Broukhuſius legendum contendit *freta longa*: ſed non ego credulus illi. Magna vis & venuſtas in lectione vulgata. Oſtendit poeta, juramenta hæc amantium rem eſſe pluma leviorem, quam propterea venti facillime jactent per ſuperficiem terræ ac maris, atque, ut ait Lucretius lib. 5. v. 1226. *ſuper æquora verrant*. Homerus non ſemel dixit: *ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης*. *ſuper lata dorſa maris*. Ita Virgilius lib. 7. Æneid. v. 88. miram Camillæ celeritatem & corporis agilitatem oſtendere volens:

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

v. 23. *Gratia magna Jovi*] Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 10. *Gratia, Muſa, tibi*. Idem lib. 7. Metam. v. 511. verbis Æaci:

— — — *Gratia dîs: felix, & inexcuſabile tempus.*

ibid. *vetuit pater ipſe valere* &c.] Hoc vulgo creditum antiquis, ut liberior eſſet peccandi licentia. Idipſum affirmat Plato, philoſophus poeta, in Convivio. Verba ejus afferam: Ὃ δὲ δεινότατον, ὥς γε λέγουσιν οἱ πολλοὶ, ὅτι καὶ ὀμνύντι μόνῳ ξυγγνώμη παρὰ θεῶν, ἐκβάντι τὸν ὅρκον. Ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον οὔ φασιν εἶναι. Οὕτω καὶ οἱ θεοὶ, καὶ οἱ ἄνθρωποι πᾶσαν ἐξουσίαν πεποιήκασι τῷ ἐρῶντι, ὡς ὁ νόμος φησὶν ὁ ἐνθάδε. h. e. *Quod vero maximi momenti eſt plerique tradunt, ſolis videlicet amatoriis perjuriis deos veniam dare. Venerium quippe jusjurandum nihil valere ajunt. Itaque tam dii quam homines omnem amanti licentiam tribuerunt, ut lex noſtra teſtatur*. Ovidius pariter in declamatione quadam apud M. Senecam Controverſia 10. *Quid ad patres pertinet quod amantes jurent? Si vis*

cre-

Perque ſuas impune ſinet Dictynna ſagittas
Adfirmes, crines perque Minerva ſuos.

At

credere, nec ad deos pertinet. Ceterum *pater* κατ' ἐξοχὴν Juppiter appellabatur. Horatius Ode 29. lib. 3. -- -- *cras vel atra Nube polum pater occupato, Vel ſole puro*. Valerius Flaccus 1. Argonaut v. 498.

Siderea tunc arce pater pulcherrima Grajûm
Cœpta tuens.

Eodem pacto Cybelen abſolute dixerunt *matrem*. Virgilius 4. Georg. v. 64. -- -- *Matris quate cymbala circum*. Minucius Felix Octavio: *Videmus colere Eleuſinios Cererem, Phrygas Matrem*. De duobus hiſce diis M. Varro lib. 1. Rei Ruſticæ cap. 1. *Primum, qui omnes fructus agriculturæ cælo & terra continent, Jovem & Tellurem* (invocabo). *itaque duo hi parentes magni dicuntur: Juppiter, pater appellatur: Tellus, terra mater*. Broukhuſius, Nic. Heinſium ſecutus, hoc verſu Tibulli mavult legere *pater ille*: ſed *τὸ ipſe* magnam ἔμφασιν continet, ac propterea mordicus retinendum. Ipſe decreto ſuo ſtatuit Juppiter, ut amantium juramenta irrita eſſent. Ita loqui ſolent alii poetæ principes. Catullus de Nupt. Pelei ac Thetidos v. 21.

Tum Thetidi pater ipſe jugandum Pelea ſenſit.

Virgilius 1. Georg. v. 121.

-- -- -- pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit.

Idem lib. eodem v. 153.

Ipſe pater ſtatuit, quid menſtrua Luna moneret.

Et 2. Æneid. v. 617.

Ipſe pater Danais animos vireſque ſecundas
Sufficit.

Unde colligere licet, verecunde admodum & magna cum fide ac religione libris bonorum auctorum manum eſſe admovendam, nec receptas lectiones temere ſollicitandas. Poetæ veteri qui ſcripſit Ceirin, v. 72. *pater ipſe* non eſt Juppiter, ſed Neptunus.

Ipſe pater timidam ſæva complexus arena
Conjugium caræ violaverat Amphitrites.

v. 24. *Juraſſet cupide quidquid ineptus amor*] Tamquam ſi non amans ipſe juret, quem perjurii crimine accuſare poſſis: verum amor, affectio vehemens, præceps, immoderata, nihil penſi habens, cæca denique, ſtulta, inepta. Nam, ut ait Syrus:

Amare & ſapere, vix Deo conceditur.

Ita Petronius in Satyrico non homini libidinoſo, ſed libidini tribuit orationem nequitiis plenam: *Rogare cœpi...... ut reverteretur in gratiam mecum, id eſt, ut pateretur ſatisfieri ſibi, & cetera quæ libido diſtenta dictat*. Sic Horatius Epiſt. 5. lib. 1. v. 16. ebrietatem inducit multa peccantem:

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes jubet eſſe ratas: in prælia trudit inermem.

v. 25. *Perque ſuas impune ſinet Dictynna ſagittas Adfirmes*] Hoc nomine appellabant Dianam Cretenſes. Palæphatus libro περὶ ἀπίστων cap. 32. Καλοῦσι δὲ τὴν Ἀθηνᾶν Κυρηναῖοι Γοργόνην, ὥσπερ τὴν Ἄρτεμιν Θρᾶκες, Βένδειαν, Κρῆτες δὲ Δίκτυνναν, Λακεδαιμόνιοι δὲ Οὖπιν. h. e. *Minervam Cyrenæi vocant Gorgonem, quemadmodum Dianam Thraces, Bendeam, Cretes Dictynam, Lacedæmonii Upim*. Opis, uno elemento detracto, eſt Nympha Dianæ dilecta apud Virgilium 11. Æneidos. *Dictynna* vero ἀπὸ τῶν δικτύων, a retibus, quibus præerat venatrix. Ceterum, antiqui non ſolum jurabant per deos, ſed etiam per arma deorum, ut oſtendit Juvenalis, ab Achille Statio huc allatus, Sat. 13. v. 78.

Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi ſpicula vatis:
Per calamos venatricis pharetramque puellæ,
Perque tuum, pater Ægei Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, haſtamque Minervæ,
Quidquid habent telorum armamentaria cæli.

v. 26. *crines perque Minerva ſuos*] Tametſi pulcherrimos & deæ cariſſimos. Quos quum Meduſa præ ſuis contemſiſſet, non tulit Minerva mortalis puellæ ſuperbiam, ejuſque capillos mutavit ſerpentibus. Propterea virginum coma Palladi ſacra erat: & in ejus templo Argis puellæ nupturæ manipulum crinium ſuſpendebant: qua de re Papinius Statius legendus lib. 2. Thebaidos

dos

At ſi tardus eris, errabis. tranſiet ætas
Quam cito! non ſegnis ſtat, remeatque dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formoſas populus alta comas!
Quam jacet, infirmæ venere ubi fata ſenectæ,
Qui prior Eleo eſt carcere miſſus equus!

Vidi

dos v. 253. *Erant* etiam pſecades, ſive ornatrices honorariæ, *quæ Junoni ac Minervæ capillos diſponerent; longe a templo, non tantum a ſimulacro ſtantes, digitos moverent ornantium modo. Erant & quæ ſpeculum tenerent;* teſte Seneca apud D. Auguſtinum lib. 6. de Civ. Dei cap. 10. Hæc omnia Broukhuſius animadvertit. Addo ego, tradere Callimachum Hymno *εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος*, v. 19. deam hanc virilis animi ab exquiſitis munditiis abhorruiſſe, & quum ad judicium Paridis proficiſceretur, *Οὐδ' ἐς ὀρείχαλκον, οὐδὲ Σιμοῦντος βλέψαι δίναν ἐς διαφαινομέναν. neque in orichalcum* (ſpeculum ſcilicet ex orichalco) *neque Simoëntis in verticem pellucidum inſpexiſſe*. Inferius tamen v. 30. poeta præcipit *ταῖς λωτροχόοις*:

Οἴσετε καὶ κτένα οἱ παγχρύσεον, ὡς ἀπὸ χαίταν
Πέξηται, λιπαρὸν σμασαμένα πλόκαμον.
Afferetis & pectinem totum aureum, ut ea capillos
Pectat, nitidam tergens comam.

v. 27. *ſi tardus eris*] Niſi ſtrenuus & ſollicitus eris in amore: aut ſi tardo ingenio, pingui atque hebeti.

ibid. *tranſiet ætas Quam cito!*] Videntur antiqui has duas voces *tranſiet*, *tranſibit* uſurpaſſe promiſcue. Vulgatus Interpres Jobi cap. 20. v. 8. *Tranſiet quaſi viſio nocturna*. Et Epiſt. 2. Petri cap. 3. v. 18. *Cœli magno impetu tranſient*. Eodem pacto Lactantius lib. 4. D. J. cap. 13. *Exiet virga de radice Jeſſe*. Idem lib. 7. cap. 17. *Unde mille proceſſerant, prodient centum*. Lapis etiam vetus: *Hoc monumentum cum ædificio neque veniet, neque donabitur*. pro *venibit*. Citat vir doctiſſimus Chriſtophorus Cellarius Orthographia Latina pag. 130. D. Auguſtinus Enarratione in Pſalmum 37. num. 28. *Invenient quod nec ipſi accipient, & tranſient*. Memorabile tamen eſt quod ſcribit idem ſanctus doctor l. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 13. *Illud etiam quod jam auferre non poſſumus de ore cantantium populorum*, Super ipſum autem floriet ſanctificatio mea, *nihil profecto ſententiæ detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non floriet, ſed* florebit *diceretur: nec quidquam impedit correctionem niſi conſuetudo cantantium*. Ita hodie cantant in ſupplicationibus, *Sancte Gregori*, *Sancte Ambroſi*, altera ſyllaba in his nominibus producta, quam corripi oporteret: ſed obſtat prava conſuetudo. Broukhuſius *τὸ tranſiet* ignotum fuiſſe putat ſcriptoribus temporum optimorum: at ne in judicio ejus acquieſcam, vetat Plautus, qui Epidico 1. 1. 85. uſurpavit *depoliet* pro *depolibit*. *Virgis dorſum depoliet meum*. Contra *invenibo* pro *inveniam* dixit Pomponius apud Nonium. Quod pertinet ad hujus diſtichi Tibulliani ſententiam, Theocritus Idyllio 27. v. 8.

Μὴ καυχῶ. τάχα γάρ σε παρέρχεται, ὡς ὄναρ, ἥβη.
Ne gloriare: cito enim te præteribit, ut ſomnium, juventa.

v. 28. *remeatque dies*] Tempus neque ſegniter moratur, neque quum ſemel tranſierit, umquam remeabit.

v. 29. *Quam cito p. d. t. c.*] Locus communis huic ſimillimus occurrit apud Ovidium lib. 3. Artis Amat. v. 73.

Quam cito (me miſerum!) laxantur corpora rugis,
Et perit, in nitido qui fuit ore, color!
Quaſque fuiſſe tibi canas a virgine jures,
Spargentur ſubitæ per caput omne comæ.
Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas;
Nec faciunt cervos cornua jacta ſenes.
Noſtra ſine auxilio fugiunt bona. carpite florem;
Qui, niſi carptus erit, turpiter ipſe cadet.

v. 31. *Quam jacet*] Infirmus videlicet,

lan-

Vidi ego jam juvenem, premeret quum ſerior ætas,
Mœrentem ſtultos præteriiſſe dies.

Cru-

languidus, amiſſis viribus. Vel, quod verius exiſtimo, quam contemnitur, & in nullo tandem pretio eſt! Nam *jacere* dicuntur, quorum nulla ratio habetur, qui omnibus deſpicatui ſunt. Propertius lib. 1. Eleg. 6.

Me ſine, quem ſemper voluit fortuna jacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.

v. 32. *Qui prior Eleo eſt carcere miſſus equus*] *Prior* hoc loco non ſignificat equum cum alio comparatum, vel qui carceribus exſilierit ante alios: nam omnes pariter exſiliebant: ſed præſtantiſſimum, & curſu excellentem maxime. Perperam igitur Broukhuſius legit *prius*; quæ mutatio totam hujus loci venuſtatem corrumpit. Sic Horatius Epiſt. ad Piſones v. 84. *equum certamine primum*; qui nimirum in certaminibus palmam ſemper obtinet. Mirifice Juven. Sat. 8. v. 58.

Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exſultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic, quocumque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis.

Phædrus de Corvo lib. 1. Fab. 13.

Si vocem haberes, nulla prior ales foret.

præſtantior ſcilicet. Horatius ad Ligurinum Ode 10. lib. 4. *Nunc & qui color eſt puniceæ flore prior roſæ.* Idcirco *melior* pro *prior* uſurpatum legimus. Virgilius Æneid. lib. 9. v. 156.

Nunc adeo melior quoniam pars acta diei.

Vide Jacobum Mazzonium, admiranda hominem eruditione (*della Difeſa di Dante lib. 1. cap. 19.*). Quapropter idem poeta princeps Georg. lib. 3. v. 66.

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus.

Prima igitur diei pars ideo melior a Marone appellatur, quod ſit quaſi juventus diei. Ovidius Epiſt. Herus v. 75.

Protinus ut ſimilis detur tibi copia curſus,
Hoc melior certe, quo prior, illa fuit.

Terentius *prius*, & *fortius*, conjunxit Eunucho 1. 1. 5.

Siquidem hercle poſſis, nihil prius, neque fortius.

Vide Ariſtotelem in Poſtprædicamentis cap. de Priori. Ceterum, eadem fere ſignificatione *primum* uſurpabant. Livius initio lib. 21. Hiſtor. loquens de Hannibale: *Equitum peditumque idem longe primus erat.* Cato lib. 1. de R. R. cap. 1. *Prædium quod primum fiet, ſi me rogabis, ſic dicam.* Ita vulgatus Interpres Jeremiæ Threnis cap. 4. v. 2. *Filii Sion inclyti, & amicti auro primo.* Cicero in Verrem Orat. de Signis: *A Lyſone vero Lilybetano, primo homine ...... Apollinis ſignum ablatum certe non oportuit.* Poſtremo D. Auguſtinus Sermone 175. c. 6. *Quomodo in artificibus, quicumque vult ædificare, quid dicit? Quis eſt hic primus ſtructor? quis eſt primus faber? Aut ſi curari vult, Quis eſt hic primus medicus?*

ibid. *Qui prior Eleo eſt carcere miſſus equus*] Nempe Olympiaco. Nam Elis & Olympia urbes proximæ fuerunt. Ovidius Epiſt. Leandri v. 166.

Ut celer Eleo carcere miſſus equus.

Mitti dicebantur equi curſuri, & curſu certaturi. Idem Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 2.

Maxima jam lato prætor ſpectacula Circo
Quadrijugos æquo carcere miſit equos.

Emittebantur enim, ſeu dimittebantur dato ſigno per prætorem, qui ſpectaculo præſidebat. Varro lib. 2. R. R. cap. 7. *Lucianus, Ego quoque aperiam carceres, inquit, & equos emittere incipiam.* Virgilius hoc ita variavit lib. 1. Georg. v. 512. *quum carceribus ſeſe effudere quadrigæ.* Manilius vero lib. 1. Aſtronom. v. 76.

Aut quum laxato fugerunt cardine clauſtra,
Exagitare feros.

Et v. 162. de curſore, non equo, ſed homine:

Ille prius victor ſtadio, quam miſſus abibit:

v. 33. *Vidi ego jam juvenem*] Qui olim juvenis fuerat, nec juvenili ætate uſus fuerat. Ovidius de Adonide lib. 10. Metam. v. 523. ſignificatione aliquanto diverſa:

Jam juvenis, jam vir, jam ſe formoſior ipſo eſt.

ibid. *premeret quum ſerior ætas*] Quum gra-

Digitized by Google

Crudeles divi! ſerpens novus exuit annos:
Formæ non ullam fata dedere moram.
Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventas:
Nam decet intonſus crinis utrumque deum.

Tu,

gravaret ætas maturior, immo in ſenectutem vergens. Hinc *gravis annis miles* apud Horatium Sat. 1. lib. 1. Et Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 8.

Fata repugnarunt, quæ quum mihi tempora prima
Mollia præbuerint, poſteriora gravant.

v. 34. *Mærentem ſtultos præteriiſſe dies*] Dolentem, ſe florem ætatis perdidiſſe, non utendo. Poeta diebus tribuit καταχρηστικῶς, quod homini proprie tribuendum. Simillimum eſt illud Perſii Sat. 1. v. 60.

Tunc craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,
Et ſibi jam ſeri vitam ingemuere relictam.

Mirum ni a Tibullo ſumſit. Horatius pariter Sat. 6. lib. 2. v. 60.

— — — quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc ſomno & inertibus horis
Ducere ſollicitæ jucunda oblivia vitæ?

Propertius quoque lib. 1. Eleg. 6.

Tum tibi ſi qua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro ſidere certus eris.

Contra Ovidius lib. 1. Artis v. 65. *ſera & ſapientior ætas*. Et Seneca lib. 1. de Ira cap. 15. *Socrates admonitionem ſervi in tempus ſanius diſtulit.*

v. 35. *Crudeles divi!*] Fuit hæc veterum inſania, deos & naturam accuſare, quod humano generi male conſuluiſſent. Pulcherrimus eſt Senecæ locus lib. 2. de Beneficiis cap. 29. huc pertinens: *Vide quam iniqui ſint divinorum munerum æſtimatores, etiam quidam profeſſi ſapientiam. Queruntur, quod non magnitudine corporum æquemus elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros* .... Et paullo poſt: *In negligentes noſtri deos querimoniam jaciunt, quod non bona valetudo, & virtus inexpugnabilis data ſit, quod non futuri ſcientia. Vix ſibi temperant, quin eo uſque impudentiæ provehantur, ut naturam oderint, quod infra deos ſumus, quod non in æquo illis ſtetimus.* Lege reliqua, & pretium operæ feceris. Idem Epiſt. 93. *Multos inveni æquos adverſus homines: adverſus deos neminem. Objurgamus quotidie fatum: Quare ille in medio curſu raptus eſt? quare ille non rapitur?* Peſſime de natura deorum ſenſit Solon ille Athenienſis, qui apud Herodotum in Clio profitetur aperte ſe ἐπιςάμενον τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε ϗ ταραχῶδες. h. e. *gnarum, omne numen invidum eſſe & turbulentum.*

ibid. *ſerpens novus exuit annos*] *Novus* dixit pro *innovatus*, &, ut Plautina voce utar, *interpolis*. Virgilius Æneid. l. 2. v. 471.

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc poſitis novus exuviis nitiduſque juventa,
Lubrica convolvit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

Lege ſis eumdem 3. Georg. v. 437. quæ loca legere & conferre debuerat ineptus Auctor Pſeudo-Virgilii: minus fortaſſe deliraſſet, ac miſeræ chartæ pepercisſet. Ovidius quoque ita locutus lib. 9. Metamorph. v. 266.

Utque novus ſerpens, poſita cum pelle ſenecta,
Luxuriare ſolet, ſquamaque nitere recenti,
Sic &c.

Idem lib. 3. Artis v. 77.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas.

Et de vetere ariete, operâ Medeæ juventuti reſtituto, lib. 7. Metamorph. v. 318.

Cornuaque exuitur, necnon cum cornibus annos;

quæ mera Tibulli φράσις.

v. 36. *Formæ non ullam fata dedere moram*] Hoc ſemper doluit fatuus amatoribus. Iccirco Propertius lib. 2. Eleg. 2.

Hanc utinam faciem nolit mutare vetuſtas,
Etſi Cumææ ſecula vatis aget.

Elegans, at irritum votum.

v. 37. *Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque*

H

juven-

Tu, puero quodcumque tuo tentare libebit,
Cedas. Obſequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva ſiti.

Quam-

juventas] Apollinem & Bacchum imberbes & comatos finxit antiquitas, quod eorum ætatis florem numquam deteri perſuaſiſſet ſibi. Martialis Epigr. 45. lib. 4. ad Apollinem:

Perpetuo ſic flore mices: ſic denique non ſint
Tam longæ Bromio, quam tibi, Phœbe, comæ.

Cicero lib. 1. de Nat. Deor. *Ita enim modo dicere licebit Jovem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem*. Ovidius vero initio lib. 4. Metamorph. ad Bacchum: *tibi enim inconſumta juventas*. Non ſolum autem juvenem, ſed & puerum exiſtimabant. Idem poeta Sulmonenſis lib. 1. Artis Amat. v. 189.

Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuiſti,
Quum timuit thyrſos India victa tuos?

Interdum & puellæ ſimilem inducebant. Auctor Carminis in Priapum Epigr. 36.

Tsabitque Bacchus virginis tener formam. *pizzica di fanciulla*. Sophocles tamen Œdipode Coloneo v. 634. perpetuam juventutem, ut & immortalitatem, diis univerſis tribuit: *μόνοις ὐ γίνεται Θεοῖς τὸ γῆρας, ὐδὲ κατθανεῖν ποτέ.*

v. 38. *Nam decet intonſus crinis utrumque deum*] Colligit poeta, Phœbum & Liberum ſemper eſſe juvenes, quod eorum ſimulacra fingantur promiſsà comâ: tonſi autem capilli eos nullo pacto deceant. Ex vulgari enim conſuetudine & perſuaſione de diis judicabant. Seneca Hippolyto v. 750.

Et tu thyrſigera Liber ab India,
Intonsâ juvenis perpetuum comâ.

Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 411.

Et, quem fama genus non eſt decepta Lyæi,
Phleïas, immiſſus patrios de vertice crines.

Longos nimirum, & Bacchi patris crinibus omnino ſimiles. Hic deus in Cyclope Euripidis v. 75. dicitur *ξανθὰς χαίτας σείων*. *flavam comam concutiens*. De Phœbo autem Horatius Epodo 15.

Intonſoſque agitaret Apollinis aura capillos.

Reconditum porro & ſingulare eſt quod tradit Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 18. ubi oſtendit, Liberum patrem & Solem unum & eumdem eſſe deum. *Item*, ait, *Liberi patris ſimulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingunt, præterea barbata ſpecie, ſenili quoque; uti Græci ejus quem Baſſarea, item quem Briſea appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes. Hæ autem ætatum diverſitates ad Solem referuntur, ut parvulus videatur hiemali ſolſtitio, qualem Ægyptii proferunt ex adyto die certa; quod tunc breviſſimo die veluti parvus & infans videatur: exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali ſimiliter atque adoleſcentis adipiſcitur vires, figuráque juvenis ornatus: poſtea ſtatuitur ejus ætas pleniſſima effigie barbæ ſolſtitio æſtivo; quo tempore ſummum ſui conſequitur augmentum: exinde per diminutiones dierum velut ſeneſcenti quarta forma deus figuratur*. Ceterum, magna religione figuras deorum a parentibus traditas antiqui ſervabant; quas immutare ſacrilegium fuit. Idem Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 2. *Semper ſe & ſciri & coli numina maluerunt, qualiter in vulgus antiquitas fabulata eſt; quæ & imagines & ſimulacra formarum talium prorſus alienis, & ætates tam incrementi quam diminutionis ignaris, & amictus ornatuſque varios corpus non habentibus aſſignavit*.

v. 40. *Cedas*] Concedas, permittas, ne obſiſtas, ne repugnes.

ibid. *plurima vincit*] Evincit, obtinet, conſequitur. vel plurimum vincit. ſicuti Virgilius dixit, *Crebra ferit*, pro *crebro*.

v. 41. *Neu comes ire neges*] Ovidius lib. 10. Metamorph. v. 171. de Apolline Hyacinthum depereunte: *non recuſat ... per juga montis iniqui Iſſe comes*.

v. 43.

Google

Quamvis prætexens picea ferrugine cælum,
  Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel ſi cæruleas puppi volet ire per undas,
  Ipſe levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros ſubiiſſe labores;
  Aut opere inſuetas adteruiſſe manus.
Nec, velit inſidiis altas ſi claudere valles,
  Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi tentabis ludere dextra,
  Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.

Tunc

v. 43. *picea ferrugine*] Sequor lectionem quam Heinſius invenit in quatuor vetuſtis libris, & manifeſto exhibet editio princeps anni 1472. Broukhuſius mavult *picta*. ſed, meo judicio, ferrugineam vocare pictam, tam abſurdum eſt, quam purpuram, aut alium colorem. Nubes ferrugine, ſeu colore ferrugineo, pinguntur: non ipſa ferrugo picta eſt. *Picea ferrugo*, obſcura. Ovidius Epiſt. Leandri v. 7. *Ipſa vides cælum pice nigrius*.

v. 44. *Venturam admittat imbrifer arcus aquam*] *Admittat*, portendat, prænuntiet, præſagiat: ut ſit verbum augurale. Ita fere Propertius lib. 2. Eleg. 11.

Venturam melius præſagit navita noctem.

vel impellat: quo modo dicimus *admittere equum*. vel corripiat & comprehendat. Martialis lib. 12. Epigr. 29.

Caſuras alte ſic rapit Iris aquas.

Ovidius etiam 1. Metam. v. 270.

Nuncia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus adfert.

Denique Lucanus lib. 4. v. 79.

Hinc imperfecto complectitur aëra gyro
Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptoſque ad nubila fluctus
Pertulit, & cælo defuſum reddidit æquor.

Primæ explicationi favet Seneca Œdipode v. 1515.

Imbrifera qualis implicat varios ſibi
Iris colores, parte quæ magna poli
Curvata picto nuntiat nimbos ſinu.

v. 48. *Aut opere inſuetas adteruiſſe manus*] Opere faciundo. *Ruſtico opere attritæ manus*, legitur apud Valerium Maximum lib. 4. c. 5. M. quoque Seneca Suaſoria 4. *Quid ita inutili deſidemus facundia, aut periculoſis atteritur armis manus?* *Operi*, quod hic præferunt editiones, non eſt a Scaligero, ut opinatur Broukuſius: comparet enim in utraque Aldina anni 1501. & 1515. atque in Gryphiana 1542. Scaligeri editione antiquioribus. Verum ſive *opere* legas, ſive *operi*, nihil intereſt. nam *operi* vetus eſt ablativus. Vide quæ diximus ad verſum 72. Elegiæ primæ.

v. 49. *Nec, velit inſidiis altas ſi claudere valles*] Ex hoc diſticho quis haud recte conjecerit, Tibullum hac Elegia non de pueris ingenuis mentionem facere, quos turpi amore proſequi legibus Romanis vetitum erat, verum de mancipiis & vernis, adverſus quos majore licentia utebantur. Nam Salluſtius initio Belli Catilin. *agrum colere atque venari* vocat *ſervilia officia*. Sed obſtant quæ ſuperius attulimus ad verſum 11. & ſequentes. *Altæ valles*, profundæ ſunt, & ſpiſſis nemoribus conſitæ. Vide Noſtrum lib. 2. Eleg. 3. v. 12.

v. 50. *humeri retia ferre negent*] Ovidius 10. Metamorph. v. 171.

Immemor ipſe ſui non retia ferre recuſat,
Non tenuiſſe canes.

v. 51. *Si volet arma, levi tentabis ludere dextra*] Romani, quod plerumque atroci eſſent animo, diligentem laniſtæ (erat is magiſter gladiatorum) operam dabant; neque ſolum homines de fæce plebis, verum etiam primaria nobilitate. Suetonius in

Julio

Julio cap. 26. *Tirones neque in ludo, neque per laniſtas, ſed in domibus per equites Romanos, ac etiam per ſenatores armorum peritos erudiebat*. Vide ibi Samuelem Pitiſcum in Commentario, & ſcriptores ab eo allatos, præcipue Hirtium. Ludus gladiatorius vocabatur locus ubi tirones exercebantur ſub laniſta, antequam in arenam deſcenderent, vera certamina ſuſciperent, ac populo ſe ſpectandos præberent. Hujuſmodi exercitationem *arma* dicebant, ut hoc verſu Tibullus. Cicero etiam libro de Senectute cap. 16. ubi ſenum & juvenum oblectamenta deſcribit: *Habeant igitur alii ſibi arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clavam & pilam, ſibi natationes & curſus: nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant & teſſeras*. Cornelius Nepos Epaminonda, ubi de maximi illius viri exercitationibus: *In armis plurimum ſtudii conſumebat*. h. e. *nella ſcherma*. Cornelius Celſus lib. 1. Medicinæ cap. 8. *Pila, vel armis exerceri*. *Armorum & equitandi peritus* dicitur Suetonio Julius Cæſar in ejus Vita cap. 57. Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 310.

Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum & inceſſum.

Fuit hic Turbo gladiator puſillo corpore, ſed magno animo. Quinctilianus denique Inſtit. Orat. lib. 9. cap. 1. *Ut in armorum certamine adverſos ictus, & rectas ac ſimplices manus quum videre, tum etiam cavere ac propulſare facile eſt: averſæ tectæque minus ſunt obſervabiles: & aliud oſtendiſſe quam petas, artis eſt: ſic oratio quæ aſtu caret, pondere, mole, & impulſu præliatur: ſimulanti, variantique conatus, in latera atque in terga incurrere datur, & arma avocare, & velut nutu fallere*. Hanc armorum diſciplinam Plato in Lachete vocat ὁπλιτικὸν μάθημα, & τὰ ὁπλιτικά. Ludum porro & arma conjungunt optimi ſcriptores. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 379.

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis.

Nempe illis quibus juventus Romana in campo Martio exercebatur. Ovidius l. 4. Triſtium Eleg. 1.

Aſpera militiæ juvenis certamina fugi,
Nec niſi luſura movimus arma manu.

Manilius lib. 4. Aſtronomic. v. 227.

Sunt quibus & ſimulacra placent, & ludus in armis,
(Tantus amor pugnæ eſt) diſcuntque per otia bellum.

Ceterum, *levi dextra ludere*, quod Tibullus præcipit amatori, eſt rudem illam gladiatoriam, ſeu ligneum gladium, quo tirones in ludo utebantur, ita moderari, ut minime tener adverſarius ictibus lædatur.

v. 52. *Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus*] Nudum latus, eſt clypeo non protectum, apertum, ictui expoſitum. Vide Juſtum Lipſium Saturnal. lib. 2. cap. 20. Hoc autem quum ſingulari certamini, tum exercituum prœliis convenire poteſt. L. Cornelius Siſenna lib. 3. Hiſtor. apud Nonium: *Adoriuntur adverſos, ut apertis lateribus*. Cæſar lib. 1. Belli Gallici cap. 25. *Multi ut, diu jactato brachio, præoptarint ſcutum manu emittere, & nudo corpore pugnare*. Et paullo poſt: *Ex itinere noſtros latere aperto aggreſſi*. videlicet, quia latus dextrum ſcuto non tegebatur. Ovidius 12. Metamorph. v. 100.

-- -- nec tertia cuſpis apertum,
Et ſe præbentem valuit deſtringere Cygnum.

Pulchre Seneca lib. 1. de Ira cap. 11. *Ars tuetur, ira denudat*. loquitur de gladiatoribus. Idem Epiſt. 7. *Nunc omiſſis nugis mera homicidia ſunt: nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expoſiti*. Prævit omnibus Homerus lib. 4. Iliados v. 468.

Πλευρὰ, τά οἱ κύψαντι παρ' ἀσπίδος ἐξεφαάνθη,
Οὔτησε ξυστῷ χαλκήρεϊ -- -- h. e.
Latera, quæ ei inclinato clypeo denudabantur,
Vulneravit haſtâ ære præfixâ.

Porro ab armorum exercitatione, & caſibus qui in ea contingunt, ducta metaphora ad alia quæ accidunt in vita. Horatius Sat. 3. lib. 1. v. 59.

-- -- -- hic fugit omnes
Inſidias, nullique malo latus obdit apertum.

Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Quum hæc uberius diſputantur & fuſius ..... facilius effugiunt Academicorum calumniam: quum autem, ut Zeno ſolebat, brevius anguſtiuſque concluduntur, tum apertiora ſunt ad reprehendendum*. Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 696.

Cetera nuda neci, medioque in crimine patrem
Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis.

L. Florus lib. 3. Hiſt. Rom. cap. 5. *Nudumque imperii latus oſtendebant procul Marius,*

Tunc tibi mitis erit: rapias tum cara licebit
 Oſcula. pugnabit, ſed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo: mox adferet ipſe roganti.
 Poſt etiam collo ſe implicuiſſe volet.
Heu male nunc artes miſeras hæc ſæcula tractant.
 Jam tener adſuevit munera velle puer.
At tibi, qui Venerem docuiſti vendere primus,
 Quiſquis es, infelix urgeat oſſa lapis.

Pie-

rius, *Sulla*, *Sertorius*. Lucianus denique περὶ τῶ μὴ ῥᾳδίως πιςεύειν διαβολῇ: Πάντες ἂν ἀλλήλους ὀξὺ δεδόρκασι, καὶ ὥσπερ οἱ μονομαχοῦντες, ἐπιτηροῦσιν εἴ πῃ τι γυμνωθὲν μέρος θεάσαιντο τοῦ σώματος. h. e. *Omnes ſe invicem acribus oculis intuentur, & quemadmodum qui ſingulari certamine contendunt, diligenter obſervant, num aliquam corporis partem nudam & male munitam conſpiciant*. Ceterum, quod hic Tibullus amatorem docet, ut ſe ab ephebo colluſore in armis vinci ſinat, ut eum ſibi conciliet, præcipit Ovidius quoque lib. 2. Artis Amat. v. 205. in ludo talorum cum puella:

Seu jacies talos, victam ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.

Erat enim canis peſſimus talorum jactus.

v. 53. *Tunc tibi mitis erit*] Lætus nimirum victoria, quam tibi debebit.

v. 54. *pugnabit, ſed tamen apta dabit*] Detrectabit, ne voti compos fieri poſſis: at mox prævaricabitur. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 667.

Pugnabit primo fortaſſis: &, Improbe, dicet:
Pugnando vinci ſed tamen illa volet.

Quid ſint *apta oſcula*, non eſt facillimum explicare. crediderim tamen eſſe inter ſe nexa & colligata, ſeriem oſculorum. Vide Catullum Carm. 5. *Apo* antiquis fuit *vincio*, *ligo*, unde participium *aptus*.

v. 56. *collo ſe implicuiſſe volet*] Ipſa ἐνθλίψαι τῷ *ſe*, numeriſque implicitis rem oſtendit.

v. 57. *artes miſeras*] Vel nihil proficientes, vel ad quas miſeri amatores confugiunt, pecunia deſtituti. Lepide Ovidius l. 2. Artis Amat. v. 161.

Non ego divitibus venio præceptor amoris:
Nil opus eſt illi qui dabit, arte mea.
Secum habet ingenium, qui, quum libet,
Accipe, dicit.
Cedimus: inventis plus placet ille meis.
Pauperibus vates ego ſum; quia pauper amavi.
Quum dare non poſſem munera, verba dabam.

Sic *miſeræ preces* apud Horatium Carm. lib. 3. Ode 29. ſunt vel non exauditæ, vel quas fundunt miſeri, & naufragium facturi. Mirum epithetum & efficax.

v. 59. *qui Venerem docuiſti vendere primus*] Non præceptis, aut libris editis, verum exemplo, quia primus vendideris. Horatius Ode 7. lib. 3.

Et peccare docentes
Fallax hiſtorias monet.

Nempe quæ proponunt impudicarum mulierum exempla, atque ita caſtarum ingenium labefactant. Plautus Menæchmis 5. 1. 6. Tibullo præivit imprecatione hujuſmodi:

Qui illum dii omnes perduint qui primus commentus eſt
Concionem, hac reque homines occupatos occupat.

Et in fragmento Bœotiæ:

Ut illum dii perdant primus qui horas repperit,
Quique adeo primus hic ſtatuit ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.

v. 60. *infelix urgeat oſſa lapis*] Haud facile invenias poetam alium qui cippum ſepulcralem urnæ impoſitum vocaverit lapidem infelicem. Vult gravem eſſe terram cineribus hominis impuri; contra votum commune Romanorum, *Sit tibi terra levis*. Neque tamen neceſſe eſt ut hoc modo expli-

Pieridas, pueri, doctos & amate poetas.
Aurea nec ſuperent munera Pieridas.
Carmine purpurea eſt Niſi coma. carmina ni ſint,
Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.
Quem referent Muſæ, vivet: dum robora tellus,
Dum cælum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

At

plicemus Tibullum. Fortaſſe imprecatur poeta oſſibus avari adoleſcentis pœnam Siſyphi apud inferos, nempe ſaxum quod ille volutat, & in vertice montis collocare contendit; *neque proficit hilum*. Ita Propertius lib. 2. Eleg. 20.

Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, & me
Inferno damnes, Æace, judicio.
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur:
Tumque ego Siſyphio ſaxa labore geram.

Ego, ſcilicet manes mei, umbra mea, oſſea forma, in quam verſus fuero. *Oſſa* pro umbra vetulæ vita functæ uſurpavit idem Propertius lib. 4. Eleg. 5.

Nec ſedeant cineri manes, & Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat oſſa ſono.

Neque abludit Ovidius in Ibin v. 145.

Tunc quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Inſequar & vultus oſſea forma tuos.

L. Seneca Epiſt. 24. memorat *Larvarum habitum nudis oſſibus cohærentium.*

v. 61. *Pieridas, pueri, doctos & amate poetas*] Ovidius pariter 3. Artis Amat. v. 547.

Vatibus Aoniis faciles eſtote, puellæ;
Numen ineſt illis; Pierideſque favent.
Eſt Deus in nobis, & ſunt commercia cæli.
Sedibus ætheriis ſpiritus ille venit.
A doctis pretium ſcelus eſt ſperare poetis.
Me miſerum! ſcelus hoc nulla puella timet.

Tibullus autem & Ovidius doctos poetas deſignant, propterea quod & indoctorum vulgus carmina faceret. Vere enim Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 117.

Scribimus indocti doctique poemata paſſim.

v. 63. *Carmine purpurea eſt Niſi coma*] Ferunt fabulæ, Niſum qui Megaris regnavit, unum crinem habuiſſe purpureum in capillamento cano, quem crinem donec ſervaſſet, regno ſpoliari non poſſet. Videndi Apollodorus, Hyginus, Lutatius in Papinium lib. 1. Thebaidos v. 333. Servius in Virgilium Ecloga 6. v. 74. Pauſanias in Atticis, Ovidius initio lib. 8. Metamorph. & v. 80. & ſeqq. Idem Remed. Amor. v. 67. Virgilius 1. Georg. v. 405. Auctor Ciris a v. 119. quorum verſus recitat Broukhuſius. Ait vero Tibullus, Niſi comam debere carminibus, quod purpurea ſit credita: ſicuti Pelopis humerus, quod eburneus feratur. Adi, ſi lubet, Horatium Ode 8. lib. 4. & Ovidium lib. 3. Amorum Eleg. 12. utrobique plura invenies huic ſententiæ accommodata. *Tantaliden eburnum* vocat Ovidius lib. 2. Triſt. v. 385.

Quid? non Tantalides, agitante Cupidine currus,
Piſæam Phrygiis vexit eburnus equis?

quod Hercules Cioſanus peſſime retulit ad triumphalem currum ex ebore.

v. 64. *Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur*] De humero Pelopis eburneo lege, præter ceteros, Nonnum Panopoliten lib. 18. Dionyſiacon a v. 27. Hanc fabulam Pindarus Ode 1. Olympiorum, ut deorum majeſtate indignam, improbat ac refellit, ipſe de Pelope afferens meliora. Vide & Dionem Chryſoſtomum Orat. 8.

v. 65. *dum robora tellus, Dum cælum ſtellas, dum vehet amnis aquas*] Subaudi, tellus *feret, geret, ſuſtinebit*: nam cælum quidem vehit ſtellas, amnis vehit aquas, tellus autem non vehit robora: niſi fingamus, Tibullum Philolai Crotoniatæ doctrinam de mundo amplexum fuiſſe, quam longo poſt tempore Nicolaus Copernicus ab oblivione revocavit. Hanc loquendi rationem ſummus magiſter Ariſtoteles libro 3. Rhetoric. textu 110. ſolœciſmi crimine accuſat. Ἔτι τόδε ποιεῖ σολοικίζειν, τὸ μὴ ἀπο-

διδόναι

At qui non audit Muſas, qui vendit amorem;
  Idææ currus ille ſequatur Opis.
Et tercentenas erroribus expleat urbes;
  Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

Blan-

διόναι, ἐὰν μὴ ἐπιζητῇς ἀμφοῖν ὃ ἁρμόττει· εἶτε ψόφον, ἢ χρῶμα· τὸ μὲν ἰδὼν, οὐ κοινόν· τὸ δ' αἰσθόμενος, κοινόν. *Præterea fit ſolæciſmus, quum in verborum conjunctione non redditur unicuique verbo quod exigit: ut ſi dicas, Sonitum & colorem videns, non bene dixeris, quia non eſt commune: ſed ſentiens, quod eſt commune*. Si tamen audias Majoragium, excuſari fortaſſe poſſunt poetæ quum in hoc vitium inciderint: ſolutæ orationis ſcriptores non habent excuſationem. Ita & Virgilius locutus lib. 2. Æneid. v. 320.

Sacra manu, victoſque deos, parvumque nepotem
Ipſe trahit.

quam ſyllepſin reprehendit Auctor Pſeudo-Virgilii. trahebat enim Panthus parvum nepotem, non ſacra & deos: at imperite reprehendit, quum poetis plurima liceant quæ reliquis non conceduntur. Idem lib. 12. Æneid. v. 435.

Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis.

diſcitur enim virtus, non fortuna. Convenientius dixit Franciſcus Petrareha (*nel Sonette* 223.)

L' infinita bellezza, ch' altru' abbaglia,
Non vi s' impara; che que' dolci lumi
S' acquiſtan per ventura, e non per arte.

v. 67. *At qui non audit Muſas*] Qui precibus facilis eſſe conſuevit, *audire* dicitur: contra qui difficilis, *non audire*. Horatius Ode 2. lib. 1.

-- -- -- prece qua fatigent
Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam?

v. 68. *Idæa currus ille ſequatur Opis*] Fiat unus ex Corybantibus Magnæ Deæ ſacerdotibus, qui ejus currum ſequuntur. Cybele autem, Berecynthia etiam, Rhea & Ops vocata fuit. Idæam appellaverunt ab Ida Cretæ monte, non Phrygiæ, in cujus antro Cybele Jovem puerum a Saturni inſidiis liberatum, Curetibus educandum commiſit.

v. 69. *Et tercentenas erroribus expleat urbes*] Nuſquam conſiſtat, nullo certo lare vitam degat. Miſerrima ſane eſt profugorum vita, & injuriis tempeſtatum obnoxia. Hinc illæ querelæ Virgiliani Æneæ lib. 1. divini poematis, v. 384.

Ipſe ignotus, egens, Libyæ deſerta peragro,
Europa atque Aſia pulſus.

Seneca Medea act. 1. v. 20.

-- -- -- per urbes erret ignotas egens,
Exſul, pavens, inviſus, incerti laris.

Et longe ante illos Homerus lib. 15. Odyſſeæ v. 342.

Πλαγκτοσύνης δ' οὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσιν.

Vagatione non eſt pejus aliud hominibus.

Expleat autem *urbes erroribus* ita dictum a Tibullo, ſicuti ab Ovidio Epiſt. Hypſipyles, v. 161.

Quum mare, quum terras conſumſerit, aëra tentet.

Ac Epiſt. Sapphûs v. 65.

Factus inops agili peragit freta cærula remo.

Idem fere ſignificat in Evangelio Matthæi cap. 10. v. 23. τελέσητε τὰς πόλεις, Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Interpres vulgatus: *Non conſummabitis civitates Iſraël*. Ceterum, animadverte, numerum certum a Tibullo pro incerto hic uſurpari, ut ſolent poetæ. Catullus Carm. 11.

Quos ſimul complexa tenet trecentos.

Virgilius lib. 4. Æneid. v. 510. de ſaga: *Tercentum tonat ore deos*.

v. 70. *Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos*] Phrygio tibiæ modo (qui acutiſſimus & valde concitatus fuit) in furorem actus, amputet ſibi virilia, Gallorum Cybeles comitum more. Vide Galliambum Catulli. *Vilia membra* vocaverunt τὰ αἰδοῖα. Ovidius 4. Faſtorum in fabula Attidis v. 243.

Venit in exemplum furor hinc, molleſque miniſtri

Cædunt

Blanditiis vult eſſe locum Venus ipſa: querelis
  Supplicibus, miſeris fletibus illa favet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, deus edidit ore;
  Sed Titium conjux hæc meminiſſe vetat.
Pareat ille ſuæ. Vos me celebrate magiſtrum,
  Quos male habet multa callidus arte puer.

Glo-

Cædunt jactatis vilia membra comis.
Idem Ibide v. 453.
Attonituſque ſeces, ut quos Cybeleïa mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos.

Seneca lib. 7. de Beneficiis cap. 2. *Voluptas res humilis, membrorum turpium ac vilium miniſterio veniens, exitu fœda.* Verum, ſi quid video, Tibullus atque Ovidius pudenda appellaverunt *vilia membra*, non quod per ſe contemnenda ſint & nihili æſtimanda, ſed quod vilia eſſe viderentur ipſis Corybantibus, qui furore acti ea ſecabant & projiciebant.

v. 71. *Blanditiis vult eſſe locum Venus ipſa*] Non vult, blanditias amantium inſolenti faſtidio ab amatis rejici & repudiari. Horatius ita locutus Sat. 9. lib. 1. v. 51. -- -- *Eſt locus uni Cuique ſuus.* Et Epiſt. ad Piſones v. 19. *Sed nunc non erat his locus.* Cicero Epiſt. 1. lib. 1. ad Familiares: *Sed plane nec precibus noſtris, nec admonitionibus relinquit locum.*

v. 73. *Hæc mihi, quæ canerem Titio, deus edidit ore*] Broukhuſius ad hunc verſum attulit optima, & quæ legantur digniſſima. Titius amicus noſtri poetæ, homo, ut videtur, παιδεραςής, Tibullum eadem pice inquinatum conſuluerat de formoſorum gratia captanda. Tibullus Priapum rei hujus peritum ſciſcitatus eſt: qui ei reſponſum ore edidit Titio canendum. *Edere oraculum*, deorum fuit fatidicorum, & futuri ſagacium. Videndus Cicero lib. 2. de Officiis cap. 22. Epiſt. 2. ad Brutum, lib. 2. de Finibus cap. 7. & lib. 2. de Divinat. cap. 57. Priapum vero diis fatidicis annumerabant. Sacerdotes horum deorum, quæ ab ipſis edita acceperant referentes, *canere* dicebantur. Noſter infra Elegia 6. v. 49.
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus:
Et canit eventus quos dea magna monet.

Plura exempla congerit Broukhuſius: quem vide. Recte præterea exiſtimat idem vir elegantiſſimus, Titium illum Septimium hoc verſu memorari, Tiberii Claudii Neronis comitem, quem a poetica facultate laudat Horatius Epiſt. 3. lib. 1. Hic præcipue Lyrica ſcripſerat: ſed auctor veterum Scholiorum, quæ Jacobus Cruquius digeſſit, ſua ætate nullos Titii libros exſtitiſſe, teſtatur: tantummodo inſigne monumentum infra Ariciam. Titium quemdam de Feriis ſcribentem memorat Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 16.

v. 74. *Sed Titium conjux hæc meminiſſe vetat*] Opinor, non quod uxor Titii de turpibus hiſce amoribus cum viro ipſa loqueretur, deque his, tamquam prætor aliquis, interdiceret: ſed quod Titius per ſe intelligeret, homini qui uxorem duxiſſet flagitia hæc tandem relinquenda, & haſce nugas dediſcendas. Mire huc facit Fragmentum Petronii Tragurianum, ubi Trimalchio ita loquens inducitur: *Puerum baſiavi frugaliſſimum, non propter formam, ſed quia frugi eſt ...... Non eſt dignus quem in oculis feram? ſed Fortunata vetat.* Erat autem hæc Trimalchionis conjux. Urbane dictum & apud Tibullum, & apud Petronium. Non diſſimile eſt illud Ciceronis pro Sex. Roſcio, quamquam in re graviori: *Quid cenſes hunc ipſum Sex. Roſcium? quo ſtudio & qua intelligentia eſſe in ruſticis rebus? ut ex his propinquis ejus, hominibus honeſtiſſimis, audio, non tu in iſto artificio accuſatorio callidior es, quam hic in ſuo. Verum, ut opinor, quoniam ita huic Chryſogono videtur, qui huic nullum prædium reliquit, & artificium obliviſcatur, & ſtudium deponat licebit.*

v. 75. *Pareat ille ſuæ*] Subaudi *uxori*. Horatius lib. 1. Carm. Ode 15. *Non hoc pollicitus tuæ.* Propertius lib. 3. Eleg. 8.

Me

Gloria cuique ſua eſt. me qui ſpernentur amantes,
  Conſultent. cunctis janua noſtra patet.
Tempus erit, quum me Veneris præcepta ferentem
  Deducat juvenum ſedula turba ſenem.

Me doceat livor mecum habuiſſe meam.

ibid. *vos me celebrate magiſtrum*] Ad me frequentes convenite. Cicero pro Muræna. *A quibus ſi domus noſtra celebratur, diligenter obſervari videmur*. Quinctilianus Inſtit. Orat. lib. 12. cap. 11. *Frequentabunt vero ejus domum optimi juvenes more veterum, & veram dicendi viam velut ex oraculo petent.*

v. 76. *male habet*] Torquet, exercet. Terentius Andria 2. 6. 5. *Hoc male habet virum*. Idem ibid. 5. 4. 37. *At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat, qui me male habet*. Et Hecyra 4. 2. 30. *Hæc res non minus me male habet, quam te, gnate mi.*

v. 77. *Gloria cuique ſua eſt*] Unuſquiſque ob artificium aliquod vel facultatem glorietur, & ſe magnifice circumſpicit. Propertius lib. 3. Eleg. 9.

Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna.

ibid. *qui ſpernentur amantes*] Sperni & faſtidiri duriſſimum amatoribus.

v. 78. *cunctis janua noſtra patet*] Quod civium gratiam conciliat unice. Pulcherrimum eſt illud Q. Ciceronis de Petitione Conſulatus: *Curâque ut aditus ad te diurni, atque nocturni pateant; neque foribus ſolum ædium tuarum, ſed etiam vultu, & fronte, quæ eſt animi janua. quæ ſi ſignificant, voluntatem abditam eſſe & recluſam, parvi refert patere oſtium*. Ceteroqui nobilium virorum domus apertæ ſemper erant, ut & hodie. Id vel ex Ovidio colligi poteſt 2. Metamorph. v. 171.

— — — Dextra lævaque deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.

v. 79. *Veneris præcepta ferentem*] Uſitata magis locutio eſt *dare*, vel *tradere præcepta*. Sed hic *ferre præcepta*, eſt illa primum excogitare, & quaſi nova proferre; quod majori laudi ducitur. Noſter infra Eleg. 10.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes?

Cicero de Claris Orator. *Hæc ætas primum Athenis oratorem prope perfectum tulit*. Locutionem aliam ad idem ſignificandum adhibet Catius Epicureus apud Horatium Sat. 4. lib. 2.

Non eſt mihi tempus aventi
Ponere ſigna novis præceptis, qualia vincant
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.

Ita *ferre præcepta*, & *ponere ſigna novis præceptis* dicendi ſunt hodierni diſciplinarum doctores, quotcumque aut nova inveniunt, aut ſe inveniſſe jactant; quorum aliqui nimio novitatis amore perciti, quidquid vetuſtum & ſolidum eſt, vel turpiter ignorant, vel inique damnant, vel ſtulte ac ferociter contemnunt. Et hic quidem ſæculi noſtri morbus eſt maximus.

v. 80. *Deducat juvenum ſedula turba ſenem*] Per urbem comitetur honoris cauſſa. Hinc *deductores* apud Q. Ciceronem de Petitione Conſulatus: *Nam ex ea ipſa copia*, inquit, *conjectura fieri poterit, quantum ſis in ipſo campo virium ac facultatis habiturus. Hujus autem rei tres partes ſunt: una ſalutatorum, quum domum veniunt: altera deductorum: tertia aſſectatorum*. M. autem frater de Claris Orator. cap. 22. *Quum eum* (Lælium) *ſocii domum deduxiſſent, egiſſentque gratias*. Livius lib. 23. *Neque tamen elanguit cura hominum eâ morâ, frequentesque eum domum deduxerunt*. Hinc & *reducere*. M. Tullius lib. 1. Acad. Quæſt. ad M. Varronem: *Satis eum longo intervallo ad ſuam villam reduximus*. Martialis lib. 2. Epigr. 74.

Quanta reduci Regulus ſolet turba,
Ad alta tonſum templa quum reum miſit.

Peculiari ſignificatione uſus eſt Cicero verbo *deducere* lib. 1. Acad. Quæſt. ad Varron. *Nos in noſtra urbe peregrinantes, errantes, tamquam hoſpites, tui libri quaſi domum deduxerunt.*

Heu heu quam lento Marathus me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.
Parce puer, quæſo, ne turpis fabula fiam:
Quum mea ridebunt vana magiſteria.

v. 81. *Marathus*] Hunc Broukhuſius Phœnicium fuiſſe putat, ducto a patria cognomine: fuit enim Marathus nobilium Phœnices urbium non poſtrema. Aſiatici pueri & puellæ, dum Tibullus viveret, in pretio erant. Scripſit noſter Elegiam octavam hujus libri ut hunc Marathum Pholoæ conciliaret, quæ ipſum amantem non redamabat. Propterea ſuſpicatur Broukhuſius, puerum iſtum proprio nomine *Cyrum* appellatum fuiſſe, quem, ut Horatius teſtatur Ode 33. lib. 1. ad noſtrum Albium conſcriptâ, Lycoris appeteret, Pholoë ab ipſo dilecta faſtidiret. Elegans profecto conjectura & ingenioſa. Porro, *lentus amor* hoc loco eſt, quem rumpere, & a quo te expedire non facile poſſis. Plautus Menæchmis 1. 1. 18. *Nimis lenta vincla ſunt eſcaria*.

v. 84. *vana magiſteria*] Quod ſcilicet fruſtra magiſtri perſonam & *σεμνότητα* mihi circumpoſuerim, & interea præceptis meis uti neſciens, quum aliis caverim, mihi ipſe non caveam.

E L E G I A V.

ASPER eram, & bene diſcidium me ferre loquebar.
At mihi nunc longe gloria fortis abeſt.

Nam-

ARGUMENTUM ELEGIÆ V. LIBRI I.

Expoſtulat primo cum amica, quod ea, ſe poſthabito, cujus precibus ſanitati reſtituta fuerat, rivalem ſuum recipiat: deinde dolet, ſibi divitem in amore præferri, puellamque docet, quæ officia pauper præſtare poſſit.

VERSU I. *Aſper eram*] Truculentus, ferus, protervus. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 163. de moribus adoleſcentis:

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper.

ibid. *bene diſcidium me ferre*] Deliæ iram & inimicitias facile perpeti, ea tantiſper carere poſſe. Contra *male ferre* dixit Ovidius Remed. Amor. v. 15.

At ſi quis male fert indignæ regna puellæ,
Ne pereat, noſtræ ſentiat artis opem.

Diſcidium eſt inter amantes, quum eorum animi, ut ita dixerim, conglutinati, ſubito diſcinduntur & divelluntur. Idem poeta Sulmonenſis lib. 14. Metam. v. 79.

Excipit Ænean illic animoque domoque,
Non bene diſcidium Phrygii latura mariti
Sidonis.

quem locum attulit Broukhuſius.

ibid. *loquebar*] Abſolute, pro dicebam, profitebar. Ita Lucretius lib. 4. v. 584.

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur.

Pertinet etiam *loqui* ad ſuperbiam, & vanum tumorem. Propertius lib. 1. Eleg. 1.

Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui.

Albinovanus ad Liviam de morte Druſi v. 9.

Hei mihi, quam facile eſt (quamvis hic contigit omnes)
Alterius luctu fortia verba loqui!

Cicero lib. 12. ad Familiar. Epiſt. 22. *Panſa & ſentit bene, & loquitur fortiter.* Cornelius Nepos Thraſybulo: *Nam jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant.*

v. 2. *longe abeſt*] Ovidius pariter Epiſt. Medeæ v. 53.

Quam tibi tunc longe regnum dotale Creuſæ,

Et

Namque agor, ut per plana citus ſola verbere turbo,
   Quem celer adſueta verſat ab arte puer.
Ure ferum, & torque: libeat ne dicere quidquam
   Magnificum poſthac, horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti,
   Per Venerem quæſo, compoſitumque caput.

Ille

Et ſocer, & magni nata Creontis erant!

Sed hæc translatione ac figura non carent. Proprie idem Ovidius lib. 2. Metam. v. 291.

— — — Aut cur mihi tradita ſorte
Æquora decreſcunt, & ab æthere longius abſunt?

Varro etiam R. R. lib. 1. cap. 16. *Si enim ab fundo longius abſunt oppida, aut vici, fabros pareut, quos habeant in villa.*

ibid. *gloria fortis*] Nempe gloriatio, qua me fortem eſſe jactabam. Vel *τὸ fortis* caſus eſt patrius. Gloria ſcilicet viri fortis & magnanimi. quemadmodum P. Syrus:

Cita ignominia fit ſuperbi gloria.

v. 3. *agor, ut turbo*] Cujuſmodi moleſtia ſit circumagi, tamquam turbo, optime explicat Cicero lib. 1. de Nat. Deor. *Quæ vero*, inquit, *vita attribuitur iſti rotundo deo? nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem poſſit. in qua non video ubinam mens conſtans, & vita beata poſſit inſiſtere. quodque in noſtro corpore ſi minima ex parte ſignificetur, moleſtum ſit, cur hoc idem non habeatur moleſtum in deo.* Hunc puerorum ludum Perſius commemorat Sat. 3. v. 51.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Amatores infelices turbini recte comparantur: puer qui eos aſſidue circumagit & volutat, Cupido eſt. Propterea Juno ad Jovem in Dialogis Deorum apud Lucianum: ἢ ὅλως κτῆμα ἢ παιδιὰ τῷ ἔρωτος σύγε.

ibid. *per plana ſola*] Catullus pariter Galliambo v. 7.

Et jam recente terræ ſola ſanguine maculant.

Et v. 40.

Luſtravit æthera album, ſola dura, mare ferum.

v. 4. *adſueta verſat ab arte*] Ita Ovidius lib. 2. Triſtium v. 461. loquens de Tibullo noſtro:

Multaque dat furti talis præcepta: docetque,
Qua nuptæ poſſint fallere ab arte viros.

Idem lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Et tenerum molli torquet ab arte latus.

Ab particula etiam Lucretio abundat lib. 1. v. 719. ubi de Sicilia:

Quam fluitans circum magnis anfractibus æquor
Ionium, glaucis aſpergit virus ab undis.

v. 5. *Ure ferum, & torque*] Permiſſionis hujus cauſſa ægritudo animi. *Ferus* hoc loco eſt *indomitus*. Ovidius Artis Amat. lib. 1. v. 9.

Ille quidem ferus eſt, & qui mihi ſæpe repuguet:
Sed puer eſt. ætas mollis, & apta regi.

ibid. *libeat ne dicere quidquam Magnificum poſthac*] Qualia erant olim verba Stoicorum. Seneca Epiſt. 108. prope finem: *Non ut verba priſca aut ficta captemus, & translationes improbas figuraſque dicendi, ſed ut profutura præcepta, & magnificas voces & animoſas, quæ mox in rem transferantur.*

v. 6. *horrida verba*] Triſtia, minarum & ſuperbiæ plena. Alias *verba horrida*, ſunt inculta, barbara, obſoleta. Cicero de Claris Orator. *Antiquior eſt ejus ſermo, & quædam horridiora verba.*

v. 7. *furtivi fœdera lecti*] Fœdus etiam de vetitis amantium congreſſibus nonnumquam uſurpatur. Propertius lib. 4. Eleg. 7.

Sæpe Venus trivio commiſſa, & pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia noſtra vias.
Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.

v. 8. *Per V. q. compoſitumque caput*] Interpres unicus loci hujus Tibulliani Ovidius Epiſt. Briſeidos, v. 107.

Perque tuum noſtrumque caput, quæ junximus una.

Componere, inter amatoria verba. Petronius Satyric. *In hoc gramine pariter compoſiti*

Ille ego, quum triſti morbo defeſſa jaceres,
  Te dicor votis eripuiſſe meis.
Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure puro,
  Carmine quum magico præcinuiſſet anus.
Ipſe procuravi, ne poſſent ſæva nocere
  Somnia, ter ſancta deveneranda mola.

Ipſe

ti mille oſculis luſimus. Ita *conferre genas* pro *oſculari* dixit Valerius Flaccus Argonaut. lib. 3. v. 309.

Fas tamen eſt conferre genas, fas jungere tecum
Pectora, & exſangues miſcere amplexibus artus.

Hujus verbi uſum in exprimendo complexu oſtendunt & illa Virgilii de Mezentio, qui ſontes cadaveribus applicabat, lib. 8. Æneid. v. 485.

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora.

v. 10. *Te dicor eripuiſſe*] Debes mihi gratum animum, quod te capite periclitantem votis meis morti eripuerim: neque diſſimulare potes; nam hujus beneficii mei fama illuſtris jam eſt ac pervagata. Niſi igitur parem voluntatem præſtiteris, omnes te immemorem ac beneficio indignam dicent. Ita ſuperius Eleg. 2. v. 81.

Num feror inceſtus ſedes adiiſſe deorum?

Non adivi tantum, ſed palam & manifeſto adivi, ut ſciant omnes & narrent. Ceterum antiqui pro ſalute atque incolumitate illorum quos amarent, vota ſuſcipere ſolebant: cujus rei exempla frequentia in libris & vetuſtis lapidibus.

v. 11. *Ipſeque ter circum luſtravi ſulfure puro*] In luſtrationibus adhibebant ſulfur, ac ternario numero utebantur, qui myſticus & ſolennis fuit. Propertius lib. 4. Eleg. 8.

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulfuris igne caput.

Broukhuſius mallet *ſulfure vivo*.

v. 12. *Carmine quum magico præcinuiſſet anus*] Macrobius lib. 2. in Somnium Scipionis cap. 3. *Corporum quoque morbis medetur* cantus. *nam hinc eſt quod ægris remedia præſtantes præcinere dicuntur*. Plura in hanc rem dabit Joannes Fridericus Gronovius lib. 2. Obſerv. cap. 1. Hujuſmodi anus vocabantur *præcantatrices*. Plautus Milite Glor. 3. 1. 98. *Da quod dem Quinquatribus Præcantatrici,*

v. 13. *Ipſe procuravi*] *Procurare*, hic eſt expiare, cæſis victimis avertere peſtem ac perniciem, quam oſtenta minitentur, a capite alicujus. Ovidius lib. 3. Faſt. v. 343.

Riſit: & His, inquit, facito mea tela procures,
O vir colloquio non abigende meo.

Loquitur de fulminum, & loci fulguriti expiatione. Cicero lib. 1. de Divinat. *Atque etiam ſcriptum a multis eſt, quum terræ motus factus eſſet, ut ſue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce exſtitiſſe.*

ibid. *ſæva ſomnia*] Triſte aliquid & funeſtum portendentia.

v. 14. *ter ſanctâ deveneranda molâ*] *Mola ſancta*, eſt mola caſta, ſeu far pium. Virgines Veſtales farre ſelecto ter in anno molam faciebant, ut Servius teſtatur ad Eclogam 8. v. 82. Lupercalibus, Veſtalibus, Idibus Septembribus, adjecto ſale cocto, & ſale duro. Hanc molam inter cornua victimæ ponebant ſacrificaturi; unde *immolare*. ſic autem dicta fuit, quod ex molito farre conſtaret. *Devenerari*, eſt precibus amoliri, averruncare: ſumitur autem hic παθητικῶς. Hæc debentur Broukhuſio. Sunt qui legant *ſalſâ molâ*: quæ lectio ferri poſſet, niſi obſtarent codices. Expiabantur autem peſſima ſomnia ſacrificiis, ut ipſe Tibullus nos docet lib. 3. Eleg. 4.

Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & ſaliente ſale.

v. 15.

Ipſe ego velatus filo, tunicisque ſolutis
Vota novem Triviæ nocte ſilente dedi.
Omnia perſolvi. fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, ſi ſalva fuiſſes,
Fingebam demens, ſed renuente deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia cuſtos,
Area dum meſſes ſole calente teret.

Aut

v. 15. *Ipſe ego velatus filo*] Hæc lectio ſervanda religioſe. T. Livius lib. 1. Hiſtor. *Legatus, ubi ad fines eorum venit unde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen eſt) Audi Juppiter, inquit*. Male Broukhuſius, & contra fidem codicum, *Velatus lino*.

ibid. *tunicisque ſolutis*] Idem præcipit Themis Ovidiana 1. Metam. v. 382. Deucalioni & Pyrrhæ, jactu lapidum homines reparaturis:

Et velate caput, cinctaſque reſolvite veſtes.
deinde v. 398.

Deſcendunt, velantque caput, tunicaſque recingunt,
Et juſſos lapides ſua poſt veſtigia mittunt.

In ſacris omnibus omnia ſoluta erant, capilli, veſtes, calcei, hoſtia ipſa; fortaſſe ut intelligeretur, oblato ſacrificio voti religionem ſolvi.

v. 16. *Vota novem Triviæ nocte ſilente dedi*] Terna ſcilicet ſingulis Dianæ capitibus; quæ *triformis* Horatio dicitur, Virgilio *tergemina*, Græcis *τριμορφος*, *τριπροσωπος*, ob triplicem poteſtatem: Luna ſiquidem in cælo, Diana in ſilvis, Proſerpina ſeu Hecate apud inferos putabatur. Ceterum, *vota dare*, ut ego ſuſpicor, non eſt vovere, ſed ea quæ promiſſa & vota ſunt reddere. Enimvero proxime ſequitur, *Omnia perſolvi*.

v. 17. *Et precibus felix utitur ille meis*] Quum dii mihi precanti valetudinem tuam, o Delia, conceſſerint, ex ea nullum fructum ipſe capio: ſed rivali meo profuerunt quæ feci vota & perſolvi. Multus eſt in hac ſententia Ovidius. Epiſt. Œnones v. 59.

Votis ergo meis alii rediture rediſti?
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui!

Idem Epiſt. Hypſipyles v. 75.

Vota ego perſolvam? votis Medea fruetur?
Cor dolet; atque ira mixtus abundat amor.

Et Epiſt. Medeæ v. 173.

Quos ego ſervavi, pellex amplectitur, artus:
Et noſtri fructus illa laboris habet.

v. 20. *Fingebam demens*] Locus eſt huic ſimilis apud Pedonem Albinovanum Elegia de Morte Druſi a v. 29. pulcherrimus, ac pæne divinus.

Fingebas reducem; præceptaque mente fovebas
Gaudia; & ante oculos jam tibi victor erat.
Jam veniet: jam me gratantem turba videbit:
Jam mihi pro Druſo dona ferenda meo.
Obvia progrediar, felixque per oppida dicar:
Collaque & hoc oculos illius ore premam.
Talis erit: ſic occurret: ſic oſcula junget:
Hoc mihi narrabit: ſic prior ipſa loquar.
Gaudia vana foves: ſpem pone, miſerrima, falſam.
Deſine de Druſo læta referre tuo.
Cæſaris illud opus, voti pars altera veſtri,
Occidit. indignas, Livia, ſolve comas.

ibid. *ſed renuente deo*] Amore ſcilicet, vel Jove, vel Fortuna, vel fato: niſi *deo* pro *diis* poſitum eſt. Hemiſtichium hoc adhibuit Martialis lib. 2. Epigr. 14.

Omnia quum fecit, ſed renuente deo.

Ovidius 8. Metam. v. 323.

Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros
Optavit renuente deo.

v. 21. *Rura colam*] μίμησις optantis, & ſibi fingentis vitam felicem; ſed fruſtra.

v. 23.

Aut mihi ſervabit plenis in lintribus uvas,
Preſſaque veloci candida muſta pede.
Conſueſcet numerare pecus: conſueſcet amantis
Garrulus in dominæ ludere verna ſinu.
Illa deo ſciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.

Illa

v. 23. *plenis in lintribus*] Lintrium mentio apud Catonem de R. R. cap. 11. in inſtrumento vineæ.

v. 24. *Preſſaque veloci candida muſta pede*] *Pes velox* hic eſt agilis, qui celeriter munere ſuo fungitur calcandis uvis. *Candida muſta*, ſunt albi coloris vina. Horatius Sat. 4. lib. 2. v. 29. *albo non ſine Coo*. Broukhuſius legit *pinguia*, nempe craſſa, turbida, nondum in dolio defæcata.

v. 25. *amantis in dominæ ſinu*] Quæ puerum amore pæne materno complectetur.

v. 26. *Garrulus verna*] Puer verna, hoc eſt domi ex ancilla natus, loquax, & garrulitate ſua dominis acceptus, ut ſolent id ætatis pueri. Mira eſt hujus diſtichi ſuavitas.

v. 27. *Illa deo ſciet agricolæ pro vitibus uvam* &c.] Non ſolum agri colendi, & pecoris habendi, verum etiam religionum & cærimoniarum perita erit. Frugum itaque & fructuum primitias diis agriculturæ præſidibus ponet ſtato die. Quapropter Appulejus in Apologia impium & deorum contemtorem Æmilianum ita objurgat: *Iſte vero nec diis rurationis, qui eum paſcunt ac veſtiunt, ſegetis ullas, aut vitis, aut gregis primitias impartit*.

v. 28. *Pro ſegete ſpicas*] Ultima ſyllaba in *ſegete* hic producitur, ob ſequentem poſitionem initio proximæ vocis. Noſter inferius Eleg. 6.

Quid tenera tibi conjuge opus? tua ſi bona neſcis
Servare, fruſtra clavis ineſt foribus.

Hoc nullus pæne optimorum poetarum refugit. Lucretius lib. 6. v. 817.

Exſpiretque foras in aperta, promtaque cæli.

Catullus Carm. 66. v. 32.

Brixia Cycneæ ſuppoſita ſpeculæ.

M. Tullius lib. 1. de Divinatione:

Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fœtu.

& in verſu Ennii apud eumdem libro eodem:

Auſpicio regni ſtabilita ſcamna, ſolumque.

Virgilius Ecloga 4. v. 51. & Georg. 4. v. 221.

Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum.

Propertius lib. 3. Eleg. 11.

Jura dare ſtatuas inter & arma Mari.

Manilius lib. 2. Aſtron. v. 454.

Singulaque propriis parentia membra figuris.

Idem lib. 3. v. 277.

Ne magna brevibus caveant compendia dictis.

Silius Italicus lib. 9. Punic. v. 575. *Immane ſtridens agitur*. Juvenalis Sat. 8. v. 106.

— — — referebant navibus altis
Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

Papinius Statius lib. 6. Thebaid. v. 550.

Sollicitat tunc ampla viros ad præmia curſu
Præceleres. agile ſtudium, & tenuiſſima virtus.

Martialis lib. 2. Epigr. 66.

Ut digna ſpeculo fiat imago tuo.

Et lib. 5. Epigr. 69.

Quid gladium demens Romana ſtringis in ora?

Vide ibi Raderum, de his prolixe admodum diſputantem. Auſonius de Signis cæleſtibus:

Libra, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Imperite nonnulli refingunt, *Libraque, Scorpius*. Idem in Technopægnio de hiſtoriis:

Non ſine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.

Et in Claris Urbibus, de Athenis:

Verſa Graja manus centum ſe effudit in urbes.

Prudentius Hymno 7. περὶ στεφάνων; *Calcare fremitum maris*. verſus eſt Glyconius. Sido-

Illa regat cunctos, illi ſint omnia curæ,
Et juvet in tota me nihil eſſe domo.
Huc veniet Meſſala meus, cui dulcia poma
Delia ſelectis detrahet arboribus.
Et tantum venerata virum, hunc ſedula curet:
Huic paret, atque epulas ipſa miniſtra gerat.
Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.

Sæpe

donius poſtremo Apollinaris in Panegyrico Aviti Auguſti:

Principis anterior jam conſulis iſte coruſcat
Annus, & emerita trabeis diademata creſcunt.

Idem Carm. ad Majorianum Auguſt.

Pontus caſtorea, blattam Tyrus, æra Corinthus.

Ex recentioribus poetis Hieronymus Vida in Chriſtiade hujuſmodi poſitiones amat. Græci olim eaſdem paſſim adhibuerunt. Immo hexameter ille primus, quem Phemonoë profudit, Strabone teſte l. 10. Geographiæ, hoc ſive vitio, ſive lepóre non caret:

Συμφέρετε πτερὰ τ' οἰωνοὶ, κηρόν τε μέλισσαι.

ibid. *pro grege ferre dapem*] Pompejus Feſtus: *Daps apud antiquos dicebatur res divina quæ fiebat aut hiberna ſemente, aut verna.* Broukhoſius recte oſtendit, hoc loco Tibulli, gregem proprie accipiendum, puta de ovibus, aut capris: pro bubus enim, ſive armento Delia facere non poterat. Mulieres enim ad eam rem divinam adeſſe prohibebantur: nec iiſdem videre licebat, quomodo fieret. Diſertis verbis hoc tradit Cato de R. R. cap. 83.

v. 29. *Illi ſint omnia curæ*] *Σοὶ δ' ἐνθάδε πάντα μελόντων*, ait Homerus lib. 19. Odyſſeæ v. 265. verbis Ulixis diſcedentis, ad Penelopen conjugem.

v. 30. *Et juvet in tota me nihil eſſe domo*] Vafer ille Hiſpanus ad hunc verſum reſpexit lib. 14. Epigr. 193.

Uſſit amatorem Nemeſis laſciva Tibullum,
In tota juvit quem nihil eſſe domo.

Sed peccavit *μνημονικὸν ἁμάρτημα*; quum enim hoc profiteretur poeta noſter, Deliam amabat, nondum ad Nemeſin animum appulerat; quam celebrat deinceps libro ſecundo. Hoc tamen alii priores viderunt.

v. 33. *virum, hunc*] Negligit poeta *ἔκθλιψιν* litteræ *m*, idque propter inſequentem adſpirationem, quæ vicem ſuſtinet mutæ conſonantis.

ibid. *hunc ſedula curet*] Hoſpites curari dicebantur. Plautus Pœnulo 3. 3. 80.

Ego id quæro hoſpitium ubi ego curer mollius.

Quod imitatus eſt Terentius Adelphis 5. 2. 1.

Edepol, Syriſce, te curaſti molliter.

Ovidius Epiſt. Paridis v. 301.

Ivit, &, Idæi, mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis hoſpitis, uxor, agas.
Negligis abſentis (teſtor) mandata mariti:
Cura tibi non eſt hoſpitis ulla tui.

v. 34. *epulas ipſa miniſtra gerat*] Non tantum cibos coquat, menſam inſtruat, convivium apparet, ſed etiam ipſa epulas apponat accumbenti; quod erat famulorum & ancillarum miniſtrantium. Virgilius 1. Æneid. v. 703.

Quinquaginta intus famulæ; quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

Et a Virgilio Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut. v. 652.

Stant gemmis auroque tori, menſæque paratu
Regifico: centumque pares primæva miniſtri
Corpora: pars epulas manibus, pars aurea geſtant
Pocula.

v. 35. *Hæc mihi fingebam*] *ταῦτ' ἐμοὶ ὀνειροπο-*

Sæpe ego tentavi curas depellere vino;
 At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Sæpe aliam tenui. ſed jam quum gaudia adirem,
 Admonuit dominæ, deſeruitque Venus.

Tunc

ὀνειροπολεῖν. Achilles Tatius lib. 5. de amoribus Clitoph. & Leucip. Οὐκ ἔτι δέομαι πολλῶν ἡμερῶν, ἢ γάμου μακροῦ, ὃν ἡ δυστυχὴς ὀνειροπολεῖν. Vulgatum eſt illud Virgilii Ecloga 8. v. 108. — — *qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt*. ὀνειροπολοῦσι.

ibid. *Euruſque Notuſque*] Homericum eſt. Sæpius enim pater ille poetarum, Εὖρός τε Νότος τε. Plures tamen editiones, *Cauruſque Notuſque*, excepta illa omnium principe, anni 1472.

v. 36. *Jactat odoratos vota per Armenios*] Longinquam & certam regionem deſignat, ut deſiderii ſui fruſtrationem ἱμαρτικωτέρως oſtendat. Sic Horatius, ut magnam animi ſecuritatem ſignificet, hæc ſcribit Ode 26. lib. 1.

Muſis amicus triſtitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
 Portare ventis.

Videtur Martialis mentem ad Tibullum adhibuiſſe lib. 5. Epigr. 58.

Quam longe cras iſtud? ubi eſt? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos, Armenioſque latet?

Ceterum, *odoratos* vocat noſter *Armenios*, quod apud illos naſcantur frutices beneolentes, aptiſſimi ad unguenta conficienda; præcipue amomum.

v. 37. *Sæpe ego tentavi curas depellere vino*] Hæc optime cohærent cum antecedentibus, a quibus ea Scaliger per vim diſtraxit, ex hoc verſu novæ Elegiæ principium conſtituens. Remedium hoc dolori ſuo fruſtra quæſivit ſenior Maximinus, teſte Julio Capitolino in ejus Vita cap. 17. quum ſe hoſtem a ſenatu judicatum cognoviſſet. Verba hiſtorici afferam: *Sed quum furorem ſuum tenere non poſſet, ut oblivionem cogitationis acciperet, vino ſe primo die obruiſſe dicitur eo uſque ut quid geſtum eſſet ignoraret*.

v. 38. *At dolor in lacrimas verterat omne merum*] Suaviter dictum atque eleganter. Porro quod ſibi graviter dolenti contingere fatetur Tibullus, ebrioſis accidit ſæpenumero; qui ſcilicet nimio potu lippi, & faciles ad lacrimandum evadunt. Homerus Odyſſeæ lib. 19. v. 121.

Μή τίς μοι δμῳῶν νεμεσήσεται, ἠὲ σύ γ' αὐτή.
Φῇ δὲ δακρυπλώειν βεβαρηότα με φρένας οἴνῳ.
Ne aliqua mihi ancillarum ſuccenſeat, vel tu ipſa:
Dicatque lacrimis abundare gravatum me in mente vino.

Ovidius quoque lib. 1. Amorum Eleg. 8. v. 111. anui vinolentæ, quam Dipſadem vocat ἀπὸ τοῦ διψᾶν, a ſitiendo, tribuit *lumina vino lacrimoſa*. Ut vero Tibullus *vertere merum in lacrimas*, ita Virgilius dixit 4. Æneid. v. 455. *Fuſaque in obſcænum ſe vertere vina cruorem*. & D. Petrus Chryſologus Serm. 137. loquens de fœdiſſimo gladiatorum ſpectaculo in convivium admiſſo: *Furore mutatur convivium, fit cibus caedes, vinum tranſit in ſanguinem*. *Vertere in riſum* (quod contrarium eſt) occurrit apud Horatium Epiſt. 13. lib. 1. ad quemdam Aſellam:

— — — *Aſinæque paternum*
Cognomen vertas in riſum, & fabula fias.

v. 39. *Sæpe aliam tenui*] Mecum habui, ſum amplexus. quod ſuadet Lucretius amantibus lib. 4. v. 1056.

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris
Abſterrere ſibi, atque alio convertere mentem,
Et jacere humorem collectum in corpora quæque;
Nec retinere ſemel converſum unius amore,
Et ſervare ſibi curam, certumque dolorem.

ibid. *quum gaudia adirem*] Animadvertendus hic trium vocalium concurſus *ia a*, quem neque poetæ veteres, neque recentiores tamquam aſperum refugerunt. Lucilius in Satyris:

Ut pueri infantes credunt, ſigna omnia ahena
Vivere, & eſſe homines.

Lucretius lib. 4. v. 1041.

Idque

Tunc me diſcedens devotum femina dixit.
Et, pudet heu, narrat ſcire nefanda mea.

Non

Idque petit corpus mens, unde eſt ſaucia amore.

Catullus Carm. 75.

Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.

Noſter in calce Eleg. 6. hujus libri:

— — — not, Delia, amoris
Exemplum cana ſimus uterque coma.

Virgilius 3. Georg. v. 376. *Secura ſub alta Otia agunt terra*. Idem ibid. v. 486.

Sæpe in honore deûm medio ſtans hoſtia ad aram.

Ovidius ipſe, quamvis mollium numerorum ſectator, Epiſt. Sapphus v. 43. *meminerunt omnia amantes*. Et lib. 3. Artis Amat. v. 720.

Et quia amans ſemper, quod timet, eſſe putat.

Silius Italicus lib. 8. Punic. v. 149.

Hæc dicens, enſem media in præcordia adegit.

& lib. 10. v. 423. — — *degeneremque manum ad deformia agebat Conſulta*. Veterum quoque felix æmulator Balthaſſar Caſtilionius:

Alconem nemorum decus, & ſolatia amantum.

Hæc omnia ſunt exempla concurſus vocalium *ia a*. Pomponius vero apud Varronem lib. 6. de Lingua Latina poſuit *ua a*:

Nam vero puſus tu, tua amica ſenex.

v. 40. *Admonuit domina*] Injecit cogitationem de Delia. Hinc *admonitio*. Vere Seneca Epiſt. 69. *Ei qui amorem exuere conatur, evitanda eſt omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facilius quam amor recrudeſcit*. Et Cœlius Aurelianus, vetus medicus, lib. 3. Acutorum Morborum cap. 18. ubi de curatione Satyriaſis: *Prohibentes*, inquit, *etiam hominum ingreſſum, & magis juvenum feminarum, atque puerorum. Pulchritudo enim ingredientium, admonitione quadam provocat ægrotantes*. *Admonere*, Italis eſt, *far rimembrare*. Franciſcus Petrarcha (*nella Canzone* 15.):

Volgendo gli occhi al mio novo colore,
Che fa di morte rimembrar la gente.

ibid. *dominæ*] Puellas matura ætate, nuptiis & amoribus jam idoneas, Latini dominas, Græci κυρίας appellaverunt. Dixi ad Catullum Carm. 3. v. 10. Porro ſcriptores Græcos ævi ſequioris κυρὸς pro κύριος, præterea κῦρ, κύρις, & κύρης, eadem ſignificatione, identidem uſurpaſſe, animadvertit vir apprime doctus, & πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, Joannes Lamius, in Deliciis Eruditorum ab ipſo vulgatis Volum. 1. ad Epiſtolam 1. Michaelis Glycæ. Neque aliter Latinos auctores ævi medii, vocem *Domnus*, ex *Dominus* contractam, ad teſtandam venerationem adhibuiſſe.

v. 41. *Tunc me diſcedens devotum femina dixit*] Nihil mutandum eſt in hoc verſu: apta enim ſententia & expedita. Broukhuſius legit, *devotum deſcendens femina*, videlicet a lecto cubiculari, ad quem gradibus aſcendebant. Verum *deſcendere* turpiſſimam interdum habet ſignificationem, cujus hoc loco ſuſpicionem amoliri, ſatius mihi videtur. Conſulendi Juvenalis Sat. 11. v. 164. & Catullus Carm. 110. *Devotus* hic eſt *veneficio contactus*, ut loquitur Polyænus apud Petronium Arbitrum in Satyrico. Ovidius, a Tibullo ſuo, Amorum lib. 3. Eleg. 7.

Quid me ludis, ait. quis te, male ſane, jubebat
Invitum noſtro ponere membra toro?
Aut te trajectis Ææa venefica lanis
Devovet: aut alio laſſus amore venis.

Laneas enim & cereas juvenum imagines fingebant ſagæ mulieres, quas etiam acubus fodiebant, diris devoventes: unde homines devoti, etiam *defixi* vocabantur. Horatius Sat. 8. lib. 1. v. 30.

Lanea & effigies erat, altera cerea: major
Lanea, quæ pœnis compeſceret inferiorem.
Cerea ſuppliciter ſtabat, ſervilibus ut quæ
Jam peritura modis.

Ovidius autem Epiſt. Hypſipyles v. 91.

Devovet abſentes; ſimulacraque cerea figit,
Et miſerum tenues in jecur urget acus.

Vide eumdem Elegia 7. lib. 3. Amorum. Hinc *magicæ defixiones*. Tertullianus libro de Spectaculis cap. 15. *Vis homicidium ferro, veneno, magicis defixionibus, perfici*.

v. 42. *narrat ſcire nefanda mea*] Broukhuſius ἰδιωτισμὸν hic eſſe arbitratur, quaſi Tibulli ſententia ſit: In vulgus profert arcanam meam ignominiam, quam ſciri ne-

Non facit hoc verbis. facie teneriſque lacertis
Devovet, & flavis noſtra puella comis.
Talis ad Hæmonium Nereis Pelea quondam
Vecta eſt frenato cærula piſce Thetis.
Hæc nocuere mihi. Quod adeſt huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Triſtia cum multo pocula felle bibat.

Hanc

fas eſt. Ego vero ſic explicandum cenſeo: Ait ſe ſcire pudendam ἀτονίαν ϗ παράλυσιν nervorum meorum: cognoviſſe enim experimento. *Narrare* hoc loco eſt *dicere*, *profiteri*. Cicero lib. 1. Tuſcul. Quæſt. *An tu hæc non credis? Minime vero. Male hercule narras.* Catullus Carm. 43.

Ten' provincia narrat eſſe bellam?

Horatius Sat. 7. lib. 2. v. 4.

— — — age, libertate Decembri
(Quando ita majores voluerunt) utere: narra.

h. e. fare, dic, loquere. Sic & Græci aliquando. Euripides Hecuba v. 178. *τί τόδ' ἀγγέλλεις; Cur id ais! cur id narras?*

ibid. *nefanda mea*] *Le coſe mie più ſegrete.* Cicero pariter pro Sex. Roſcio Amerino: *Tamen hæc aliis nefariis cumulant atque adaugent.*

v. 43. *facie, teneriſque lacertis Devovet*] Contactus veneficio dicor, devotus, defixus: haud inficior equidem. Sed veneficium quod me perdidit, non fuerunt verba magica. Delia mea ſaga eſt: ſed quæ amatores deliniat alio genere veneficii, nempe formæ præſtantia. Quoties de illa cogitare incipio, totus torpeo, cum alia puella conſueſcere non poſſum. Vetus poeta mirifice:

Si poſſent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio
Hæc ſunt venena formoſarum mulierum.

v. 45. *Talis ad Hæmonium Nereis Pelea* &c.] Elegantes puellas, quarum amore tenerentur, poetæ antiquis heroinis, immo & deabus comparabant. Catullus Carm. 67. v. 70.

Quo mea ſe molli candida diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta conſtitit in ſolea.
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilæam Laodamia domum.

Vide & Propertium lib. 1. Eleg. 3.

ibid. *Nereis*] Quam hic producit Tibullus alteram ſyllabam in voce *Nereis*, corripit Statius 1. Achilleidos v. 24.

— — — qua condita ponto
Fluctibus inviſis jam Nereis imperat Helle.

Item Silius Italicus lib. 14. Punic. v. 571. quem paullo poſt afferam.

v. 46. *Vecta eſt frenato cærula piſce Thetis*] Nempe delphinis dorſo inſidens, quem frenabat muricibus. Eodem pacto Scriptor Ceiris v. 394.

Illa etiam, junctis magnum quæ piſcibus æquor,
Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothoë.

Et Silius Italicus lib. 14. v. 570.

Et quæ, fuſa comas, curvum per cærula piſcem
Nereis humenti moderatur roſcida freno.

Sic & *frenatis draconibus* dixit Ovidius lib. 2. Faſt. v. 41.

Vectam frenatis per inane draconibus Ægeus
Credulus, immerita Phaſida juvit ope.

v. 47. *Hæc nocuere mihi*] Nempe facies, teneri lacerti, flavæ comæ; quibus Delia vel cum Thetide ipſa certaverit. Hæc me devoverunt. Poteſt etiam cum ſequentibus conjungi: dicam quid me læſerit, animumque Deliæ a me abalienaverit: amator ſcilicet dives, lena peſſima, quæ hominem argento emungere inſtituit.

v. 49. *Sanguineas edat illa dapes*] Tamquam

Hanc volitent animæ circum ſua fata querentes
Semper, & e tectis ſtrix violenta canat.
Ipſa fame ſtimulante furens herbaſque ſepulcris
Quærat, & a ſævis oſſa relicta lupis.
Currat & inguinibus nudis, ululetque per urbes.
Poſt agat e triviis aſpera turba canum.

Eve-

quam Polyphemus ille ἀνθρωποφάγος, quem deſcribit Maro lib. 3. Æneidos v. 626.

— — — vidi, atro quum membra fluentia tabo
Manderet, & trepidi tremerent ſub dentibus artus.
Haud impune quidem. nec talia paſſus Ulixes,
Oblituſve ſui eſt Itacbus diſcrimine tanto.
Nam ſimul expletus dapibus, vinoque ſepultus
Cervicem inflexam poſuit, jacuitque per antrum
Immenſus, ſaniem eructans ac fruſta cruento
Per ſomnum commixta mero &c.

v. 51. *Hanc volitent animæ circum ſua fata querentes*] Puta imagines & ſimulacra exſanguia mortuorum amaotium objiciant ſeſe atque ingerant oculis lenæ ſceleratæ, quæ illos ad mortem impulit artibus ſuis: neque umquam vetula improba eos placare poſſit, ut abs tam diro ſupplicio tandem interquieſcat. Hunc locum Broukhuſius copioſe admodum illuſtravit.

v. 52. *e tectis ſtrix violenta canat*] Avis fabuloſa nocturna, & mali ominis. Plinius lib. 11. H. N. cap. 39. *Fabuloſum enim arbitror de ſtrigibus, ubera eas infantium labiis immulgere. Eſſe in maledictis jam antiquis ſtrigem convenit: ſed quæ ſit avium, conſtare non arbitror.* Legendi Ovidius lib. 6. Faſt. a v. 131. Pompeius Feſtus de Verb. Signif. Iſidorus lib. 12. Etymolog. cap. 7. Appulejus lib. 11. Metam. Petronius in Satyrico: *Quæ ſtriges comederunt nervos tuos?* Et in Fragmento Traguriano: *Striges puerum involaverunt, & ſuppoſuerunt ſtramentitium vacuum. Rogo vos, oportet credatis, ſunt mulieres plus ſciæ, ſunt nocturnæ, & quod ſurſum eſt deorſum faciunt.* Gloſſæ Philoxeni: *Striga*, γυνὴ φαρμακίς (*mulier venefica*). hinc Italicum *ſtrega*. Ceterum, Virgilius lib. 12. Æneid. v. 862. ſtrigem avem deſcribere videtur:

Alitis in parvæ ſubitam collecta figuram,
Quæ quondam in buſtis aut culminibus deſertis
Nocte ſedens, ſerum canit importuna per umbras.

v. 53. *herbaſque ſepulcris Quærat*] Nimia fame pæne ad ſacrilegium adigatur. Nam, ut ait Julianus Imperator lib. 5. Codicis Theodoſiani tit. de Sepulcro violato, *Lapidem e buſtis movere, terram ſolicitare, & cæſpitem vellere, proximum ſacrilegio majores ſemper habuerunt.* Vide & Eraſmum Chiliade 2. Centur. 3. Adagio 42. *Squillas a ſepulcro vellas.* Fames ipſa apud Ovidium lib. 8. Metam. v. 799. veſtigat herbas quas comedat:

Quæſitamque Famem lapidoſo vidit in agro,
Unguibus, & raras vellentem dentibus herbas.

v. 55. *ululetque per urbes*] Optat poeta, peſſimam vetulam eo melancholiæ genere vexari, quo affecti ſe lupos eſſe arbitrantur, ideoque furore perciti ululatus tollunt, obvios morſibus appetunt, pecora invadunt, noctu degunt in ſilvis: unde fabula increbuit, homines magicis artibus in veros lupos converti poſſe. quam fabulam refutat Plinius lib. 8. H. N. cap. 22. Scio, a nemine Tibullum ita explicatum; quum tamen ſequenti verſiculo ipſe quid voluerit indicet manifeſto: canes enim viſo lupo, nativæ ſimultatis memores, turmatim ad fugandum accurrunt. quod ſi aliquem audiant lupinam vocem imitatum, latratibus temperare nequeunt. Luporum proprium eſt *ululare*. Quamobrem divinus Maro, nihil temere effutiens, ita 1. Georg. v. 486.

Per noctem reſonare, lupis ululantibus, urbes.

Et 7. Æneidos v. 18. *formæ magnorum ululare*

Digitized by Google

Evenient. dat ſigna deus. ſunt numina amanti.
Sævit & injuſta lege relicta Venus.

At

lare luporum. Fuerunt quæ ſe crederent juvencas eſſe, atque iccirco mugirent: qua inſania filias Proeti laboraviſſe idem poeta narrat Ecloga 6. v. 48.

Prœtides implerunt falſis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla ſecuta eſt
Concubitus, quamvis collo timuiſſet aratrum,
Et ſæpe in levi quæſiſſet cornua fronte.

v. 57. *Evenient*] Quæ imprecor, non cadent irrita: vota mea ſequetur eventus.

ibid. *dat ſigna deus*] Puta omen aliquod, vel augurium, quibus credebantur dii mentem ſuam ſignificare.

ibid. *ſunt numina amanti*] Eſt deorum providentia, quæ quum alias res humanas, tum amaotium vices curet ac moderetur. Hic Epicurei perſonam tantiſper Tibullus deponit, vel aliter ſuſtinet; fiogit enim ſibi deos homioum libidioibus indulgentes. Fuit hæc veteribus pietatis levitas, ut proſpera fortuna utentes numen divinum agnoſceteot, ſed ſtatim ac in adverſam incidiſſent, vel inficiareotur, vel accuſarent. Homerus lib. 24. Odyſſeæ v. 350. verbis Laertis Ulixem filium reverſum agnoſcentis:

Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥα ἔτ' ἐστὲ θεοὶ κατὰ μακρὸν Ὄλυμπον,
Εἰ ἐτεὸν μνηστῆρες ἀτάσθαλοι ὕβριν ἔτισαν.
Juppiter pater, certe adhuc eſtis, dii, in magno Olympo,
Si revera proci improbam contumeliam luerunt.

T. Livius lib. 3. Hiſt. *Deos tandem eſſe, & non negligere humana fremunt, & ſuperbiæ crudelitatique, etſi ſeras, non leves tamen venire pœnas*. Idem lib. 8. *Bene habet, dii, pium movete bellum. Eſt cæleſte numen! es, magne Juppiter*. Martialis lib. 2. Epigr. 91.

Rerum certa ſalus, terrarum gloria, Cæſar,
Soſpite quo magnos credimus eſſe deos.

Cootra Claudius Quadrigarius lib. 1. Aonalium apud A. Gellium lib. 17. N. A. cap. 2. *Nam hæc maxime verſatur deorum iniquitas, quod deteriores ſunt incolumiores: neque optimum quemquam inter nos ſinunt diurnare*. Cicero lib. 3. de Nat. Deor. *Diogenes quidem Cynicus dicere ſolebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra deos teſtimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret*. Pedo Albinovanus Conſolatiooe ad Liviam v. 191.

Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
Suſtulerat timidas ſidera ad alta manus:
Jamque precaturus, Quid ego autem credulus, inquit,
Suſcipiam in nullos irrita vota deos?
Livia, non illos pro Druſo Livia movit.
Nos erimus magno maxima cura Jovi?
Dixit: & iratus vota inſuſcepta reliquit;
Duravitque animum, deſtituitque preces.

Enimvero, ut tradit Suetonius in Caligula cap. 5. *Quo die defunctus eſt* (Druſus) *lapidata ſunt templa, ſubverſæ deûm aræ, Lares a quibuſdam familiares in publicum ejecti, partus conjugum expoſiti*. Vide Theodorum Gorallum ad Pedonem. Lucanus l. 7. v. 445.

— — — Sunt nobis nulla profecto
Numina: quum cæco rapiantur ſæcula caſu,
Mentimur regnare Jovem.

Quinctilianus denique Procœmio lib. 6. Inſtit. Orat. liberis orbatus: *Quis enim bonus parens ..... non oderit hanc animi mei firmitatem, ſi quis in me eſt alius uſus vocis quam ut incuſem deos ſuperſtes omnium meorum? nullam terras deſpicere providentiam teſter?*

v. 58. *Sævit & injuſta lege relicta Venus*] Sicuti enim lex juſta eſt: *Amantem redamato*; ita injuſta & iniqua: *Amantem relinquito, atque odio habeto*. Venus autem hoc pacto læſa, jure ac merito ſævit, & a delinquente pœnas repoſcit. Theocritus Idyllium 23. ita concludit:

Χαίρετε τοὶ φιλέοντες· ὁ γὰρ μισῶν ἐφονεύθη.
Στέργετε δ' ὔμμας αἶπες, ὁ γὰρ θεὸς οἶδε δικάζειν.
Gaudete, amantes: nam qui oderat, interfectus eſt.
Vos vero amicos diligite: deus enim novit judicare.

v. 59.

At tu quamprimum ſagæ præcepta rapacis
 Deſere. nam donis vincitur omnis amor.
Pauper erit præſto tibi, præſto pauper adibit
 Primus, & in tenero fixus erit latere.
Pauper in anguſto fidus comes agmine turbæ
 Subjicietque manus, efficietque viam.

Pau-

v. 59. *At tu*] Convertit ſermonem ad puellam ſuam, cujus animum lena abalienaverat.

v. 60. *nam donis vincitur omnis amor*] Si muneribus te corrumpi ſiveris, neminem conſtanter amabis. Etiam hic rivalis meus, quem carum habes, & mihi præponis, paullo poſt vincetur & expelletur a locupletiore. Ludovicus Areoſtus Cantu 43. Rolandi Furentis, non procul ab initio, de hac mulierum avaritia graviter conqueritur:

Che d' alcune dirò belle, e gran donne,
 Ch' a bellezza, a virtù di fidi amanti,
 A lunga ſervitù, più che colonne
 Io veggo dure, immobili, e coſtanti?
 Veggo venir poi l' Avarizia; e ponne
 Far sì, che par che ſubito le incanti.
 In un dì, ſenza amor (chi fia che 'l creda?)
 A un vecchio, a un brutto, a un moſtro le dà in preda.

v. 61. *Pauper erit præſto tibi*] Monet puellam, quæ officia præſtare poſſint homines a pecunia deſtituti: qui enim pecuniæ ſuæ confidunt, elato plerumque ſunt animo, & ab humilibus miniſteriis abhorrent. *Præſto eſſe* (quod Itali dicimus, *eſſer preſto, pronto, ed apparecchiato agli altrui ſervigj*) convenit præcipue ſervulis & ancillulis. Pulcherrime M. Tullius lib. 2. de Finibus cap. 21. *Jubebat eos* (Cleanthes) *qui audiebant, ſecum ipſos cogitare pictam in tabula voluptatem, pulcherrimo veſtitu & ornatu regali, in ſolio ſedentem: præſto eſſe virtutes, ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum ſuum officium ducerent, niſi ut voluptati miniſtrarent.* Plautus item Menæchmis 5. 6. 19.

-- -- -- ego ero ut me eſſe oportet:
Metum ut mihi adhibeam, culpam abſtineam:
Hero ut omnibus in locis ſim præſto.

Loquitur ibi ſervus Meſſenio. Nihilominus & honeſtiores *præſto eſſe* nonnumquam dicebantur. M. Varro R. R. lib. 3. cap. 2. *Quum candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe præſto, quum domum rediret.* Et paullo poſt: *Ibi Appium Claudium augurem ſedentem invenimus in ſubſelliis, ut Conſuli, ſi quid uſus popoſciſſet, eſſet præſto.*

v. 62. *in tenero fixus erit latere*] Numquam a latere tuo diſcedet. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 11.

Quando ego non fixus lateri ſpatiantis adhæſi,
 Ipſe tuus cuſtos, ipſe vir, ipſe comes?

D. Auguſtinus lib. 8. Confeſſion. cap. 11. *At Alypius affixus lateri meo inuſitati motus mei exitum tacitus opperiebatur:*

v. 64. *efficietque viam*] Diſcedere jubebit obvios, & pro imperio quidem, non ut viator qui apparebat tribuno plebis, cujus erat vox: *Si vobis videtur, diſcedite, Quirites.* Vide Livium lib. 2. Hiſtor. Figurate Cicero in Oratore ad Brutum cap. 44. *Nolo tam minuta hæc conſtructio appareat: ſed tamen ſtilus exercitatus efficiet facile hanc viam componendi.* Imitatur porro, ut ſolet, Ovidius Tibullum lib. 2. Artis Amat. v. 209.

Ipſe tene diſtenta ſuis umbracula virgis:
 Ipſe fac in turba, qua venit illa, locum.
Nec dubita tereti ſcamnum producere lecto:
 Et tenero ſoleam deme, vel adde, pedi.

Facere viam, interdum eſt verbum militare. Virgilius lib. 9. Æneid. v. 356.

Pœnarum exhauſtum ſatis eſt: via facta per hoſtes.

Tireſias porro apud Horatium Sat. 5. lib. 2. v. 94. hoc numerat in officiis captatorum erga ſenes orbos & locupletes. *extrahe turba*, inquit, *Oppoſitis humeris.* Vide Acronem ad eum locum, præterea Titum Popmam de Operis Servorum pag. 77. Dicebant item *ſummovere*, & *dimovere*. Livius lib. 3. Hiſt. 1, *lictor, ſummove turbam,*

& da

Pauper ad occultos furtim deducit amicos:
Vinclaque de niveo detrahit ipſe pede.
Heu canimus fruſtra. nec verbis victa fatiſcit
Janua: ſed plena eſt percutienda manu.
At tu qui potior nunc es, mea furta timeto.
Verſatur celeri Fors levis orbe rotæ.

Non

& da viam domino ad prehendendum. Huc pertinere aliqui putant illud Juvenalis Sat. 1. v. 37.

Quum te ſummoveant qui teſtamenta merentur
Noctibus.

Nempe quaſi unum de plebecula & nihili hominem. Lactantius Firmianus Divin. Inſtit. lib. 6. cap. 1. *Stipati familiarum gregibus, per dimotum populum ſemper incedant.* Semus Delius libro de Pæanibus apud Athenæum lib. 14. hoc ita expreſſerat:

Ἀνάγετε, εὐρυχωρίαν ποιεῖτε τῷ θεῷ.
Abſcedite de via, laxum deo ſpatium præbete.

Dantes vero Aligherius Inferni Cantu 12.

— — — torna, e sì gli guida,
E fa canſar, s' altra ſchiera v' intoppa.

v. 65. *P. ad occultos furtim deducit amicos*] Hinc recte quis colligat, Deliam mulierem fuiſſe nuptam, ſed homini pauperi, & libertinæ conditionis, quæ ſcilicet pluribus, etſi clam, ſui corporis poteſtatem faceret. Niſi enim hujuſmodi fuiſſet, non proponeret ei Tibullus hoc commodum a paupere amatore profectum. Tales amicos Propertius commemorat lib. 2. Eleg. 9. ubi de Cynthia ægrotante:

Et lectum flentes circumſtaremus amici.

Huc pertinent quæ de rivali patienter habendo tradit Ovidius lib. 2. Artis Amat. a v. 539. Sed non eo progreditur Naſo, ut doceat amatorem lenonis partes agere, ac perductoris. quod ſane mirum eſt atque inuſitatum.

v. 66. *Vinclaque de n. detrahit ipſe pede*] Officia viliora præſtare non dedignatur, in quibus numerabant detrahere ſoleas, vel addere. Vide Ovidium lib. 2. Artis v. 212. Porro vinculis, ſeu funiculis *ὑποδήματα* colligabantur, & pedibus aptabantur. Virgilius lib. 4. Æneid. v. 518. *Unum exuta pedem vinclis*. Et ſæpe memoratus Ovidius lib. 3. Metam. v. 168. in lavacro Dianæ: *Vincla duæ pedibus demunt*. Item lib. 3. Faſtorum v. 823.

Nec quiſquam invita faciat bene vincula plantæ
Pallade; ſit Tychio doctior ille licet.

v. 67. *nec verbis victa fatiſcit Janua*] Ita legit Broukhuſius: quam lectionem præferunt libri quatuor MSS. *Fatiſcere* eſt *fatim hiſcere*, ſive *abundanter aperiri*, ut exiſtimat Servius ad 1. Æneid. v. 127. Nihilominus *pateſcit*, quod eſt in editionibus, probum, & ſeotentiæ accommodatum. Utitur hoc verbo Virgilius lib. 2. Æneid. v. 483.

Apparet domus intus, & atria longa pateſcunt
Tectorum inter ſe Priami.

Ceterum Tibullo conſentit Plautus Aſinar. 1. 3. 88.

Portitorum ſimillimæ ſunt januæ lenoniæ:
Si affers, tum patent: ſi non eſt quod des, ædes non patent.

Trabea quoque, vetus Comicus, apud Ciceronem lib. 4. Tuſc. Quæſt.

Lena delinita argento nutum obſervabit meum,
Quid velim, quid ſtudeam. adveniens digito impellam januam:
Fores patebunt.

v. 68. *plena eſt percutienda manu*] Auro ſcilicet plena; ut optime olim explicaverat Bernardinus Cyllenius, cujus ſimplicitatem Broukhuſius videtur injuria vellicare. Nam quod ipſe intelligendum putat de nocturna forium oppugnatione, probarem ſi ſententia pateretur.

v. 69. *qui potior nunc es*] Quem domina mihi nunc præfert. Terentius Phormione 3. 2. 48.

— — — cras mane argentum mihi
Miles dare ſe dixit: ſi mihi prior tu adtuleris, Phædria,

Mea

Non fruſtra quidam jam nunc in limine perſtat
  Sedulus, ac crebro proſpicit, ac refugit:
Et ſimulat tranſire domum: mox deinde recurrit
  Solus, & ante ipſas exſcreat uſque fores.
Neſcio quid furtivus amor parat. utere quæſo
  Dum licet. in liquida nat tibi linter aqua.

Mea lege utar, ut potior ſit qui prior ad dandum eſt.

ibid. *mea furta timeto*] Metue ne tibi ego ſubrepam, ut tu mihi ſubrepſiſti.

v. 70. *Verſatur celeri Fors levis orbe rotæ*] Fortunam, quam etiam Fortem appellabant, & conjunctim Fortem Fortunam, inſtabilem & lubricam eſſe monet. Hanc rotundo ſaxo inhærentem fingebant, ſed interdum etiam rotæ. Pacuvius apud Scriptorem Rhetoricorum ad Herennium lib. 2. cap. 23.

Fortunam inſanam eſſe & cæcam & brutam perhibent philoſophi,
Saxoque illam inſtare globoſo prædicant volubilem:
Ideo, quo ſaxum impulerit fors, cadere eo Fortunam autumant.

Rotam huic deæ tribuerunt Cicero in L. Piſonem, Macrobius lib. 1. in Somnium Scip. cap. 10. Boethius lib. 2. de Conſol. Philoſ. proſa 1. & 2. Claudianus libro de Bello Getico v. 631. Ammianus Marcellinus lib. 26. Hiſt. cap. 8. & lib. 31. cap. 1. quorum loca Broukhuſius attulit. Addo ego, fuiſſe quamdam Fortunam amatoriam; hanc autem rotæ potius, quam ſaxo inſiſtere voluerunt. Propertius mirifice ad rem præſentem lib. 2. Eleg. 8.

Omnia vertuntur. certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota eſt.

Plautus Ciſtellaria 2. 1. 4.

Verſor in amoris rota miſer.
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, deripior.

ad quæ Plauti verba Frid. Taubmannus affert hunc verſum Tibulli. Horatius Ode 10. lib. 3.

Ingratam Veneri pone ſuperbiam:
Ne currente retro funis eat rota.

Orbem pro rota bonos auctores uſurpaviſſe, animadvertit laudatus Broukhuſius.

v. 71. *Non fruſtra quidam jam nunc in limine perſtat*] Hæc quoque peſſime luxaverat Scaliger, & in Elegiam ſequentem tranſtulerat. Poeta ſuperius rivalem ſuum timere juſſerat; nunc ea recenſet propter quæ is timere debeat. *Quidam* hic eſt ὁ τυχὼν: ſed intelligendus poeta ipſe, qui rivali ſuo ſtruebat inſidias.

v. 72. *proſpicit, ac refugit*] Vel januæ rimis oculum admovet, ut ſciat quid intus agatur: vel proſpicit ambulantes noctu, & quum propinquaverint, refugit, ne deprehendatur.

v. 74. *exſcreat*] Ut ſcreatu ſignificet, ſe adeſſe.

v. 75. *Neſcio quid furtivus amor parat*] Hæc optime reſpondent ſuperioribus, *mea furta timeto.*

ibid. *utere quæſo*] Subaudi, *forte tua & commoditate.*

v. 76. *in liquida nat tibi linter aqua*] Placet explicatio Achillis Statii, ſuſpicantis hanc eſſe poetæ ſententiam: *Lubricus amor eſt, atque inſtabilis, & parvo momento mutabilis, ut in aqua linter levi aura huc vel illuc impellitur.* Naviculæ enim magis fluctuant in aqua pura & defæcata, quam in craſſa & paludoſa. Locutio eſt παροιμιακή. Poſſis etiam accipere de opportunitate, quaſi dicat: Lintrem paratam habes & expeditam: tu vela explica, remis incumbe, ne deſis fortunæ tuæ. *Nat*, ſive *natat*, hoc loco pro *navigat* poſitum eſt. Ovidius lib. 2. Faſt. v. 864.

Naviget hinc alia jam mihi linter aqua.

ELE-

ELEGIA VI.

SEMPER, ut inducar, blandos offers mihi vultus;
  Poſt tamen es miſero triſtis & aſper, Amor.
Quid tibi, ſæve puer, mecum eſt? an gloria magna,
  Inſidias homini compoſuiſſe deum?
Jam mihi tenduntur caſſes: jam Delia furtim
  Neſcio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat: ſed credere durum eſt.
  Sic etiam de me pernegat uſque viro.

Ipſe

ARGUMENTUM ELEGIÆ VI. LIBRI I.

Dolet, puellam ſuam ſallaciis quas ab illo acceperit, contra ipſum abuti: conjugem puellæ monet, ut eam ſibi uni ſervandam committat; ob cujus matris merita nihil ſe non effecturum pollicetur.

VERSU I. *Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus*] Broukhuſius mavult *inducas:* quod ego non probo, aurium judicio deterritus: ſequuntur enim tres voces pariter in ſibilum deſinentes. *Inducere* hic eſt *illicere*, in caſſes fraude pertrahere, uti ab aucupibus aves decipiuntur. Cicero in L. Piſonem: *Hic* (vultus) *eos quibus eras ignotus, decepit, feſellit, induxit.* Idem pro Sex. Roſcio: *Pretio, gratia, ſpe, promiſſis induxit aliquem?* Et ibidem rurſus: *Mandatorum ſocios induxit, decepit, deſtituit.* Porro Manilius lib. 4. Aſtronomic. v. 312. numeris prope paribus:

Aſtrorum princeps primam ſervat ſibi partem.

v. 2. *triſtis*] *Blandus* ac *triſtis* oppoſita ſunt. Nam triſtis eſt ſeverus, ἀγέλαστος, fronte caperata, & ſupercilio ſubducto. Juvenalis Sat. 2. v. 8. *Quis enim non vicus abundat Triſtibus obſcœnis?*

v. 3. *an gloria magna I. h. e. d.*] Similis Terentii ſententia & εἰρωνεία Adelphis 4. 2. 27.

D. *Fortiter.* S. *Perquam, quia miſeram mulierem & me ſervulum,*
Qui referire non audebam, vicit: hui perfortiter!

Idem Hecyra 2. 1. 34.

Cum puella anum ſuſcepiſſe inimicitias non pudet!

Ovidius quoque Epiſt. Cydippes v. 115.

Improbe, quid gaudes? aut quæ tibi gloria parta eſt?
Quidve vir eluſa virgine laudis habes?

Et lib. 3. Metam. v. 654.

Quo merui pœnam facto? quæ gloria veſtra eſt,
Si puerum juvenes, ſi multi fallitis unum?

Idem lib. 12. v. 292. in pugna Centaurorum:

— — — Puero quæ gloria fuſo
Parta tibi eſt? Evagros ait.

Noſter inferius Eleg. 8.

— — — Puero quæ gloria victo eſt?

v. 7. *tam multa negat*] Joſephus Scaliger ait, locutionem eſſe archaicam, *multa negat*, uſus Enniani verſiculi auctoritate. *multa* ſcilicet pro *multum:* quod etiam apud Virgilium occurrit. Sed, rogo, quid facias τῷ *tam*? Ego vero exiſtimo, *tam multa negare*, eſſe fateri quidem leviora, puta aſpectum & colloquium, ſed inficiari graviora, nempe oſcula, amplexus, conſuetudinem ſtupri. Cicero ita locutus pro Quintio: *Neque tamen tam multa verba faciam.* Ovidius etiam lib. 15. Metam. v. 271.

— — — antiquis tam multa tremoribus orbis

Flu-

Digitized by Google

Ipſe miſer docui, quo poſſet ludere pacto
  Cuſtodes. heu heu nunc premor arte mea.
Fingere nunc didicit cauſſas, cur ſola cubaret:
  Cardine nunc tacito vertere poſſe fores.
Tum ſuccos, herbaſque dedi, queis livor abiret,
  Quem facit impreſſo mutua dente Venus.
At tu fallacis conjux incaute puellæ,
  Me quoque ſervato, peccet ut illa minus.

Neu

Flumina proſiliunt, aut excæcata reſidunt.

ibid. *credere durum eſt*] Ita fere Ulpianus J. C. L. 35. Dig. de Procuratoribus & Defenſoribus: *Ceterum cogi eum etiam in provinciam de Roma abire, vel e contrario: vel a provincia in aliam provinciam, & defendere: durum eſt.*

v. 10. *heu heu nunc premor arte mea*] Inſigne eſt in hanc ſententiam illud Plauti Milite Glor. 3. 1. 6.

Nam bene conſultum, inconſultum eſt, ſi inimicis ſit uſui:
Neque poteſt, quin, ſi id inimicis uſui eſt, obſit mihi.
Nam bonum conſilium ſurripitur ſæpiſſime,
Si minus cum cura aut cate locus loquendi lectus eſt.
Quippe ſi reſciverint inimici conſilium tuum,
Tuopte tibi conſilio occludunt linguam, & conſtringunt manus.
Atque eadem quæ illis voluiſti facere, faciunt tibi.

Salluſtius Jugurtha cap. 52. *Ubi ſe ſuis artibus tentari animadvertit.* Ovidius denique 1. Amor. Eleg. 4.

Multa miſer timeo, quia feci multa proterve,
Exemplique metu torqueor ipſe mei.

v. 11. *Fingere nunc didicit cauſſas, cur ſola cubaret*] Puta Cereris, vel Iſidis religionem, quarum ſacris operatæ mulieres ſecubitum ſervabant, & a virorum amplexibus abſtinebant. Propertius l. 4. Eleg. 5.

Denique, ubi amplexu Venerem promiſeris empto,
Fac ſimules puros Iſidis eſſe dies.

Nunc pro *interdum* in hoc verſu & ſequenti uſurpatur. Gallice *tantot*.

v. 12. *Cardine n. tacito vertere poſſe fores*] Plauto in Curculione hoc eſt *ſuffundere aquulam*, ne audiatur ſtrepitus cardinum dum aperitur janua.

v. 13. *Tum ſuccos, herbaſque dedi*] Non attuli quidem ipſe, verum docui & monſtravi, tamquam egregius aliquis ῥιζοτόμος. Nam *dare* pro *docere* nonnumquam adhibetur. Terentius Prol. Heauront. v. 10.

Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo.

Cicero lib. 1. Acad. Quæſt. ad M. Varronem; *Sed da mihi nunc, ſatiſne probas?* Virgilius Ecloga 1. v. 19.

Sed tamen, iſte deus qui ſit, da, Tityre, nobis.

Horatius Sat. 8. lib. 2. v. 4.

-- -- -- da, ſi grave non eſt,
Quæ prima iratum ventrem placaverit eſca.

Bentlejus tamen eo loco *dic* legendum contendit. Sic *accipe* pro *audi*.

ibid. *queis livor abiret*] Semen ſinapi livoribus illini cum melle & adipe anſerino, aut cera Cypria, docet Plinius l. 20. N. H. cap. 22. Eoſdem fabæ ac lupinorum farina emendari lib. 22. cap. 25. diſerte ſcribit. Plura remedia ex eodem promta memorat Broukhuſius.

v. 14. *Quem facit impreſſo mutua dente Venus*] Horatius Ode 13. libri 1.

-- -- -- ſive puer furens
Impreſſit memorem dente labris notam.

Propertius lib. 3. Eleg. 8.

In morſo æquales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuiſſe meam.

v. 16. *Me quoque ſervato, peccet ut illa minus*] Curæ quidem tibi ſit conjugis tuæ pudor, ſed meæ quoque ſalutis rationem habe. Serva igitur me, qui relicta Delia ſalvus eſſe non poſſum. Illam uni mihi utendam concede: faxo deinde, ne quis juvenum

L

Neu juvenes celebret multo ſermone caveto;
Neve cubet laxo pectus aperta ſinu.

Neu

venum ad eam accedat: ſed, tamquam Heſperidum ſerpens, tibi & mihi ſolis ſartam tectam præſtitero, ad quam communes amores exerceamus. quod fauſtum, felix, & utrique ſit utile noſtrûm. Peccabit quidem puella; mihi enim gratificabitur: ſed peccabit minus, non vulgabit corpus, a meretricio quæſtu abſtinebit. Verum amicus quidam meus, adoleſcens bonis artibus ornatiſſimus, in hac noſtra explicatione olim minime acquieſcebat, cenſebatque id velle Tibullum: Dummodo puella quam efflictim depereo, nemini det, ipſe quoque haud gravate illius conſuetudinem devitabo. propterea, tu marite, cave diligenter ne cum ea conſueſcam. Tuebatur autem lectionem alteram: *peccet ut illa nihil*. Si quis hanc ſententiam noſtræ præferendam putet, non equidem valde repugnabo, qui nimirum ſciam, iratorum hominum eſſe morem, ut deſiderio nocendi adverſariis ſua ipſi vineta cædant. Vide Senecam lib. 1. de Ira cap. 1. Nos Itali ſimilem inſaniam eleganti adagio ſignificamus: *Can dell' ortolano, che non mangia lattuga, nè laſcia che altri ne mangi*. Ceterum, *ſervare* hic, ſi egregium illum adoleſcentem audimus, eſt obſervare, inſpicere, oculis notare. Ennius apud Ciceronem lib. 1. De Divinat.

Hinc Remus auſpicio ſe devovet, atque ſecundam
Solus avem ſervans: at Romulu' pulcher in alto
Quærit Aventino, ſervat genus altivolantum.

Virgilius pariter 6. Æneid. v. 338.

-- -- -- *dum ſidera ſervat.*

Et Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 18.

-- -- -- *neque enim in Tyrias Cynoſura carinas*
Certior, aut Crajis Helice ſervanda magiſtris.

Idem lib. 4. v. 487.

-- -- -- *ſimul æquora ſervant, Aſtra ſimul.*

Pulchre Ovidius Epiſt. Leandri v. 167.

Ipſe meos igitur ſervo, quibus uror, amores.

h. e. obſervo, tamquam Cynoſuram. Terentius denique Eunucho 5. 2. 63.

Quin, Pythias, tu me ſervato.

v. 17. *Neu juvenes celebret multo ſermone caveto*] Broukhuſius: *Neve ſermones frequentes cadat cum juvenibus*. Ut hæc explicatio vera eſſe poſſit, nihilominus aliam prætulerim, ſcilicet: *Ne nimia ſit in laudanda & celebranda juvenum forma*. hujuſmodi enim laudes inſtigare ſolent maritorum vel amantium zelotypiam. Horatius Ode 13. lib. 1.

Quum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roſeam, cerea Telephi
Laudas brachia, væ, meum
Fervens difficili bile tumet jecur.

Propertius verbis Cynthiæ vita functæ lib. 4. Eleg. 7.

Et graviora rependit iniquis penſa quaſillis,
Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.

Amica enim Propertii, quam is poſt mortem Cynthiæ amare cœperat, ferre non poterat Cynthiæ laudes: & iccirco ancillas quæ laudare auſæ fuiſſent, penſis gravioribus onerabat. Idem poeta libro eod. Eleg. ult.

Nec matrem laudate nimis. collata priori
Vertet in offenſas libera verba ſuas.

Loquitur Cornelia matrona ſuo fato functa, monetque filios, ne ſi pater aliam uxorem duxerit, matrem celebrent multo ſermone; noverca enim ſuccenſebit laudantibus. Et ſane Ciceronis locus ex Epiſt. 10. lib. 5. quem attulit Broukhuſius, huic noſtræ explicationi favet: *Hoc animadverſum Græcorum laude & multo ſermone celebratur.*

v. 18. *laxo pectus aperta ſinu*] Sinum veſtis intellige, quo laxato & reducto pectus aperitur, ſeu nudatur. Ita dicebant *aperire* & *operire caput*. Ovidius lib. 1. Faſt. v. 407.

Illa ſuper ſuras tunicam collecta miniſtrat:
Altera diſſuto pectus aperta ſinu.

Idem lib. 13. Metam. v. 688.

Effuſæque comas & apertæ pectora matres
Significant luctum.

Horatius vero Sat. 3. lib. 2. v. 172.

Poſtquam te talos, Aule, nuceſque
Ferre ſinu laxo, donare, & perdere vidi.

v. 19.

Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat, & menſæ ducat in orbe notas.
Exibit quam ſæpe, time: ſeu viſere dicet
Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

v. 19. *Neu te decipiat nutu*] Supra Eleg. 2. v. 21.

Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compoſitis abdere verba notis.

ibid. *digitoque liquorem Ne trahat*] In ſuperficie menſæ litteras vel notas mero ducebant amatores, ut amorem ſuum ſignificarent, vel puellas de re aliqua admonerent. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 4.

Verba leges digitis, verba notata mero.

Milites etiam a bello reduces, urbium oppugnationes, & caſtrorum metationem eodem pacto pingebant. Idem poeta Epiſt. Penelopes v. 31.

Atque aliquis poſitâ monſtrat fera prælia menſâ,
Pingit & exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois, hic eſt Sigeïa tellus,
Hic ſteterat Priami regia celſa ſenis.
Illic Æacides, illic tendebat Ulixes.

Tendebat, h. e. tentoria ſua ponebat.

v. 20. *menſæ ducat in orbe notas*] Menſæ enim plerumque rotundæ fuerunt. Juvenalis Sat. 11. v. 121.

Nil rhombus, nil dama ſapit: putere videntur
Unguenta, atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Ex ebore ſcilicet ſculptus, qui menſæ orbem, fulcri loco, ſuſtineret.

v. 21. *Exibit quam ſæpe, time*] Subaudi, *tam ſæpe*. Quoties illa domo exibit, toties tibi timendum eſt. Mulierem enim formoſam in publicum prodire, periculo non caret.

ibid. *ſeu viſere dicet*] Suſpicari quis poſſit non ſine cauſſa, poſt hoc diſtichum deeſſe aliud, quod omiſerint ſcriptores librarii. τὸ enim *ſeu* particulam ſimilem requirere videtur, quæ reſpondeat. Alioqui ſententia eſt ἀνανταπόδοτος.

v. 22. *Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ*] Afferam verba Lactantii ex lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 23. *Faunus in Latio .... ſororem ſuam Fatuam Faunam, eamque conjugem, conſecravit: quam Gabius Baſſus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere conſueviſſet, ut Faunus viris. Eamdem Varro ſcribit tantæ pudicitiæ fuiſſe, ut nemo eam, quoad vixerit, præter virum ſuum mas viderit, nec nomen ejus audierit. Iccirco illi mulieres in operto ſacrificant, & Bonam Deam nominant: & Sex. Clodius in eo libro quem Græce ſcripſit, refert, Fauni hanc uxorem fuiſſe, quæ quia contra morem decuſque regium clam vini ollam ebiberat, & ebria facta erat, virgis myrteis a viro uſque ad mortem cæſam: poſtea vero quum eum facti ſui pœniteret, & deſiderium ejus ferre non poſſet, divinum illi honorem retuliſſe. iccirco in ſacris ejus obvolutam vini amphoram poni.* Ad hæc tamen ſacra P. Clodius penetravit, habitu pſaltriæ ſumto, ut uxorem Cæſaris conſtupraret. Propterea Cicero in Oratione de Haruſpicum Reſponſis: *Occulta, & maribus non inviſa ſolum, ſed etiam inaudita ſacra inexpiabili ſcelere pervertit.* Et rurſus: *Sacrificium... quod fit per virgines Veſtales, fit pro populo Romano, fit in ea domo quæ eſt in imperio, fit incredibili cærimonia, fit ei Deæ cujus ne nomen quidem viros ſcire fas eſt: quam iſte* (Clodius) *iccirco Bonam dicit, quod in tanto ſibi ſcelere ignoverit.* Ciceroni addendus Seneca Epiſt. 97. *Credat aliquis*, ait, *pecuniam eſſe verſatam in eo judicio in quo reus erat Clodius, ob id adulterium quod cum Cæſaris uxore in operto commiſerat, violatis religionibus ejus ſacrificii quod pro populo fieri dicitur, ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris, ut picturæ quoque maſculorum animalium contegantur.* Vide locum Juvenalis celeberrimum Sat. 6. a v. 338. Ad hæc ſacra Macrobius reſpexit lib. 1. Saturnal. c. 24. *Introſpexiſſe in ædem Deæ a qua mares abſterrentur, exiſtimandus ſit.* Propertius quoque de ſimilibus ſacris mentionem facit l. 4. Eleg. 10. Sed erant alia ſacrificia Bonæ Deæ privata, quæ ritu contrario a ſolis

At mihi ſi credas, illam ſequar unus ad aras.
Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.
Sæpe velut gemmas ejus, ſignumve probarem,
Per cauſſam memini me tetigiſſe manum.

Sæpe

viris colebantur, excluſis omnibus feminis. Teſtis locuples Aquinas poeta Sat. 2. a v. 83.

Nemo repente fuit turpiſſimus. accipient te
Paullatim, qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monilia collo,
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: ſed more ſiniſtro
Exagitata procul non intrat femina limen.
Solis ara Deæ maribus patet. ite, profanæ,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu.
Talia ſecreta coluerunt orgia tæda
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotyton.

Porro teſtatur M. Tullius in Oratione de Signis contra C. Verrem, *neque in ſacrarium Cereris aditum viris fuiſſe*. Hujus Tibulliani verſus numeros ita ſecutus eſt Martialis lib. 1. Epigr. 91.

Omne ſed officium circa te ſemper obibat
Turba tui ſexus, non adeunte viro.

v. 23. *mihi ſi credas*] Hoc eſt, ſi mihi committas cuſtodiendam. Enimvero, Tibulle, hoc fuerit ovem lupo credere. Nonne paullo ante dicebas,

Pauper ad occultos furtim deducit amicos?

v. 24. *non oculis ſit timuiſſe meis*] Non verebor ne forte cæcus fiam, ſacris aſpiciendis quæ interdicta ſint maribus. Vulgo enim credebatur, quicumque mas, etiam imprudens, Bonæ Deæ ſacra inſpexiſſet, eum continuo uſum oculorum amittere. Cicero de Haruſpicum reſponſis, in Clodium: *Niſi tibi forte ignotum putas, quod te judices dimiſerunt excuſſum & exhauſtum, ſuo judicio abſolutum, omnium condemnatum: aut quod oculos, ut opinio illius religionis eſt, non perdidiſti. Quis enim ante te ſacra illa vir ſciens viderat, ut quiſquam pœnam quæ ſequeretur illud ſcelus, ſcire poſſet? Sit timuiſſe*, pro *timuerim*, *timere contingat*. Ἑλληνισμός.

v. 25. *Sæpe, velut gemmas ejus*, &c.] Incipit enumerare virtutes ſuas, & ſe fallaciarum amoris peritum oſtendere, ut Deliæ marito perſuadeat, ſibi uni, non alii, mandandam eſſe puellæ cuſtodiam.

ibid. *velut gemmas ejus, ſignumve probarem*] Conjungit hæc duo, & quod anulo ſignarent veteres, & quod *uſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cœpiſſet inſculpere, & certatim hæc omnes imitatio laceſſiviſſet, ut de augmento pretii quo ſculpendos lapides paraſſent, gloriarentur*. Verba ſunt Ateji Capitonis J. C. apud Macrobium lib. 7. Saturnal. cap. 13. Licebat vero (ut & hodie licet) mulierum gemmas petere inſpiciendas. Auctor Dialogi de Oratoribus Quinctiliano tributi, cap. 22. *Sit in apparatu ejus & aurum & gemmæ, ut ſumere in manus, & aſpicere ſæpius liceat*. Illud etiam conſiderandum eſt, ſignaturos epiſtolam conſueviſſe prius anuli gemmam ori admovere, ut eam ſaliva madefacerent. Ingenioſe Ovidius epiſtolam ipſam ita loquentem inducit lib. 5. Triſtium Eleg. 4.

Flens quoque me ſcripſit: nec qua ſignabar, ad os eſt
Ante, ſed ad madidas gemma relata genas.

Propterea ſi juvenis aliquis a puella petiviſſet ſigillum aſpiciendum, ori jam admotum, non obſcura ſuberat oſculi ſignificatio. Egregia ſunt quæ ad hunc locum Tibulli contulit Janus Broukhuſius.

v. 26. *Per cauſſam memini me tetigiſſe manum*] Ovidius Epiſt. Acontii v. 139.

Dumque ſuo tentat ſalientem pollice venam,
Candida per cauſſam brachia ſæpe tenet.

Per cauſſam, eſt quod Itali dicimus, *ſotto preteſto*, *ſotto colore*. Cæſar l. 7. Belli Gallici cap. 9. *Per cauſſam ſupplementi, equitatuſque cogendi ab exercitu diſcedit*. *Sub prætextu*, dixit Petronius in Satyrico: *Præbeo ecce cervicem, funde ſanguinem, quem ſub prætextu quæſtionis petiiſti*. Non recte igitur Broukhuſius pronuntiavit, ſub prætextu *dicere homines invenuſtos*. Græcis hoc eſt,

μετ'

Digitized by Google

Sæpe mero ſomnum peperi tibi: at ipſe bibebam
Sobria ſuppoſita pocula victor aqua.
Non ego te læſi prudens: ignoſce fatenti.
Juſſit Amor. Contra quis ferat arma deos?
Ille ego ſum, nec me jam dicere vera pudebit,
Inſtabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi conjuge opus? tua ſi bona neſcis
Servare, fruſtra clavis ineſt foribus.
Te tenet, abſentes alios ſuſpirat amores,
Et ſimulat ſubito condoluiſſe caput.

At

μετ᾽ ἀλόγου αἰτίην, μετ᾽ ἀλόγου πρήγματα, ἐπὶ τῇ σκέψεως προφάσει. Herodotus in Clio, de Solone: *Ἀπεδήμησε ἔτεα δέκα, κατὰ θεωρίης πρόφασιν ἐκπλώσας*.

v. 28. *Sobria ſuppoſitâ pocula victor aquâ*] In bibendi certamine, quod mihi tecum inſtitutum erat, providebam ut tu cyathos vini meracioris exhaurires: ego vero aquam pro vino ſupponi mihi jubebam, ut ebrietatem caverem, atque ita victor diſcederem. De hujuſmodi certaminibus Seneca Epiſt. 83. *Quæ gloria eſt, capere multum? Quum penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac dormitantes recuſaverint, quum ſuperſtes toti convivio fueris, quum omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris a dolio*. D. Cæſarius Arelatenſis Homilia 5. ex iis quas Baluzius edidit: *Certa bibendi lex conditur. Qui potuerit vincere, laudem meretur ex crimine*. Huc pertinet aliquo modo illud Martialis Epigr. 107. lib. 1.

Interponis aquam ſubinde, Ruſe,
Et ſi cogeris a ſodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni.

v. 29. *Non ego te læſi prudens*] Puta, quod adverſum te male animatus ſorem, ſed potius amore inſtigante & ad flagitium impellente. Cicero Epiſt. 6. lib. 6. ad Familiares: *Sic ego prudens & ſciens ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus*. Frivolas hujuſmodi excuſationes rejicit Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 2. cap. 16. *Nam qui ſe propter vinum, aut amorem, aut iracundiam, fugiſſe rationem dicet, is animi vitio videbitur neſciſſe, non imprudentia. Quare non imprudentia ſe defendet, ſed culpa contaminabit*.

v. 32. *Inſtabat t. cui t. nocte canis*] Latratu ſcilicet numquam interrupto. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 19.

Incipe, quis toties furtim tua limina pulſet,
Quærere; quid latrent nocte ſilente canes.

v. 33. *Quid tenera tibi conjuge opus?*] Expediebat, te cœlibem vivere, ſi uxore ducta illam ſervaturus non fueras. Horatius Ode 1. lib. 1.

— — — manet ſub Jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor.

v. 34. *fruſtra clavis ineſt foribus*] Recte monet Broukhuſius, *clavem* hic uſurpari pro ſera & clauſtro.

v. 35. *Te tenet, abſentes alios ſuſpirat amores*] Dum te amplectitur, mentem animi alio converſam habet: abſentem amatorem vehementer deſiderat. Ovidius lib. 1. Triſtium Eleg. 1.

Invenies aliquem, qui me ſuſpiret ademtum,
Carmina nec ſiccis perlegat iſta genis.

Juvenalis Sat. 11. v. 152.

Suſpirat longo non viſam tempore matrem.

v. 36. *Et ſimulat ſ. condoluiſſe caput*] Tibi percunctanti, cur frequentes gemitus ducat, reſpondet puella nequiſſima, & dolis omnibus inſtructa, ſe repentino capitis dolore tentari. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 8.

Sæpe nega noctes: capitis modo finge dolorem.

Sed ibi alia fingendi cauſſa eſt. Idem lib. 2. Eleg. 19.

Ab

Digitized by Google

At mihi ſervandam credas, non ſæva recuſo
  Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul abſitis, quiſquis colis arte capillos,
  Effluit effuſo cui toga laxa ſinu.
Quiſquis & occurret, ne poſſit crimen habere,
  Stet procul, atque alia ſtet procul ante via.
Sic fieri jubet ipſe deus. ſic magna ſacerdos
  Eſt mihi divino vaticinata ſono.

Hæc

Ah quoties ſani capitis mentita dolores,
Cunctantem tardo juſſit abire pede!

Condolere latus, dixit Cicero lib. 3. de Oratore: *Latus ei dicenti condoluiſſe ..... audiebamus.*

v. 37. *At mihi ſervandam credas*] Deeſt *ſi*. ut inferius v. 53. *Attigeris, labentur opes*. nempe, *ſi attigeris*.

ibid. *non ſæva recuſo Verbera*] Cuſtos tibi ero ad limen, janitor, excubitor. Erant hi ſervi homines, verberibus obnoxii, & catenam trahentes. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 6.

Janitor (indignum) dura religate catena.

Et noſter ſuperius Eleg. 1. v. 55.

Me retinent vinctum formoſæ vincla puellæ,
Et ſedeo duras janitor ante fores.

v. 39. *Tunc procul abſitis*, &c.] Quum ad januam ſedebo cuſtos, juvenes comtulos, cincinnatos, unguentatos, laxis togis & fluentibus præcipue arcebo: ſunt enim hæc omnia otii ſigna & libidinum.

v. 40. *Effluit effuſo cui toga laxa ſinu*] Toga laxa, & diſcincta mollium fuit ac delicatorum. Quinctilianus lib. 11. cap. 3. *Et toga, & calceus, & capillus, tam nimia cura, quam negligentia, ſunt reprehendenda*. Et paullo poſt: *Sinus decentiſſimus ſi aliquanto ſupra imam togam fuerit, numquam certe ſit inferior. Ille qui ſub humero dextro ad ſiniſtrum oblique ducitur, nec ſtrangulet, nec fluat*. Suetonius Octavio cap. 73. *Togis uſus eſt neque reſtrictis, neque fuſis: clavo nec lato, nec anguſto*. Horatius Epod. 4. in Pompejum Menam ex homine ſervo ſubito locupletem:

— — — ſacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga.

Idem Sat. 2. lib. 1. v. 25. *Malthinus tunicis demiſſis ambulat*. Contra Epiſt. 18. lib. 1. v. 29.

— — — tibi parvula res eſt.
Arcta decet ſanum comitem toga.

Et Epiſt. 19. v. 13.

Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem.

Idem Epiſt. ad Piſones v. 50.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis.

De Hortenſii mollitie in toga componenda vide Macrobium lib. 2. Saturnal. cap. 9.

v. 41. *Quiſquis & occurret*] Nempe, dum ego puellam deduco, & illam ſequor ad aram. Vide quæ attulimus ad v. 33. Eleg. 2.

v. 42. *atque alia ſtet procul ante via*] Ut ſibi magis caveat, reſiſtat viâ proximâ, ne ultro progrediatur, aut in eamdem viam ſe det qua ego & puella incedimus.

v. 43. *Sic fieri jubet ipſe deus*] An Cupido? quem dediti amoribus κατ' ἐξοχὴν deum appellabant: an Bellona, ſeu Minerva? quam colebant hæ ſacerdotes Bellonariæ. Certe deas quoque feminas dei nomine interdum ſignificari conſtat, præſertim apud poetas. Virgilius lib. 2. Æneid. v. 632.

Deſcendo, ac ducente deo flammam inter & hoſtes
Expedior.

nimirum Venere. Sic & Græcis θεὸς utriuſque generis eſt, ut videre eſt non ſemel apud Homerum.

ibid. *magna ſacerdos*] Bellonæ ſacerdotem fatidicam vocat *magnam*, ut ipſi exiſtimationem atque auctoritatem conciliet. quamquam hæ mulieres de vulgi fæce plerumque erant, ut Broukhuſius recte animadvertit. Virgilius pariter lib. 6. Æneid. v. 544. *Ne ſævi, magna ſacerdos*. at ibi Deiphobus alloquitur Sibyllam.

v. 44. *divino ſono*] Scilicet divinante,

ac

Hæc ubi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuſo ſpargit inulta deam.
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus:
Et canit eventus, quos dea magna monet.

Par-

ae futuros eventus canente. Nam & vates alio nomine dicebantur *divini*. Horatius Sat. 6. lib. 1. v. 113.

Fallacem Circum, veſpertinumque pererro
Sæpe forum: adſiſto divinis.

h. e. accedo, ut audiam vates & aſtrologos circumforaneos, qui & in Circo nonnumquam conſiſtebant, atque ibi divinabant. Idem Sat. 9. lib. 1. v. 29.

Confice: namque inſtat fatum mihi triſte, Sabella
Quod puero cecinit motâ divina anus urnâ.

Ut recte, meo quidem judicio, locum illum emendavit vir ingenioſus & acutus Richardus Bentlejus. *divina anus*, nempe divinatrix.

v. 45. *Hæc ubi Bellonæ motu eſt agitata*] Simul ac ejus deæ ſpiritum & afflatum concepit. Quæ dea eſſet Bellona, docemur a Lactantio lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 21. *Ab iſto genere ſacrorum non minoris inſaniæ judicanda ſunt publica illa ſacra, quorum alia ſunt matris deûm, in quibus homines ſuis ipſi virilibus litant; amputato enim ſexu nec viros ſe nec feminas faciunt: alia Virtutis, quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipſi ſacerdotes non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant. Sectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exſerentes, currunt, efferuntur, inſaniunt.*

v. 46. *amens*] Furebant enim, neque ſatis mente utebantur Bellonæ ſacerdotes.

ibid. *non a. verbera torta timet*] *Verbera* hic flagella ſunt, non ictus flagellorum. Ita inferius Eleg. 9. v. 21.

Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga ſeca.

v. 47. *Ipſa bipenne ſuos cædit v. lacertos*] Furoris hujus immaniſſimi Propertius meminit lib. 2. Eleg. 22.

Cur aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris?

Et Valerius Flaccus lib. 7. Argonaut. v. 635.

Qualis ubi attonitos mæſtæ Phrygas annua Matris
Ira, vel exſectos lacerat Bellona comatos.

Propterea *gaudens Bellona cruentis* dicitur ab Horatio Sat. 3. lib. 2. v. 223. Huc pertinere arbitror illa Senecæ libro de Vita Beata cap. 27. *Quum aliquis ſecandi lacertos ſuos artifex, brachia atque humeros ſuſpenſa manu cruentat.* Ludum hunc crudelem & miniſtri Cybeles ludebant. Martialis lib. 11. Epigr. 84.

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris,
Quum furit ad Phrygios enthea turba modos.

Item ſacerdotes Deæ Syriæ. Lucianus in Aſino: *τοῖς ξίφεσιν ἐτέμνοντο τὰς πήχεις.* Denique ſacerdotes Baal, ut ignem elicerent ad victimam comburendam, ſimili ritu deum ſuum placare ſtudebant. Lege lib. 3. Regum cap. 18. Ceterum Broukhuſius male colligit ex Juvenale Sat. 6. v. 105. gladiatores, poſt miſſionem, factos fuiſſe Bellonarios. Poetæ Aquinatis verba ſunt:

– – – nam Sergiolus jam radere guttur
Cœperat, & ſecto requiem ſperare lacerto.

Gladiator ille vetulus, quem poeta irridendi cauſſa Sergiolum vocat, cœperat miſſionem ſperare, ac finem vulnerum, quæ in amphitheatro cum adverſariis dimicans accipere ſolebat. *Requies* igitur *ſecto lacerto* jam jam adveniebat. *τὸ lacerto* tertius eſt caſus, non ſextus.

v. 48. *inulta*] Nemo enim erat qui ulciſceretur vulnera quæ ſibi furentes illæ mulieres infligebant ſponte ſua.

v. 49. *latus præfixa veru*] Lanceolâ nimirum inter cutem & ſaginam adactâ: quod faciunt nonnumquam & hodierni præſtigiatores.

v. 50. *Et canit eventus, quos dea magna monet*]

Parcite, quam cuſtodit Amor, violare puellam:
Ne pigeat magno poſt didiciſſe malo.
Attigeris, labentur opes: ut vulnere noſtro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.
Et tibi neſcio quas dixit, mea Delia, pœnas.
Si tamen admittas, ſit precor illa levis.

Non

monet] Fatidicorum hominum, & deorum illos monentium erat canere, ſeu canendo prædicere futuros eventus. Propertius lib. 3. Eleg. ult.

Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
Eventum formæ diſce timere tuæ.

M. Tullius Orat. 3. in Catilinam: *Quæ tam multa nobis Conſulibus facta ſunt, ut hæc quæ nunc fiunt, canere dii immortales viderentur.* Loquitur de prodigiis. Quod vero Tibullus Bellonam appellat *deam magnam*, ideo ſuſpicari licet, Minervam & Bellonam duo nomina fuiſſe unius deæ. Profecto Minervæ inventionem belli tribuebant, eamque armatam ſemper fingebant: quamobrem a Papinio Statio lib. 4. Silvar. Carm. 5. dicta eſt *Regina bellorum virago*. Numerabatur autem in diis magnis duodecim, quos recenſet Ennius diſticho celeberrimo. Auget ſuſpicionem Lactantius, qui loco ſuperius allato tradit, Bellonam fuiſſe Virtutem, puta bellicam. Vulgatum porro eſt, Minervam Paridi, ſi pro ipſa de pulchritudine ſententiam tuliſſet, virtutem promiſiſſe. Ovidius Epiſt. Paridis v. 81.

Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat.
Ipſe potens dubito, fortis an, eſſe velim.

Et rurſus v. 165.

Dumque tuo poſſem circumdare brachia collo,
Contemta eſt virtus, Pallade dante, mihi.

v. 52. *magno poſt didiciſſe malo*] Summo videlicet cum incommodo veſtro ac detrimento. Stulti enim ſero ſapiunt, & ſola experientia docti. Propertius l. 2. Eleg. 28.

Narrabit Semele, quo ſit formoſa periclo:
Credet & illa ſuo docta puella malo.

Cicero lib. 1. ad Famil. Epiſt. 9. *Gaudeo, te eam fidem cognoſſe hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram.*

v. 53. *Attigeris, labentur opes*] Deeſt *ſi*, eleganter. Ita locutus Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 292.

— — — caſus, medicuſve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa.

Ovidius pariter in Remediis Amoris v. 195.

Veneris inſitio, fac ramum ramus adoptet.

Item Perſius Sat. 5. v. 78.

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.

Juvenalis denique Sat. 3. v. 78.

Græculus eſuriens in cælum, juſſeris, ibit.

Vide Commentarium Joannis Paſſeratii ad illud Propertii Eleg. 2. lib. 4. *Suppetat, hoc piſces calamo venabor.* Dicebant porro, *digito*, & *uno digito attingere*, ac *digitulo minimo tangere*. Cicero lib. 5. Tuſcul. Quæſt. *Lælius ſi digito quem attigiſſet, pœnas dediſſet.* Porcius Licinius, vetus poeta, apud A. Gellium lib. 19. N. A. cap. 9.

Si digito attigero, incendam ſilvam ſimul omnem.

Terentius Eunucho 4. 6. 1.

Credo equidem illum jam adfuturum eſſe, ut illam a me eripiat: ſine veniat,
Atqui ſi illam digito attigerit uno, oculi illico effodientur.

Et Plautus antea Perſa 5. 2. 15.

Ne ſis me uno digito attigeris, ne te ad terram, ſcelus, adfligam.

Idem Rudente 3. 4. 15.

Tange utramvis digitulo minimo modo.

ibid. *labentur opes*] *Labi*, *dilabi* rem privatam, & publicam, dicebant veteres Latini. Exempla luculenta attulit Broukhuſius.

v. 54. *ut hic ventis diripiturque cinis*] Videtur hæc ſacerdos Bellonaria cinerem pugillo collegiſſe, deinde in aerem projeciſſe ac ſparſiſſe, ut rem ſignificatam ob oculos poneret. Vide Virgilium Pharmaceutria v. 101.

v. 55. *neſcio quas dixit, m. D. pœnas*] *Dixit*, nempe augurata eſt, vaticinata eſt.

Ma-

Non ego te propter parco tibi: ſed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.
Hæc mihi te adducit tenebris, multoque timore
Conjungit noſtras clam taciturna manus.
Hæc foribuſque manet noctu me adfixa, proculque
Cognoſcit ſtrepitus me veniente pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus. proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuiſſe velim.

Te

Manilius lib. 4. Aſtronom. v. 189.

At, quibus Erigone dixit naſcentibus ævum.

Hinc *dicta*, pro minis vatum & hariolorum. Lucretius lib. 1. v. 104.

Tutemet a nobis jam quovis tempore vatum
Terriloquis victus dictis deſciſcere quæres.

v. 56. *Si tamen admittas, ſit precor illa levis*] Si commiſeris crimen aliquod puniendum, ſi dignam te ſupplicio præſtiteris, velim ſacerdotem illam Bellonæ levem eſſe; nimirum vel minus ſeveram, vel minus conſtantem, ut id non curet efficere quod minata erat. Hoc autem pertinet ad animi levitatem.

v. 57. *Non ego te propter parco tibi*] Contra lib. 2. Eleg. 6.

Lena nocet nobis, ipſa puella bona eſt.

v. 58. *aurea anus*] Moribus plane aureis, commoda, & mihi adeo cariſſima. Horatius Ode 5. lib. 1.

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem
Sperat.

v. 59. *Hæc mihi te adducit tenebris*] *Adducere*, verbum lenonium. Cornelius Nepos Dione: *Puero priuſquam pubes eſſet, ſcorta adducebantur*. Cicero lib. 2. de Finibus: *Quid enim neceſſe eſt, tamquam meretricem in matronarum cœtum, ſic voluptatem in virtutum concilium adducere?* Uſurpabant & *deducere*. Ovidius Epiſt. Paridis v. 313.

Pæne ſuis ad te manibus deducit amantem.
Utere non vafri ſimplicitate viri.

Item *perducere*, unde *perductores*: & *introducere*, unde *introductio*. Cicero Oratione 3. in Verrem: *Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat*. Lactantius Firmianus lib. 6. cap. 17. *Atqui multum refert, utrumne ſcortis propter libidinem largiare, an miſeris propter humanitatem: utrum pecuniam tuam perductores, aleatores, lenoneſque diripiant; an illam pietati ac Deo præſtes*. L. Seneca Epiſt. 97. memorat *adoleſcentulorum nobilium introductiones*, quorum ſcilicet ſtupra P. Clodius judicibus pollicitus fuerat, ne ipſum adulterii & ſacrilegii damnarent. quod ſcimus etiam ex Epiſtolis M. Tullii ad Atticum.

ibid. *tenebris*] Pro *noctu*. Ovidius 1. Amor. Eleg. 6.

Mirabar, tenebris ſi quis iturus erat.

Noſter lib. 2. Eleg. 1.

Ad juvenem tenebris ſola puella venit.

v. 61. *Hæc foribuſque manet noctu me adfixa*] In ipſo januæ limine, foribus hærens, nocturnum adventum meum præſtolatur. Ita Livius lib. 3. Hiſtor. *Herete affixi concionibus*. Et Plinius Panegyrico Trajani cap. 71. *Adfixi curulibus ſuis* (Principes).

v. 63. *Vive diu mihi, dulcis anus*] Vita enim tua mihi amanti multas utilitates afferet. Vel *τὸ mihi* eleganter *παρέλκει*. ut apud Virgilium 1. Georg. v. 45.

Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco adtritus ſplendeſcere vomer.

Scaliger hoc loco Tibulli malebat *mi anus*, *ἀρχαϊκῶς*. Verum hiſce archaiſmis Noſter minus delectatur. Plautus Ciſtellaria 4. 2. 8. eum vocativum uſurpavit numero multitudinis:

Mi homines, mi ſpectatores, facite indicium.

Scriptores autem ſequioris ætatis in genere femineo retinuerunt. In Epiſtola Alexandri Severi ad matrem Mammæam apud Julium Capitolinum in Maximino juniore occurrit, *mi mater*. Salvianus pariter Maſ-

M ſilien-

Te ſemper, natamque tuam te propter amabo.
  Quidquid agat, ſanguis eſt tamen illa tuus.
Sit modo caſta doce, quamvis non vitta ligatos
  Impediat crines, nec ſtola longa pedes.
Et mihi ſint duræ leges, laudare nec ullam
  Poſſim ego, quin oculos adpetat illa meos.

Et

ſilienſis initio lib. 4. Adverſus Avaritiam: *Non me præterit, domina mi Eccleſia.*

ibid. *proprios ego tecum, S. m. ſ. annos contribuiſſe velim*] Votum inane diligentium. Seneca libro de Brevitate Vitæ cap. 8. *Dicere ſolent eis quos validiſſime diligunt, paratos ſe partem annorum ſuorum dare.* lege quæ ſequuntur plena ſapientiæ. Heinſius & Broukhuſius malunt *contervisſe*, libris non addicentibus, neque adeo ſententia ipſa, ſi quid judicare poſſum. Seneca eodem opuſculo cap. 14. utrumque verbum conjunxit: *Horum nemo annos tuos conteret, ſuos tibi contribuet.* quod vulgatam lectionem in Tibullo mirifice confirmat. Plautus noſtri poetæ ſententiam ita expreſſit Aſinaria 3.3.19.

> *Ego te? quam ſi intellegam deficere vita, jam ipſe*
> *Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.*

Ne quid tamen diſſimulem, *contribuiſſe proprios annos tecum*, locutio duriuſcula mihi videtur: & iccirco ad eam probandam exempla quærere oportet.

v. 66. *ſanguis eſt tamen illa tuus*] Latinis aliquando *ſanguis* prolem & progeniem ſignificat. Cicero lib. 1. de Finibus: *Siccine eos cenſes aut in armatum hoſtem impetum feciſſe, aut in liberos, aut in ſanguinem ſuum tam crudeles fuiſſe, nihil ut de commodis ſuis cogitarent?* Virgilius 6. Æneid. v. 836. *Projice tela manu, ſanguis meus.* Horatius Ode 20. lib. 2.

> *non ego pauperum*
> *Sanguis parentum, non ego quem vocas,*
> *Dilecte Mæcenas, obibo.*

Silius Italicus lib. 3. Punicor. v. 572. *Tenet, longumque tenebit Tarpejas arces ſanguis tuus.* Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 533.

> *neque enim terris tum ſanguis in ullis*
> *Noſter erat.*

His omnibus præiverat Ennius Annalium lib. 1.

> *O pater, o genitor, o ſanguen diis oriundum.*

Recte monet elegantiſſimus Broukhuſius, pluribus veterum teſtimoniis allatis, poſteriorem ſyllabam in *ſanguis* ancipitem videri fuiſſe, quemadmodum & in *pulvis*, *cinis*, *ignis*.

v. 67. *Sit modo caſta doce*] Caſtæ dicebantur veteribus non ſolum puellæ virgines nuptiis deſtinatæ, ac matronæ viris fideles, verum etiam corruptæ mulieres, ſi uni tantum amatori copiam ſui facerent. Hujuſmodi eſt Glycerium in Andria Terentii, Antiphila in Heautontimorumeno, Silenium in Plauti Ciſtellaria, quæ *nolebat ſe meretricem dici*, & icciroo *mater* ei *obſecuta erat, ut illam ſineret cum eo vivere quem graviter amaret.* Id animadvertit Janus Palmerius in Spicilegio. Vide quæ nos adferimus ad Eleg. 4. lib. 3. v. 60.

ibid. *quamvis non vitta ligatos Impediat crines, n. ſ. l. p.*] Delia neque virgo erat, neque nobilis aliqua matrona, ſed mulier libertinæ conditionis; cui generi fidem viro datam violare, piaculum non erat. Vittæ inſigne fuerunt virginitatis. Val. Flaccus lib. 8. Argonaut. v. 6.

> *Ultima virgineis tunc flens dedit oſcula vittis.*

Stola veſtis erat matronarum, quæ ad talos uſque demittebatur, pudoris & pudicitiæ argumentum. Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 97.

> *multæ tibi tum officient res;*
> *Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ;*
> *Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla*
> *Plurima, quæ invideant pure adparere tibi rem.*

v. 69. *Et mihi ſint duræ leges*] Cicero l. 1. de Oratore: *Qui mihi prope etiam nimis duras leges imponere viſus es huic ætati.* Græci

ci

Et ſi quid peccaſſe puter, ductęrque capillis
  Immerito, pronas per rapiarque vias.
Non ego te pulſare velim. ſed venerit iſte
  Si furor, optarim non habuiſſe manus.
Nec ſævo ſis caſta metu, ſed mente fideli
  Mutuus abſenti te mihi ſervet amor.
At quæ fida fuit nulli, poſt victa ſenecta
  Ducit inops tremula ſtamina torta manu:

Fir-

ei vocant *νόμους χαλεπούς*. Iſocrates de Permutatione: *Βούλομαι δὲ περὶ ἐμαυτοῦ καὶ νόμον θεῖναι χαλεπώτερον, ἢ περὶ τῶν ἄλλων*. *Volo autem de me ipſo & legem ponere duriorem, quam de aliis*. Hujuſmodi leges imponit Cynthia Propertio Eleg. 8. lib. 4.

ibid. *laudare nec ullam Poſſim ego*] Ovidius lib. 2. Amorum Eleg. 7.

Si quam laudavi; miſeros petis ungue capillos:
Si culpo; crimen diſſimulare putas.

Vide quæ animadvertimus ad verſum 17. hujus Elegiæ Tibulli.

v. 70. *quin oculos adpetat illa meos*] Mulieres iratæ amatoribus, in eorum oculos præcipue involabant. Propertius lib. 4. Eleg. 8.

Præcipueque oculos, qui meruere, ferit.

Et lib. 3. Eleg. 6.

Tu minitare oculos ſubjecta exurere flamma.

v. 71. *Si quid peccaſſe puter*] Nimirum vel officio negligendo, vel alia puella præferenda.

ibid. *ductęrque capillis Immerito*] Ex hoc verſu colligere quis poſſit, poetam quum hæc ſcriberet nondum virilem togam ſumſiſſe, & comam adhuc aluiſſe, ut ſolebant Romani pueri ante annum ætatis XVI. Qui enim tonſi erant, vix capillis ductari poterant. Sed repugnant alia quæ de ſe Tibullus ipſe narrat non uno in loco. Adverſatur etiam carminum ejus nitor ſummus, & ſtilus maxime caſtigatus, quæ virtutes non conveniunt in puerum. Alius igitur huic nodo cuneus quærendus eſt. De muliere Plautus Mercat. 4. 4. 57.

Ibo ad forum, atque Demiphoni hæc eloquar,
Me iſtanc capillo protracturum eſſe in viam.

τὸ immerito ſignificat, poetam in ſe non tantum peccatum, ſed tenuem etiam peccati ſuſpicionem puniri velle. Dixit enim paullo ante: *Et mihi ſint duræ leges*.

v. 72. *pronas per rapiarque vias*] Ita Nicolaus Heinſius locum vexatum conſtituit, veſtigiis inhærens antiquæ ſcripturæ. *Pronæ viæ* in urbe Roma ſunt clivi a collibus ad planitiem deſcendentes. Pedibus trahebantur viliores qui aliquid peccaverant, & cadavera etiam hoſtium, ut oſtendit Broukhuſius.

v. 73. *Non ego te pulſare velim*] Tu neque meritò a me vapulabis: ego etiam immeritò tibi pœnas dabo. *Pulſare* pro *percutere, verberibus cædere*. Virgilius 6. Æn. v. 608.

Hic, quibus inviſi fratres, dum vita manebat,
Pulſatuſve parens, & fraus innexa clienti.

ibid. *ſed venerit iſte Si furor*] Eodem prope pacto Latinorum poetarum princeps 1. Georg. v. 37.

Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

v. 75. *Nec ſævo ſis caſta metu*] Terentius Adelphis 1. 1. 44.

Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet:
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit:
Ille quem beneficio adjungas, ex animo facit.

Auctor quidam vetus, fortaſſe P. Syrus Mimographus: *Infidelis recti magiſter eſt metus*. D. Hieronymus ad Celantiam: *Fidelius & gratius ſemper obſequium eſt quod ab amore, quam quod a metu proficiſcitur*. *Sævum metum* appellat, quaſi tyrannum quemdam: timentium enim vita acerba eſt ac miſerrima. Hoc epithetum Tibullo familiare.

v. 77. *At quæ fida fuit nulli*] Broukhu-

Firmaque conductis adnectit licia telis,
Tractaque de niveo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident, juvenumque catervæ
Commemorant merito tot mala ferre ſenem.
Hanc Venus ex alto flentem ſublimis Olympo
Spectat, & infidis quam ſit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant. nos, Delia, amoris
Exemplum cana ſimus uterque coma.

ſius legit: *Nam quæ fida*. Sed, pace dicam viri egregii, hæc particula hoc loco minus apta eſt. Vult poeta, mutuum amorem ſolum cauſſam eſſe cur Delia caſtitatem ſervet, nullum vero metum, neque ſenectæ miſeræ quam illi olim dii irati ſint immiſſuri.

v. 79. *Firmaque conductis adnectit licia telis*] Licia in inſtrumento textorio ſunt *συνδέσμοι*, quibus implicatur ſtamen. Virgilius ita fere locutus 1. Georgic. v. 284.

Septima poſt decumam felix, & ponere vitem,
Et prenſos domitare boves, & licia telæ
Addere.

Conductis telis dixit, ut notaret egeſtatem aniculæ. Juvenalis quoque Sat. 8. v. 43.

Ut te conciperet quæ ſanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoſo conducta ſub aggere texit.

v. 80. *Tractaque de niveo vellere ducta putat*] Tracta ſunt lanæ manipuli jam colo tracti, neti, & fuſo involuti, ſi Scaligerum audimus, qui hunc verſum optime illuſtravit. Varro in Satyra, Mutuum muli ſcabunt: *Ut venalem tuniculam poneret quotidie, ut vieret torum, denique etiam ſuis manibus lanea tracta miniſtraret infectori.* *Putat* vero, pro *purgat*, ἀρχαϊκῶς. h. e. ἐκλέγει τὸ τραχὺ τοῦ ἐρίου, *ſecernit atque abjicit quod aſperum eſt in lana*. Ita quidem Scaliger. Niſi forte hoc verbum ſignificet, *numerat*, *computat tracta*, *rationem eorum ſubducit*. Plautus Ciſtellaria 1. 3. 7.

nunc operam date,
Ut ego argumentum hoc vobis plane perputem.

v. 82. *Commemorant*] Non quod viderint eam in juventute ſuperbam; nondum enim eo tempore nati fuerant; ſed quod id acceperint a majoribus natu, & commemorari audierint.

ibid. *merito tot mala ferre ſenem*] Oſtendit Broukhuſius teſtimoniis productis, veteres auctores non ſemel *ſenem* pro *anu* uſurpaviſſe, quod nomen, ut refert Priſcianus lib. 3. ipſis commune erat. Præterea *τὸ ſenex* vim adjectivi ſæpius habere, atque idem ſignificare quod *vetus*, & jungi cum ſubſtantivis generis cujuſvis. Dixerunt itaque *ſenem cervum, corvum, cycnum, canem, porcum, mullum: ſenes autumnos: ſenem Bacchum, cadum: ſenem memoriam:* & alia ſimilia.

v. 83. *Hanc Venus e. a. f. ſublimis Olympo Spectat*] Delectata nimirum ſpectaculo, & in ſupplicio peſſimæ vetulæ ſibi placens. Juno pariter apud Silium Italicum Punic. lib. 1. v. 50.

Dum Cannas tumulum Heſperiæ, campumque cruore
Auſonio merſum ſublimis Iapyga cernam.

Silio præiverat Homerus lib. 14. Iliados v. 53.

Ἥρη δ' εἰσεῖδε χρυσόθρονος ὀφθαλμοῖσι
Στᾶσ' ἐξ Οὐλύμποιο ἀπὸ ῥίου.

At Juno aureum ſolium habens inſpexit oculis,
Stans ex Olympo a vertice.

Eodem prope pacto Fortuna dicitur Plauto Mercat. 3. 4. 12. *Divûm atque hominum ſpectatrix*. Poterit etiam *ſublimis* apud Tibullum ſignificare elatam, difficilem, quæ ſe non patiatur exorari. Certe Horatius Ode 26. lib. 3. iratæ Veneri tribuit *flagellum ſublime:*

Regina, ſublimi flagello
Tange Chloën ſemel arrogantem.

Idem Epiſt. ad Piſones v. 165. ferum & protervum adoleſcentem, ut eſſe ſolent illa ætate, vocavit *ſublimem*.

v. 85. *Hæc aliis maledicta cadant*] Nempe

Digitized by Google

pe accidant, eveniant. Vide quæ dicimus ad Eleg. 2. lib. 2. v. 17.

v. 86. *amoris Exemplum*] Petronius pariter Satyr. de Matrona Epheſia: *Solum illud adfulſiſſe verum pudicitiæ amoriſque exemplum, omnis ordinis homines confitebantur.* Sic Terentius dixit Andria 1. 1. 64.

enimvero ſpectatum ſatis
Putabam, & magnum exemplum continentiæ.

Et Cicero pro P. Sextio, *Exemplum imperii veteris, fidei publicæ, reipublicæ conſervandæ, defendendæ.* Idem lib. 1. de Oratore appellat P. Rutilium *exemplum innocentiæ.* Pro Sex. autem Roſcio Amerino de Cæcilia Nepotis filia: *In qua muliere, judices, etiam nunc, id quod omnes ſemper exiſtimaverunt, quaſi exempli cauſſa, veſtigia antiqui officii remanent.* Livius etiam lib. 9. *Ut alios reges claros duceſque omittam; magna exempla caſuum humanorum.* Ovidius lib. 1. Triſtium Eleg. 5.

Femina ſeu princeps, omnes tibi culta per annos,
Te docet exemplum conjugis eſſe bonæ.

Idem præclare lib. 1. Metam. v. 365.

Nunc genus in nobis reſtat mortale duobus.
Sic viſum ſuperis: hominumque exempla manemus.

Loquitur de Deucalione & Pyrrha, qui duo tantum hominibus diluvio conſumtis ſupererant. Pedo Albinovanus Elegia de Morte Druſi v. 13.

Occidit exemplum juvenis venerabile morum.

L. Seneca lib. 1. de Ira cap. 1. *Aſpice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati.* Et lib. 2. de Beneficiis cap. 27. *Cn. Lentulus augur, divitiarum maximum exemplum.* M. Seneca Rhetor Præfat. lib. 4. Controverſ. vocat Porcium Latronem, *declamatoriæ virtutis unicum exemplum.* Et apud eumdem Suaſoria 6. Q. Haterius declamator: *M. Cato ſolus maximum vivendi moriendique exemplum.* Juvenalis Sat. 10. v. 246.

Rex Pylius, magno ſi quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice ſecundæ.

Vetus quoque Inſcriptio apud Aldum Juniorem in Orthographia p. 37. *Aniciæ Faltoniæ Probæ, nobilitatis antiquæ, ornamento Anicianæ familiæ, ſervandæ ac docendæ caſtitatis exemplo.* Nos Itali dicimus, *l' idea.* Memorabile ac ſingulare illud in Catalectis Veterum Poetarum:

Num formæ exemplum periit, quum obiit mea Lyde,
Quam periere homines, vel periere dii.

Cui ſimilis eſt Petrarchæ ſententia (*nel Sonetto 126.*)

In qual parte del cielo, in qual' idea
Era l' eſempio onde Natura tolſe
Quel bel viſo leggiadro, in ch' ella volſe
Moſtrar quaggiù, quanto laſsù potea?

Lucanus vim hujus vocis expreſſit lib. 3. Pharſ. v. 729. de bellatore propter ætatem jam emerito:

Victum ævo robur cecidit, feſſuſque ſenecta
Exemplum, non miles erat.

Græci quoque ita locuti. Appiano Alexandrino libro de Bellis Parthicis vocatur M. Craſſus παράδειγμα τύχης.

ELE-

ELEGIA VII.

HUNC cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli diſſoluenda deo,

Hunc

ARGUMENTUM ELEGIÆ VII. LIBRI I.

Celebrat Meſſalæ natalem diem, opportune ad ejus victorias recenſendas, multarumque regionum laudes excurrens.

VERSU I. *Parcæ fatalia nentes Stamina, non ulli diſſoluenda deo*] Veteres, tametſi deos eſſe diis cauſſa faterentur, illos tamen fato neſcio cui alligabant; nec modo minorum gentium deos, verum ipſum quoque Jovem optimum maximum fato reſiſtere poſſe pernegabant. In hac Græcus ille vates opinione fuit, cujus dictum Cicero Latine reddidit lib. 2. de Divinatione:

Quod fore paratum eſt, id ſummum exſuperat Jovem.

Herodotus, ſive Oraculum Pythium apud Herodotum in Clio cap. 91. idem affirmat: *Τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατόν ἐςι ἀποφυγέειν καὶ τῷ Θεῷ. Ne ipſe quidem Deus quæ fati lege decreta ſunt, effugere poteſt.* Vulgatum eſt illud Philemonis Comici: *Δοῦλος Θεὸς ἀνάγκης. Ipſe Deus neceſſitati ſervit.* Quamobrem & Homerus Iliados lib. 16. v. 433. Jovem inducit acerbe querentem, quod fatorum decretis, quæ Sarpedonem filium cariſſimum a Menœtii filio trucidari vellent, intercedere nullo modo poſſit. Doctrina hujuſmodi Luciano cauſſa fuit, cur in Jove Confutato vaticinia, & reliquas deorum de futuris admonitiones, tamquam ſupervacuas, irrideret; quum fata impleri omnino debeant. Cui concinit Silius Italicus lib. 5. Punic. v. 75.

Heu vani monitus, fruſtraque morantia Parcas
Prodigia! heu fatis ſuperi certaſſe minores!

Horatius in Carm. Sæculari *Parcas* appellat *veraces*:

Voſque veraces ceciniſſe Parcæ
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervat, bona jam peractis
Jungite fata.

Ovidius autem lib. 5. Triſtium Eleg. 3. vocat *fati dominas*:

An dominæ fati quidquid cecinere ſorores,
Omne ſub arbitrio deſinit eſſe deûm?

Id conſiderans Lactantius lib. 1. D. I. cap. 11. hæc ſcribit: *Illud vero quale eſt? eſſe fata, quibus dii omnes & ipſe Juppiter pareat. Si Parcarum tanta vis eſt, ut plus poſſint quam cæleſtes univerſi, quamque ipſe rector ac dominus: cur non illæ potius regnare dicantur; quarum legibus ac ſtatutis parere omnes deos neceſſitas cogit? Nunc cui dubium eſt, quin is qui alicui rei obſequitur, maximus non ſit? nam ſi ſit, non accipiat fata, ſed faciat.* Sed Lactantio Chryſippus, qui olim putabatur fulcire porticum Stoicorum, reſpondiſſet, ideo Jovi negatum eſſe mutare fatum & Parcarum prædictionem, quod ſtabili atque æterna ſit voluntate: ipſum enim eſſe fatum, neceſſitatem, & Parcas. Hoc teſtatur Cicero lib. 1. de Nat. Deor. *Chryſippus legis perpetuæ & æternæ vim, quæ quaſi dux vitæ, & magiſtra officiorum ſit, Jovem dicit eſſe: eamdemque fatalem neceſſitatem appellat, ſempiternam rerum futurarum veritatem.* Hæc veritas erant Parcæ. Ante Stoicos tamen fuerunt qui fatum quidem ponerent, ſed mutabile crederent, deoſque inducerent ita ſe gerentes ac ſi mutabile exiſtimarent. Videndus Heſiodus in Theogonia a v. 463. Item A. Gellius Noct. Attic. lib. 13. cap. 1. Memorabile eſt quod tradit Cenſorinus de Die Natali cap. 14. *Etruſcis quoque libris fatalibus ætatem hominis duodecim hebdomadibus deſcribi Varro commemorat. quæ duo ad decies ſeptenos annos poſſet* fatalia deprecando *rebus divinis proferri, ab anno autem octuageſimo nec poſtulari debere, nec poſſe a diis impetrari.* Servius quoque ad illud lib. 8. Æneid. v. 398. -- — *nec fata vetabant*, hanc opinionem commemorat.

Scien-

Digitized by Google

Hunc fore, Aquitanas poſſet qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere. novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evinctos brachia capta duces.

At

Sciendum, inquit, *ſecundum haruſpicinæ libros & ſacra Acherontia, quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata decem annis quadam ratione differri*. Parcas Græci μοίρας vocaverunt. Idem Cenſorinus cap. 8. *Quo tempore*, inquit, *partus concipitur, Sol in aliquo ſigno ſit neceſſe; & in aliqua ejus particula, quem locum conceptionis proprie appellant. Sunt autem hæ particulæ in unoquoque ſigno tricenæ, totius vero Zodiaci numero* CCCLX. *Has Græci μοίρας cognominarunt: eo videlicet quod Deas Fatales nuncupant μοίρας. Et eæ particulæ nobis veluti fata ſunt. nam, qua potiſſimum oriente naſcantur, plurimum refert*.

v. 3. *Hunc fore, Aquitanas poſſet qui fundere gentes*] Tribuit diei natali Meſſalæ res a viro præclaro geſtas: ab illo enim die pendere exiſtimabant quidquid homini contigiſſet in vita. Noſter lib. 4. Carm. 5. quamquam in re leviori:

Te naſcente novum Parcæ cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna ſuperba tibi.

Ceterum Dio Caſſius lib. 49. narrat, Salaſſos, & alias gentes quæ cum illis nova moliebantur, a M. Valerio Meſſala Corvino ſubactos fuiſſe, Antonio & Libone Coss. quo tempore Imperator Cæſar bellum Dalmaticum gerebat. Ei propterea triumphum ab Auguſto de Gallis victis conceſſum, tradit Appianus in libris Bell. Civil. Aquitania vero, Auguſti Cæſaris beneficio, majorem latitudinem accepit, quam antea: patuit enim a Pyrenæis ad flumen Ligerim, ſed qua propinquus eſt Rhodano, videlicet ad ejus fontes, ut definivit Ptolemæus Geographiæ lib. 2. cap. 7. Separata etiam provincia fuit a reliquis Galliis. Hunc Meſſalam Octavianus in triumviratu proſcripſerat: quum autem is fuga ſibi conſuluiſſet, accidit ut proſcriptor in proſcripti poteſtatem veniret; a quo quum occidi poſſet, raro magni animi exemplo ſervatus eſt. Reconciliata igitur inter eos amicitia, Cæſar Meſſalam ob eximiam virtutem honoribus cumulavit, in tertio conſulatu ſuo collegam ſibi adjunxit, atque in familiariſſimis habuit. Videtur nihilominus Tibullus odio Cæſarem proſecutus, quod is patronum ſuum olim retuliſſet in proſcriptos: veteris enim injuriæ memor, nullo in loco carminum ſuorum maximi principis mentionem facere voluit.

ibid. *fundere gentes*] Diſſipare, atque in fugam verſas diſpergere. Cicero pro Rabirio: *Quum innumerabiles hoſtium copias in Italia fudiſſet*.

v. 4. *Quem tremeret*] Valde formidaret. Subaudiri debet particula *ob*, vel *propter*. Ita Propertius lib. 2. Eleg. 10.

India quin, Auguſte, tuo dat colla triumpho.
Et domus intacta te tremit Arabiæ.

ibid. *Atur*] Atures, & Aturenſes dicti fuerunt populi qui regionem juxta fluvium Aturum ſitam incolebant. Aturus autem, qui Ἄτυρις Ptolemæo, limes fuit Aquitaniæ ac Hiſpaniæ ad Oceanum.

v. 5. *Evenere*] *Evenio*, augurale verbum. Ovidius 3. Metam. v. 524. verbis Tireſiæ Pentheo exitium denuntiantis:

Evenient. neque enim dignabere numen honore.

ibid. *pubes Romana*] Ad hujuſmodi enim ſpectacula confluere, adoleſcentium & puellarum præcipue erat. Poeta Sulmonenſis l. 1. Artis Amat. v. 215.

Ibunt ante duces, onerati colla catenis;
Ne poſſint tuti, qua prius, eſſe fuga.
Spectabunt læti juvenes, mixtæque puellæ:
Diffundetque animos omnibus illa dies.

ibid. *novos triumphos*] Meſſala Corvinus de Aquitanis triumphum egit anno U. C. DCCXXVI. Imp. Cæſ. Divi F. Auguſto VII. M. Agrippa L. F. III. Coſſ.

v. 6. *evinctos brachia capta duces*] Hoſtium duces bello capti currum victoris triumphantis præcedebant, ligatis brachiis, & in tergum retortis. Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 191.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.

v. 7.

Digitized by Google

At te victrices lauros, Meſſala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non ſine me eſt tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani litora Santonici.
Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna,
Carnuti & flavi cærula lympha Liger.

An

v. 7. *lauros gerentem*] Veſtes & coronas proprie dicimur *gerere*. Noſter lib. 2. Eleg. 6. *Illa gerat veſtes tenues*. Et hac Elegia ipſa v. 52.

Et capite, & collo mollia ſerta gerat.

v. 8. *Portabat niveis currus eburnus equis*] Pedo Albinovanus Elegia de Morte Druſi v. 333.

Regalique habitu, curruque ſuperbus eburno
Fronde triumphali tempora vinctus eris.

Triumphantes utebantur equis albis. teſtimonia collegit Broukhuſius. Quod etiam regibus Perſarum ſolenne fuit: equos enim candidos ea gens eximios & ſacros habuit. Vide Herodotum in Clio. Non auſim tamen vulgatam lectionem expungere, *nitidis equis*. Equus nitidus, ſeu bene curata cute, opponitur ſtrigoſo, quem cenſores equitibus Romanis, pœnæ loco, adimebant.

v. 9. *Non ſine me eſt tibi partus honos*] Tecum enim, & ſub imperio tuo ego quoque militavi.

ibid. *Tarbella Pyrene Teſtis*] Cæſar lib. 3. Belli Gallici cap. 27. Tarbellos primo loco numerat in gentibus Aquitanis. Eorum autem ſedes fuerunt a Pyrenæo jugo ad flumen Aturum, & circa illum haud longe ab Oceano. Lucanus lib. 1. Pharſaliæ v. 420.

Qui tenet & ripas Aturi, quo litore curvo
Molliter admiſſum claudit Tarbellius æquor.

Auſonius vero in Moſella v. 468.

In mare purpureum, domini tamen ante Moſellæ
Numine adorato, Tarbellicus ibit Aturus.

Vide Chriſtophorum Cellarium Geographiæ Antiquæ lib. 2. cap. 2. Ceterum Pyrenen, ſeu Pyrenæos montes, Hiſpaniam a Gallia dirimentes, hoc nomen accepiſſe ab Hercule illac tranſeunte, qui eos a Pyrene Bebrycum regis filia, quam amaverat, ſic appellare voluerit, fabulatur Silius Italicus lib. 3. v. 357. Is autem poeta primam ſyllabam in *Pyrene* producit v. 417.

Pyrene celſa nimboſi verticis arce
Diviſos Celtis late proſpectat Iberos.

Vide eumdem lib. 4. v. 61. Sic Juvenalis primam produxit in *Pyrenæum* Sat. 10. v. 151. & Auſonius Epiſt. 24. v. 69. in *Pyrenæi*.

v. 10. *Oceani litora Santonici*] Sántones gens Aquitanica Oceanum attingens, porrecta inter Ligerim & Garumnam. Auſonius Moſella v. 463.

Santonico refluus non ipſe Carantonus æſtu.

Hoc enim flumen æſtu Oceani repellitur.

v. 11. *Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna*] Tres Aquitaniæ fluvii celeberrimi, hodie *la Saone*, *le Rhone*, *la Garonne*. *Celerem* Tibullus Rhodanum vocat, in quem videlicet influit Arar ſegnis & cunctabundus, & a quo cum Iſara & Druentia, pluribuſque aliis minoribus, magno impetu in mediterraneum mare defertur. Plinius lib. 3. N. H. cap. 4. *Rhodanus*, inquit, *ſegnem deferens Ararim*. Silius Italicus lib. 3. v. 451. de Rhodano:

Auget opes ſtanti ſimilis tacitoque liquore
Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, raptumque per arva
Ferre vetat patrium vicina ad litora nomen.

Garumna nobilis fluvius, ortus in Pyrenæo, mediam Aquitaniam percurrens, ac tandem Oceano Aquitanico exceptus. Hic quoque celebres amnes Tarnem & Duranium ſecum defert. Claudianus lib. 2. in Rufinum v. 113.

retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æſtu.

Hac porro figura uſus & Pedo Albinovanus ad Liviam v. 385.

Rhenus, & Alpinæ valles, & ſanguine nigro
Decolor infecta teſtis Ifargus aqua,

Da-

An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleis placidus per vada ſerpis aquis?

Quan-

Danubiuſque rapax, &c.
Quæ figura ut poetis convenit, ſic hiſtoricum dedecet. Florus tamen, poetico loquendi genere plurimum gaudens, lib. 3. H. R. cap. 2. *Varus victoriæ teſtis*, *Iſaraque*, *& Vindelicus amnis*, *& impiger fluminum Rhodanus*.

v. 12. *Carnuti & flavi cærula lympha Liger*] Carnuti, qui & Carnutes, & Carnuteni, Græcis vero Καρνουτῖνοι, & Καρνοῦτες, populi Galliæ Celticæ, Ligerim fluvium attingentes ad ſeptemtrionem. *Flavos* appellat Noſter a colore capillorum. *Liger*, hodie *la Loire*, Gallicorum fluminum nobiliſſimus, & curſu longiſſimo, olim finiebat Aquitaniam, ex Auguſti deſcriptione.

ibid. *cærula lympha*] Hic fluvius Oceanum per ſe ingreditur, & efficit æſtuaria. *Cæruleus*, vel *cærulus*, interdum *æquoreum* ſignificat, ut Joſephus Scaliger docte animadvertit. Sic Auſonius Moſella verſu ultimo: *Æquoreæ te commendabo Garumnæ*. quod videlicet Garumna flumen, ubi Oceano proximum eſt, *more pelagi ſævientis exſurgens jactet navigantes*; ut ſcribit Pomponius Mela lib. 3. Geographiæ.

v. 13. *An te, Cydne, canam*] Hactenus de Aquitanica Meſſalæ victoria & triumpho: nunc alio tranſit. Res geſſerat Tibulli patronus triennio ante in Cilicia, Syria, Ægypto: quamobrem poeta regionum quoque illarum mentionem facit. Deinde opportunitate uſus, excurrit in laudes Nili & Oſiridis, quem etiam invitat ad celebrandum Meſſalæ natalem. Cydnus fluvius campeſtrem Ciliciam ſecat, inſignis & maximus. Olim mediam urbem Tarſum interfluebat, teſtibus Arriano lib. 2. & Q. Curtio lib. 3. cap. 5. Ejus aqua præſrigida, tametſi nervorum dolore ac podagra laborantibus utilis ac ſalubris eſſet, vitæ periculum Alexandro Magno in ea lavanti creavit. Vide Q. Curtium lib. 3. cap. 4. Arrianum lib. 2. Juſtinum Hiſtor. Trogi lib. 11. cap. 8. & Lucianum ipſo initio libelli *περὶ τοῦ οἴκου*.

ibid. *tacitis qui leniter undis*] Hujuſmodi fluvios Græci vocant ἀκαλαῤῥείτας, quaſi ἀκαλῶς, ἡσύχως, ἀψόφως ῥέοντας, *leniter fluentes*, *ac ſine ſtrepitu*. Cydnum Lucianus modo memoratus vocat προσηνῶς ὀξὺν, *leniter concitatum*. Ælianus lib. 3. ποικίλης ἱστορίας cap. 1. de Peneo Theſſaliæ flumine: Διὰ μέσων δὲ τῶν Τεμπῶν Πηνειὸς ποταμὸς ἔρχεται σχολῇ καὶ πράως προϊὼν ἐλαίου δίκην. *Per media Tempe Peneus labitur fluvius*, *quiete ac leniter incedens*, *quaſi oleum*. De Arari Cæſar lib. 1. Belli Gallici cap. 12. *Per fines Rhodanorum & Sequanorum in Rhodanum influit*, *incredibili lenitate*, *ita ut oculis*, *in utram partem fluat*, *judicari non poſſit*. De Ticino Silius Italicus lib. 4. v. 82.

Cæruleas Ticinus aquas, *& ſtagna vadoſo*
Perſpicuus ſervat turbari neſcia fundo,
Ac nitidum viridi lente trahit amne liquorem:
Vix credas labi.

Idem de Liri flumine Latii & Campaniæ limite, lib. 4. v. 348.

Fit ſocius leti conjecta Maſſicus haſta,
Vitiferi ſacro generatus vertice montis,
Et Liris nutritus aquis, *qui fonte quieto*
Diſſimulat curſum, *ac*, *nullo mutabilis imbri*,
Perſtringit tacitas gemmanti gurgite ripas.

Horatius vero prior Ode 31. lib. 1.

Non rura quæ Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

v. 14. *Cæruleis placidus per vada ſerpis aquis*] Ita Broukhuſius. recte, meo judicio. ut poeta *cæruleas aquas* vocet ſinum maris Iſſici, in quem ſinum evolvitur Cydnus amnis. Vulgati libri præferunt, *Cæruleus placidis*: quæ lectio quum hiſtoriæ hujus fluminis contraria eſt, cujus aquæ ſunt albæ, non cæruleæ, tum facilem ac nitidam Tibulli ſyntaxim vehementer impedit & confundit. *Vada* hic ſunt loca maris vadoſa litori proxima. Quamquam & ipſum æquor medium poetæ dixerunt *vada*. Horatius Ode 3. lib. 1.

Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras, *ſi tamen impiæ*
Non tangenda rates tranſiliunt vada.

N v. 16.

Quantus & æthereo contingens vertice nubes
  Frigidus intonſos Taurus arat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
  Alba Palæſtino ſancta columba Syro?
Utque maris vaſtum proſpectet turribus æquor,
  Prima ratem ventis credere docta Tyros?

Qua-

v. 16. *Frigidus intonſos Taurus arat Cilicas*] Taurus mons aſperrimus ac præruptus Ciliciam a Pamphylia & Iſauria jugis ſuis ſeparabat. Quod autem ait poeta noſter, eum *Cilicas arare*, id ita accipiendum eſt, ut *arare* hoc loco uſurpetur pro *dirimere*, *dividere*, *ſecare*; ſicuti egregie Broukhuſius animadvertit. Ducitur translatio a porca, quæ inter ſulcos agrorum altius attollitur. Favet huic explicationi Herodianus lib. 3. Hiſt. Auguſtæ. Ὁ γὰρ Ταῦρος, inquit, *μεταξὺ ὢν Καππαδοκίας ϗ Κιλικίας, διακρίνει τά τε τῇ ἄρκτῳ, ϗ τὰ τῇ ἀνατολῇ ἔθνη προκείμενα*. h. e. *Taurus enim medius inter Cappadociam & Ciliciam, ſecernit gentes ad ſeptemtrionem, atque ad orientem ſitas*. Montium porro, excelſorum præcipue, neceſſaria proprietas eſt, ut frigidi valde ſint. T. Livius Hiſt. l. 38. *Eos* (legatos Gallorum) *Manlius Epheſum venire juſſit. ipſe* (*jam enim medium autumni erat*) *locis gelidis propinquitate Tauri montis excedere properans, victorem exercitum in hiberna maritimæ oræ reduxit*. *Intonſi Cilices*, ſunt inculti, male pexi, utpote latrociniis & venatui operam dantes, ſub dio agentes, in nive pernoctantes, atque a deliciis omnino alieni. Vidit hoc in illa bonarum litterarum Aurora Bernardinus Cyllenius. Noſter inferius lib. 2. Eleg. 1. ut nonnulli codices præferunt:

Gentis Aquitanæ celeber Meſſala triumphis,
  Et magna intonſis gloria victor, ades.

Nempe Cilicibus intonſis, quibus glorioſum fuit vinci a Meſſala.

v. 17. *crebras per urbes*] Indicat, Syriam Palæſtinam regionem fuiſſe populoſam, & urbibus frequentem.

v. 18. *Alba Palæſtino ſancta columba Syro*] Lucianus libello de Syria Dea: Ἰχθῦας (οἱ Σύροι) *χρῆμα ἱρὸν νομίζουσι, ϗ οὔποτε ἰχθύων ψαύουσι. ϗ ὄρνιθας τοὺς μὲν ἄλλους, σιτέονται, περιστερὴν δὲ μούνην, οὐ σιτέονται, ἀλλὰ σφίσι ἥδε ἱρή*. h. e. *Syri piſces ſacros putant, nec piſces attingunt umquam. Ex avibus alias quidem edunt, ſed ſolam columbam non edunt, quæ ſacra ipſis eſt*. Deinde ſubjungit, hoc ab ipſis Dercetûs & Semiramidis gratia, quas deas colebant, fieri. Derceto enim piſcis formam habebat, Semiramis poſtremo in columbam verſa fuiſſe ferebatur. Inferius autem eodem opuſculo tradit, columbam ipſis omnium avium ſanctiſſimam viſam fuiſſe; a qua iccirco vel tangenda abſtinerent, & quam ſi tetigiſſent inviti, eo die exſecrabiles haberentur. Propterea columbæ cum ipſis veſcebantur, & ad domos ipſorum ventitabant, & plerumque in terra paſcebantur. Nihil autem de columbarum colore addit Lucianus. apparet iccirco, omnes promiſcue columbas ab iis populis cultas fuiſſe, non tantummodo albas. Quapropter exiſtimo *τὸ alba* apud Tibullum hoc loco epithetum eſſe perpetuum: quamvis enim & variæ, & rutilæ columbæ inveniantur, albæ tamen ſunt frequentiores, ac magis diligi ſolent. Morem Syrorum ſecutus videtur dulciſſimus Anacreon, cujus deliciæ columba Ode 9. portat litteras amatorias ad Bathyllum. Sicuti autem dixit Noſter *Syro Palæſtino*, ita Ovidius 1. Artis Amat. v. 76. *Syro Judæo*. quod minus late patet; nam in Palæſtina, præter Judæos aliæ quoque gentes habitabant, quarum erant mores a moribus Judæorum diverſi.

Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis;
  Cultaque Judæo ſeptima ſacra Syro.

v. 19. *Utque maris vaſtum proſpectet turribus æquor*] Virgilius lib. 2. Æneidos v. 780.

Longa tibi exſilia, & vaſtum maris æquor arandum.

Domos Tyriorum præcelſas Tibullus turres vocat; ut egregie animadvertit Broukhuſius.

v. 20.

Qualis &, arentes quum findit Sirius agros,
Fertilis æſtiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam poſſim te dicere cauſſa,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?

Te

v. 20. *Prima ratem ventis credere docta Tyros*] Tyrii, gens Phœnicia, mercaturæ dediti navigationem quoque coluerunt, ut & Carthaginienſes, Tyriorum colonia. Rufus Feſtus Avienus Deſcript. Orbis Terræ v. 1072.

Salſo quidquid pulſatur ab æſtu,
Phœnicum regio eſt. Hi rubro a gurgite quondam
Mutavere domus; primique per æquora vecti
Luſtravere ſalum: primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia; ſidera primi
Servavere poli.

Servabant vero Tyrii minorem Urſam, ſeu Cynoſuram, ἀσειςομὲν polo arctico proximum, & numquam occidentem, quemadmodum Græci Helicen, ſeu majorem Urſam; eaque potiſſimum duce itinera ſua maritima dirigebant. Valer. Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 17.

neque enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris.

Ovidius lib. 3. Faſt. v. 107.

Eſſe duas Arctos; quarum Cynoſura petatur
Sidoniis, Helicen Graja carina notet.

Idem lib. 4. Triſtium Eleg. 3.

Magna minorque feræ; quarum regit altera Grajas,
Altera Sidonias, utraque ſicca, rates.

Siccam vocat Naſo Urſam utramque, quod ſemper appareant, & numquam Oceano mergi videantur. Ceterum, qui primus mortalium navigandi artem vulgaverit, non convenit inter auctores. Lege Plinium lib. 7. N. H. cap. 56.

ibid. *ratem ventis credere*] Antiquum Epigramma Q. Ciceroni tributum:

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis;
Namque eſt feminea tutior unda fide.

v. 21. *arentes quum findit Sirius agros*] Hoc animadverſum Claudiano Eidyllio 4. v. 33.

Quoque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venaſque calore
Compeſcit, radiiſque potentibus æſtuat axis;
Nilo bruma venis contraria tempora mundo,
Defectis ſolitum referens cultoribus æquor.

v. 22. *æſtiva aqua*] Contra, *hibernas aquas* dixit Ovidius Faſt. lib. 2. v. 205.

Ut celeri paſſu Cremeram tetigere rapacem;
(Turgidus hibernis ille fluebat aquis.)

Et Lucanus lib. 4. Pharſaliæ v. 14.

Heſperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hibernas paſſurus aquas.

ibid. *abundet*] Ita L. Seneca lib. 4. Nat. Quæſt. cap. 1. *Quæram enim tecum id quod libro ſuperiore diſtuli: quid ita Nilus æſtivis menſibus abundet.* Hoc Suetonio in Auguſto cap. 18. dicitur *exæſtuare*. Plinius quoque Cæcilius Paneg. Trajani cap. 30. *Fruſtra tunc Ægyptus nubila optavit, cælumque reſpexit, quum ipſe fecunditatis parens* (Nilus) *contractior & exilior iiſdem ubertatem ejus anni anguſtiis, quibus abundantiam ſuam, cohibuiſſet.* De majore aut minore Nili incremento atque exundatione legendus alter Plinius Hiſt. Nat. lib. 5. cap. 9. & Hieronymi Fracaſtorii, viri doctiſſimi, Epiſtolæ Italicæ ad Jo. Baptiſtam Rhamnuſium, quæ mea cura & fratris mei *Cajetani* rurſus in lucem prodierunt A. C. 1739. Hoc verbum de fluminibus univerſis uſurpatur. Virgilius 1. Georg. v. 115.

Præſertim incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit, & obducto late tenet omnia limo.

Livius lib. 30. cap 38. *Ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares, Circo inundato, extra portam Collinam parati ſint.* Hinc Plautus μεταφορικῶς Sticho a. 1. 6.

Ripiſque ſuperat mihi atque abundat pectus lætitia meum.

v. 23. *Nile pater*] Commune fluviis omnibus *patris* nomen: quod Nilus tamen peculiares ob cauſſas proprium ſibi fecit. Eſt enim Ægypto *fecunditatis parens*, ut ait Plinius modo memoratus in Panegyr. Scatet præterea piſcibus, hippopotamos crocq-

 di-

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.

Te

diloſque vaſtas belluas gignit: credebatur etiam glæbis inſundere animas, & ex ipſis quædam animalium rudimenta inchoare. Videndus Pomponius Mela lib. 1. Geographiæ cap. 9. Hanc fabulam Ovidius non prætermiſit lib. 1. Metamorph. v. 422.

Sic ubi deſeruit madidos ſeptemfluus agros
Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alveo,
Ætherioque recens exarſit ſidere limus;
Plurima cultores verſis animalia glæbis
Inveniunt, & in his quædam modo cœpta ſub ipſum
Naſcendi ſpatium; quædam imperfecta, ſuiſque
Trunca vident numeris: & eodem in corpore ſæpe
Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

v. 24. *Aut quibus in terris occuluiſſe caput?*] De occultis Nili fontibus apud veteres omnia vulgata. Ovidius lib. 2. Metam. v. 254. ubi de incendio Phaëtontis:

Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet.

Vide tamen Plinium H. N. lib. 5. cap. 9. ubi varias auctorum opiniones refert de Nili capite atque origine.

v. 25. *Te propter, nullos tellus tua poſtulat imbres*] Plinius Cæcilius Panegyr. cap. 30. *Ægyptus*, inquit, *alendis augendiſque ſeminibus ita gloriata eſt, ut nihil imbribus cæloque deberet; ſiquidem proprio ſemper amne perfuſa*. Iſocrates vero in Buſiridis Laudatione ita de Ægyptiis: τῶν γὰρ ὄμβρων καὶ τῶν αὐχμῶν, ὧν τοῖς μὲν ἄλλοις ὁ Ζεὺς ταμίας ἐστὶν, ἐκείνων δ' ἕκαστος ἀμφοτέρων τούτων αὐτὸς αὑτῷ κύριος καθέστηκεν. h. e. *Imbrium enim & ſiccitatum, quorum aliis Juppiter promus condus eſt, horum utrorumque poteſtatem quivis per ſe habet*. Ut hic locus Iſocratis melius intelligi poſſit, ſciendum eſt, Nilum exundare incipere frugibus jam collectis, occupare autem campos a ſolſtitio æſtivo uſque ad æquinoctium autumnale. Non tamen ea Nili exundatio ſatis eſt Ægyptiis ad novam ſementem faciendam: ſed neceſſe eſt ipſis magno labore agros & hortos per artem identidem irrigare. Propterea foſſæ ubique ductæ fuerunt, quibus per omnes Ægypti regiones aqua Nili derivaretur; teſtibus Herodoto in Euterpe, Diodoro Siculo Bibliothecæ lib. 1. Plinio lib. 5. N. H. cap. 9. & lib. 18. cap. 18. Has etiam aquas aggeribus & cataractis ſuſtinebant; ne nimis propere defluerent. Porro *foſſas in quas Nilus exæſtuat, longa vetuſtate oblimatas, Auguſtus Cæſar militari opere deterſit*; uti narrat Suetonius in Auguſto cap. 18. Ex his foſſis aquam hauriebant ad agros jam conſitos non ſemel irrigandos: immo cochleis, & aliis machinis ab Archimede Syracuſio inventis, eam ad altiora etiam loca & remotiora, quo flumen abundans pervenire non poterat, miro artificio attollebant. Propterea dixit Iſocrates, Ægyptiorum unumquemque habuiſſe poteſtatem imbrium & ſiccitatum.

v. 26. *Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi*] Ὑετίου Διὸς ἄγαλμα, *Jovis Pluvii ſimulacrum* fuiſſe in luco Trophonii apud Lebadeam Bœotiæ urbem, tradit Pauſanias in Bœoticis cap. 39. Ἔστι δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν ἐπίκλησιν Εὐρώπης· καὶ Ζεὺς Ὑέτιος ἐν ὑπαίθρῳ, *Eſt ibidem Cereris, cognomento Europæ, ſacellum, & ſub dio Juppiter Pluvius*. Idem ſimulacrum poetica elegantia expreſſum viſitur adhuc Romæ in columna M. Antonini, cujus columnæ hiſtorias graphice deſcripſit, tabulis æneis incidit, ac typis edidit Petrus Sanctes Bartoli. Senex in ea fingitur Juppiter, promiſſa barba & capillo, brachiis expanſis, unde imbres copioſi decidunt. Terræ autem Jovi Pluvio ſupplicantis vetuſtiſſimum ſignum fuit olim Athenis, teſte Pauſania in Atticis cap. 24. Ἔστι δὲ καὶ Γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαί οἱ τὸν Δία· εἴτε αὐτοῖς ὄμβρου δεῆσαν Ἀθηναίοις, εἴτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι συμβὰς αὐχμός. *Eſt etiam Terræ, a Jove imbres implorantis, ſimulacrum, vel quod Athenienſes aliquando pluvias deſideraverint, vel quod tota Græcia ſoli ſiccitate laboraverit*. Terram ſitientem, & pluvias a vero Deo petentem inducit D. Auguſtinus Enarratione in Pſalmum 66. num. 10. *Sitiat ergo terra, & edat voces ſitis ſuæ:*

quo-

quoniam ſcriptum eſt , Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi . Dicat ergo terra noſtra , nos ipſi , pluviam Dei deſiderans , Deus miſereatur noſtri , & benedicat nos . Ita veteres ethnicos pluviam popoſciſſe a Jove, teſtatur M. Antoninus Imperator lib. 5. τῶν εἰς ἑαυτὸν num. 7. Εὐχὴ Ἀθηναίων, ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων: *Athenienſium votum erat , Plue , plue , care Juppiter , ſuper Athenienſium arva & prata* . Romanæ pariter mulieres, uti nos docet Fragmentum Petronii Traguriaoum , *ſtolatæ ibant nudis pedibus in clivum* (ſcilicet Capitolinum) *paſſis capillis , mentibus puris , & Jovem aquam exorabant ; itaque ſtatim urceatim pluebat* . Variæ porro tempeſtates varia Jovi cognomina indiderunt . Ariſtoteles (ſeu quiſquis eſt auctor) libri de Mundo cap. ult. Ζεὺς ἀστραπαῖος τε, καὶ βρονταῖος, καὶ αἴθριος, καὶ αἰθέριος, κεραύνιός τε, καὶ ὑέτιος, ἀπὸ τῶν ὑετῶν, καὶ κεραυνῶν, καὶ τῶν ἄλλων καλεῖται. h. e. *Juppiter & Fulgurator , & Tonans , & Serenus , & Ætherius , & Fulminator , & Pluvius , ab imbribus , & fulminibus , & aliis vocatur* . Lucianus quoque Dialogo Jovis & Ganymedis : Εἰπέ μοι, Διὸς δὲ οὐκ ἤκουσας ὄνομα, οὐδὲ βωμὸν εἶδες ἐν τῷ Γαργάρῳ τοῦ ὕοντος, καὶ βροντῶντος, καὶ ἀστραπὰς ποιοῦντος; *Dic mihi , nonne Jovis nomen audiviſti , aut aram vidiſti in Gargaro , pluentis , tonantis , & fulgurantis ?* Ὑετίου Διὸς meminit Julius Pollux Onomaſtici lib. 1. cap. 1. ſegm. 23. quem etiam καταιβάτην dictum fuiſſe tradit , quaſi *e cælo deſcendentem* . Ad quod Jovis cognomen reſpexit Virgilius Ecloga 7. v. 57.

Aret ager : vitio moriens ſitit aëris herba :
Liber pampineas invidit collibus umbras .
Phyllidis adventu noſtræ nemus omne virebit :
Juppiter & læto deſcendet plurimus imbri .

Et lib. 2. Georg. v. 325.

Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit , & omnes
Magnus alit , magno commixtus corpore , fœtus .

Huc ſpectat Homerica locutio Iliados lib. 5. v. 91. Ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος . *quando ingruerit Jovis imber* . Homerum ſecuti Theocritus & Horatius . ille Idyllio 17. v. 78.

Λήϊα ἀλδήσκουσιν ὀφελλόμενοι Διὸς ὄμβρῳ .

Segetes augens amplificatas Jovis imbribus .

Hic Epodo 13. *imbres Niveſque deducunt Jovem* . Neque prætermittendus Ariſtophanes in Nebulis v. 366.

ΣΩ. Ποῖος Ζεύς ; οὐ μὴ ληρήσεις , οὐκ ἔστι Ζεύς . ΣΤ. τί λέγεις σύ ;
Ἀλλὰ τίς ὕει ;
SO. *Quinam Juppiter ? oh , ne nugeris , non eſt Juppiter ullus .*
ST. *Quid ais ? quis pluit ergo ?*

& v. 1281.

Κατειπέ νυν,
Πότερα νομίζεις καινὸν ἀεὶ τὸν Δία
Ὕειν ὕδωρ ἑκάστοτ', ἢ τὸν Ἥλιον
Ἕλκειν κάτωθεν ταὐτὸ τοῦθ' ὕδωρ πάλιν ;
Age dic mihi , cenſen' tu Jovem ſubinde aquam
Recentem per pluviam demittere : an jubar Solis
Surſum ex imo loco attrahere hanc aquam ?

Neque Plato in Critia : Καὶ δὴ τὸ κατ' ἐνιαυτὸν ὕδωρ ἐκαρποῦτο ἐκ Διός . *Præterea* (hæc regio) *quotannis frugiferam pluviam ex Jove hauriebat* . Vide eumdem in calce ejus Dialogi , item Ariſtotelem lib. 2. τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως cap. 8. Hanc Græcorum & Romanorum locutionem ex profana ſacram fecit D. Auguſtinus Sermone 213. num. 3. *Cum magno gaudio ſeminatori & compluvtori veſtro multiplicatam centeni reddetis ubertatem* . Fuit contra Ζεὺς αἴθριος . Theocritus Idyllio 4. v. 43.

Χ' ὁ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος , ἄλλοκα δ' ὕει .
Etiam Juppiter interdum ſerenus eſt , interdum pluit .

Colebatur hic a Romanis *Sereni* nomine . JOVI SERENO legitur in Lapide apud Gruterum pag. LXXVII. 6. & MIX. 9. Martialis Epigr. 6. lib. 6.

Noſti tempora tu Jovis Sereni .

Adulatur poeta Hiſpanus Domitiano , ut ſolet . Immo cælum ſudum ac ſine nubibus ἁπλῶς Jovem cognominabant . Ennius Thyeſte apud Cicer. lib. 2. de Nat. Deor.

Aſpice hoc ſublime candens , quem invocant omnes Jovem .

Ceterum haud in ſolo Nilo fiduciam ponebant ſuam Ægyptii , ſed etiam in aqua cæleſti . Id vel ex Ovidio colligi poteſt lib. 1. Artis Amat. v. 647.

Dicitur Ægyptos caruiſſe juvantibus arva
Imbribus , atque annos ſicca fuiſſe novem .

Quum

Digitized by Google

Te canit, atque ſuum pubes miratur Oſirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.

Pri-

Quum Thraſius Buſirin adit, monſtratque piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Jovem.
Illi Buſiris, Fiet Jovis hoſtia primus,
Inquit: & Ægypto tu dabis hoſpes aquam.

Et ex Martiale Epigr. 36. lib. 9.

Scis quoties Phario madeat Jove fuſca Syene:
Scis quota de Libyco litore puppis eat.

v. 26. *ſupplicat herba Jovi*] Simile quodammodo eſt illud elegantiſſimum Franciſci Petrarchæ (*nel Sonetto* 159.)

L' erbetta verde, e i fior di color mille
Sparſi ſotto quell' elce antiqua e negra
Pregan pur che 'l bel pie gli prema, o tocchi.

v. 27. *Te canit*] Propertius l. 2. Eleg. 1.

Aut canerem Ægyptum, & Nilum, quum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.

Sed ibi *Nilum canere* Propertio eſt canere victoriam Auguſti Cæſaris de Nilo atque Ægypto, non laudes Nili celebrare, ut hic apud Tibullum.

ibid. *ſuum pubes miratur Oſirim Barbara*] De Oſiride Lactantius lib. 1. D. I. cap. 21. *Iſidis Ægyptia ſacra ſunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primo ſacerdotes ejus, deglabrato corpore, ſua pectora tundunt, lamentantur, ſicut ipſa, quum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quaſi inventus, & in lætitiam luctus ille mutatur. ideo Lucanus:*

— — numquamque ſatis quæſitus Oſiris.

Semper enim perdunt, & ſemper inveniunt. Et paullo poſt: *Hic eſt Oſiris quem Serapim vel Serapidem vulgus appellat. Solent enim mortuis conſecratis nomina immutari; credo, ne quis putet eos homines fuiſſe. Nam & Romulus poſt mortem Quirinus factus eſt; & Leda Nemeſis; & Circe Marica; & Ino, poſtquam ſe præcipitavit, Leucothea, materque Matuta; & Melicertes filius ejus, Palæmon, atque Portunnus.* Juvenalis Sat. 8. v. 29.

Exclamare libet populus quod clamat Oſiri Invento.

nempe εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, ut tradit Vetus Scholiaſtes poetæ Aquinatis.

v. 28. *Memphitem plangere docta bovem*] Ridiculam de Api ſuperſtitionem Ægyptiorum deſcribunt Plinius lib. 8. cap. 46. & Julius Solinus Polyhiſtoris cap. 45. quem jure optimo umbram & ſimiam Plinii dicere poſſis; adeo ejus verba ſublegere curat, uti conferendis utriuſque locis facile dignoſci poteſt. Notas ejus bovis proprias recenſet Herodotus in Thalia. Ὁ δὲ Ἆπις, inquit, γίνεται μόσχος ἐκ βοὸς, ἥ τις οὐκέτι γίνεται ἐς γαστέρα ἄλλον βάλλεσθαι γόνον. Αἰγύπτιοι δὲ λέγουσι σέλας ἐπὶ τὴν βοῦν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατίσχειν, καί μιν ἐκ τούτου τίκτειν τὸν Ἆπιν. Ἔχει δὲ ὁ μόσχος οὗτος ὁ Ἆπις καλεόμενος σημήια τοιάδε: ἐὼν μέλας, ἐπὶ μὲν τῷ μετώπῳ λευκὸν τετράγωνον φορέει· ἐπὶ δὲ τοῦ νώτου αἰετὸν εἰκασμένον· ἐν δὲ τῇ οὐρῇ τὰς τρίχας διπλᾶς, ἐπὶ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον. h. e. *Eſt autem Apis vitulus e vacca genitus quæ nullum alium poteſt fœtum concipere. Ægyptii ajunt, fulgure ictam concipere ex eo Apin. Habet autem hic vitulus Apis dictus hæc ſigna: niger eſt, in fronte habens candorem figuræ quadratæ: in tergo effigiem aquilæ, duplices in cauda pilos, ſcarabæum in lingua.* Heliopolis, alia Ægypti præfectura, alium bovem colebat, qui Mnevis vocabatur, nigro pariter colore, & δευτέρας εἶχε τιμὰς μετὰ τὸν Ἆπιν, *ſecundas poſt Apin ferebat*, Strabone teſte lib. 17. Singulare eſt quod narrat Probus in Comment. ad v. 19. lib. 1. Georg. Virgilii, ſcilicet *araſſe primum Oſirim duobus bubus: quorum nomina nunc ſunt ſacra ſub eis qui religionis cauſſa eodem vocabulo appellari videntur, Apis & Memphis. quorum alterum Memphitæ colunt Apim: alterum Hieropolitæ Memphim.* Locum Probi corruptum eſſe, monuit elegantiſſimus Broukhuſius, & pro *Apis & Memphis*, legendum eſſe *Apis & Mnevis*. Addo ego, pro *Hieropolitæ*, legi oportere *Heliopolitæ*. De Api M. Tullius lib. 1. de Nat. Deor. *Quid igitur cenſes? Apim illum, ſanctum Ægyptiorum bovem, nonne deum videri Ægyptiis?* Plangebant autem hunc bovem, ſcilicet planctu eum quærebant, quum in ſacerdotum fonte merſus occiderat; non li-

cebat

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos.

Bac-

cebat enim eum certos vitæ excedere annos; & luctum continuabant donec alium priori ſimillimum inveniſſent. Quamobrem ſuſpicor, Memphim ipſam Ægyptiam urbem, Græco nomine ſic dictam fuiſſe *ἀπὸ τῦ μέμφεσθαι, a conquerendo*. Videndi prætera de hoc bove Diodorus Siculus lib. 1. Plutarchus in libello de Iſide & Oſiride, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, D. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 18. cap. 5. Ælianus *περὶ ζώων* lib. 11. cap. 10. Lucianus in Concilio Deorum, & de Sacrificiis, D. Hieronymus ad caput 4. Oſeæ. Jucundum eſt quod traditur a Philoſtrato lib. 3. de Vita Apollonii cap. 3. fuiſſe apud Indos mulierem a capite uſque ad mammas nigram, a mammis vero ad pedes uſque albam totam, quæ varii coloris ſemina Indicæ Veneri ſacra eſſet, illique naſceretur, ſicut Apis apud Ægyptios.

v. 29. *Primus a. m. ſ. f. Oſiris*] Res geſtas ab Oſiride, ac beneficia quæ in univerſum genus humanum, ſed præcipue in terram Ægyptum, deus ille contulerit, enumerat diligenter Diodorus Siculus l. 1. Bibliothecæ. Hunc autem Oſirim plerique cum Baccho confundunt.

v. 30. *Et teneram ferro ſollicitavit humum*] Intactæ antea telluris adunco vomere glæbas movit. Nam *ſollicitare* eſt loco movere. Virgilius lib. 2. Georg. v. 418.

Sollicitanda tamen tellus, pulviſque movendus.

Cur autem *humum teneram*? fortaſſe quod terram pinguem, minime ſaxoſam, & aratro cedentem requirant fruges: aut, quod verius exiſtimo, poeta ſignificare voluit orbem adhuc recentem, elementis paullo ante creatis; ut Oſiris deus antiquiſſimus fuerit. Nam Ægyptii plurimas annorum *μυριάδας* ab ortu rerum dinumerabant. *Tenerum orbem* appellavit Virgilius Ecloga 6. v. 33.

ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

v. 31. *commiſit ſemina terræ*] Virgilius lib. 1. Georgic. v. 221.

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſiaque ardentis decedat ſtella Coronæ,
Debita quam ſulcis committas ſemina, quamque
Invitæ properes anni ſpem credere terræ.

v. 32. *Pomaque non notis legit ab arboribus*] Neglectarum arborum oſtendit utilitatem, & ex ignotis fecit notas.

v. 34. *viridem dura cædere falce comam*] Inutiles ramos ferrea falce amputare, ſupervacua ſarmenta abſcindere, luxuriam foliorum ſeu pampinorum compeſcere.

v. 37. *Ille liquor docuit voces inflectere cantu*] Propterea Horatius Ode 19. lib. 2.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem.

Hac imagine ſignificat, vinum originem fuiſſe muſicæ ac poeſeos.

v. 38. *Movit & ad certos neſcia membra modos*] Ariſtides Quintilianus, editus a Marco Meibomio, definit Muſicen: *γνῶσιν τῦ πρέποντος ἐν σώμασι καὶ κινήσεσιν. notitiam decori in corporibus & motibus*. Eleganter Anacreon Ode 27.

Τῷ

Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſoluenda dedit.
Bacchus & adflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulſa ſonent.

Non

Τῦ Διὸς ὁ παῖς ὁ Βάκχος,
Ὁ λυσίφρων Λυαῖος,
Ὅταν φρένας γ' ἐς ἀμὰς
Ἐσέλθῃ με θυδώτας,
Διδάσκει με χορεύειν.
Jovis puer ille, Bacchus,
Animorum ille laxator, Lyæus,
Quando in præcordia mea
Intravit vini dator.
Docet me ſaltare.

Et apertius Ode 41.

Ἱλαροὶ πίωμεν οἶνον,
Ἀναμέλψομεν δὲ Βάκχον,
Τὸν ἐφευρέτην χορείης.
Hilares bibamus vinum,
Et concelebremus Bacchum,
Repertorem choreæ.

Eriphus vero Comicus:

Λόγος γάρ ἐστ' ἀρχαῖος, οὐ κακῶς ἔχων.
Οἶνον λέγουσι τοὺς γέροντας, ὦ πάτερ,
Πείθειν χορεύειν οὐ θέλοντας.
Sermo enim vetus eſt, haud male habens.
Vinum ferunt ſenibus, o pater,
Perſuadere ut ſaltent vel inviti.

Vide & Theocritum Idyllio 7. v. 152. & Homerum Odyſſeæ lib. 14. v. 463. ad quem ita Euſtathius: Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ πρῶτον οἱ παλαιοὶ, ὡς ἱστορεῖ Παυσανίας, τιμῶντες τὴν εὕρεσιν τοῦ οἴνου, ᾄδειν ἐφεῦρον, καὶ τοὺς ἑαυτῶν κωμήτας κακολογεῖν. h. e. *Sciendum vero, veteres primo, ut Pauſanias refert, magni facientes inventionem vini, inveniſſe etiam cantum, & morem ejuſdem pagi incolis conviciandi.*

v. 39. *magno confecta labore Pectora*] Hoc eſt, fracta & contuſa ruſtico opere, quod graviſſimum & duriſſimum. Ita Catullus Carm. 64. dixit *confectum dolore*. Bacchus hic ſumitur pro vino.

v. 40. *triſtitiæ diſſoluenda dedit*] Pro, *triſtitia diſſolvit*. caſus patrius pro ablativo, ἑλληνικῶς. *Diſſoluenda dedit*, ſic dictum videri poſſit quomodo apud Salluſtium Jugurth. cap. 6. *Non ſe luxu, neque inertia corrumpendum dedit*. Sed ut ſimillimum foret, in Tibullo legi deberet *lætitia*: nam lætitia diſſolvit, triſtitia conſtringit. Plautus etiam Ciſtellaria Act. 3. v. 16.

Hanc ut habeo, certum eſt non amittere.
Nam hercle jam ad me agglutinandam totam decretum eſt dare.

pro, *decretum eſt agglutinare ad me*. Quod vero ad ſententiam pertinet, Bacchus dicitur ὁ λυσίφρων, *mentem ſolvens*, & *mentis curas*. L. Seneca in libro de Tranquillitate Animi, prope finem: *Nonnumquam & uſque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, ſed ut deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum movet: & ut morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur: Liberque non ob licentiam linguæ dictus eſt inventor vini, ſed quia liberat ſervitio curarum animum, & aſſerit, vegetque, & audaciorem in omnes conatus facit. Sed ut libertatis, ita vini ſalubris moderatio eſt.*

v. 42. *Crura licet dura compede pulſa ſonent*] Nam etiam ultimæ ſortis mancipia, quæ in ergaſtulo, ſeu carcere ruſtico vincta detinentur, & opus faciunt in agris, craſſas & graves compedes trahentia, ne fugere poſſint; largiore vini potu hilarantur, & miſeriarum ſuarum tantiſper oblivionem capiunt. Broukhuſius nodum hic in ſcirpo quæſivit, legens

Crura licet dura cuſpide inulta ſonent.

quæ lectio & obſcura, & coacta, & a Tibulli ſtilo plane aliena. Ovidius loci hujus interpres optimus lib. 4. Triſt. Eleg. 1.

Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero quum grave mollit opus.

Et rurſus lib. 1. Pontic. Epiſt. 6. de Spe:

Hæc facit ut vivat vinctus quoque compede foſſor,
Liberaque a ferro crura futura putet.

Iccirco domini ſervis urbanis nequam minabantur ergaſtulum, & opus ruſticum, tamquam ſupplicium graviſſimum. *Accedes opera agro nona Sabino*, ait Horatius Davo

in

Non tibi ſunt triſtes curæ, nec vultus, Oſiri:
  Sed chorus, & cantus, & levis aptus Amor.
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
  Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes:
Et Tyriæ veſtes, & dulcis tibia cantu,
  Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.
Huc ades, & centum ludis, Geniumque choreis
  Concelebra, & multo tempora funde mero.

Illius

in calce Satyræ 7. lib. 2. Ceterum *pulſa* dicit noſter pro *pulſata*; nam inter ambulandum tractæ catenæ crura mancipiorum lædebant impulſu, & ſimul ſonabant, hoc eſt ſtrepitum edebant.

v. 43. *Non tibi ſunt t. curæ, nec vultus, Oſiri*] Hæc eſt lectio antiqui Sfortiani codicis, quam Statius, & Broukhuſius merito probaverunt. Editiones præferunt, *nec luctus, Oſiri*. *Vultus*, nempe facies triſtis & ſevera, opponitur hilaritati. Ovidius l. 6. Metamorph. v. 34.

Aſpicit hanc torvis, inceptaque fila relinquit;
Vixque manum retinens, confeſſaque vultibus iram,
Talibus obſcuram reſecuta eſt Pallada dictis.

Tibulli ſententiam exprimit Strato quidam vetus poeta in Epigrammate ἀνεκδότῳ apud *Joſephum Torellium* Veronenſem, doctum juvenem:

Ἀλλ' ἱλαραῖς χαρίτεσσι μεμιγμένον ἡδὺν ἔρωτα
Καὶ Βρόμιον· τούτοις δ' ὀφρύες οὐκ ἔπρεπον.

Sed hilaribus Gratiis mixtum ſuavem Amorem,
Et Bromium. hos autem ſupercilia non decebant.

v. 44. *& levis a. Amor*] Vel quod alas habet, ac vix conſiſtere poteſt, vel quod leves & inconſtantes facit. Propertius lib. 2. Eleg. 12. ubi de Amoris imagine:

Is primum vidit ſine ſenſu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.

v. 45. *frons redimita corymbis*] Baccis nimirum hederæ, qua Liber pater coronabatur; quem propterea *corymbiferum* vocat Ovidius lib. 1. Faſt. v. 393.

v. 46. *Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes*] Quoniam puellari cultu Bacchus gaudebat. Palla fuit veſtis muliebris exterior. Φαιδρὰ ἐσθὴς μέχρι τῶν ποδῶν ἄκρων καθειμένη, *Splendida veſtis ad pedes uſque delicate demiſſa*, memoratur a Luciano in Amoribus: ποδήρης χιτὼν, *tunica ad talos porrecta*, ab Ariſtæneto Epiſt. 15. lib. 1. Luteus autem, ſive croceus veſtium color diis hominibuſque voluptariis in uſu erat. Catullus Carm. 67. v. 133.

Quam circum curſans hinc illinc ſæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.

v. 47. *Et Tyriæ veſtes*] Nam & purpura Bacchus utebatur. Vide Naſonem lib. 3. Metam. v. 553.

ibid. *& dulcis tibia cantu*] Non humanæ tantum voci, ſed etiam organis muſicis cantum tribuunt ſcriptores Latini. Quapropter & *fidicines* dicti fuerunt citharoedi (qui tamen alternis citharæ chordas pulſabant, & canebant voce) ac *tibicines*, qui tibias inflarent. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 414.

Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magiſtrum.

v. 48. *Et levis occultis conſcia ciſta ſacris*] In ſacris Liberi patris occulta quædam & myſtica, tum frivola & pudenda circumferri ſolebant, maximam partem ciſtis incluſa; unde mulieres ciſtophoræ, ſeu κανηφόροι. Vide quæ diximus ad Catulli Carmen 63. v. 259.

v. 49. *Geniumque choreis*] Pro *choreiſque Genium*. quod ὑπερβατὸν Tibullo non eſſe novum Broukhuſius animadvertit. Genius

O dici-

Illius e nitido ſtillent unguenta capillo;
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

Sic

dicitur ab Horatio Epiſt. 2. lib. 2. v. 188.

Naturæ deus humanæ, mortalis in unumquodque caput, vultu mutabilis, albus & ater.

Genii tot credebantur eſſe quot homines naſcerentur.

v. 50. *& multo tempora funde mero*] Non, ut puto, quod caput vino ſpargerent, quemadmodum unguento, ſed quod nimio vini meracioris potu caput gravatur, & mens animi nubila fit. *tempora* vero, *οἱ κρόταφοι*, pars capitis, pro toto capite uſurpantur. Ovidius in Remediis Amoris v. 145.

Languor, & immodici nullo ſub vindice ſomni,
Aleaque, & multo tempora quaſſa mero,
Eripiunt omnes animis ſine vulnere nervos.

Noſter ſuperius Elegia 2. v. 3.

Neu quiſquam multo perfuſum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requieſcit amor.

Tempora funde mero, eſt ὑπαλλαγή, pro *merum funde temporibus*, illi Ciceronianæ ſimilis Philippica 2. *natabant pavimenta vino*: vel *funde*, pro *perfunde*, verbum ſimplex pro compoſito.

v. 51. *Illius e nitido ſtillent unguenta capillo*] Amomo præcipue deos amorum præſides comam unxiſſe, pulchre oſtendit Broukhuſius. Cuicumque autem caput unctius fuiſſet, huic oleum odoratum, ſive unguentum de capillo ſtillabat. Homerus Hymno in Veſtam:

Αἰεὶ σῶν πλοκάμων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον.
Semper ex tuis crinibus deſtillat liquidum oleum.

Philoſtratus de Vita Apollonii lib. 8. cap. 7. num. 7. *Καὶ αὐτοὺς μὲν εὐδαίμονας ἡγείσθω καὶ ζηλωτοὺς τῆς κόμης, καὶ τοῦ λειβομένου ἀπ' αὐτῆς μύρου.* h. e. *Atque illos coma quidem ſua beatos & invidioſos per me judicet, ſtillanteque ab ea unguento.* Fragmentum Petronii Traguriànum: *Ornatus aliquot coronis, & unguento per frontem in oculos ſtillante.*

v. 52. *Et capite & collo mollia ſerta gerat*] Luxuria veterum hæc fuit non ſolum caput ſertis redimire, dum genio indulgerent, ſed etiam collo corollam circumponere. V. Horat. Sat. 3. l. 2. Volcatius Gallicanus in Avidio Caſſio, ubi affert reſponſionem præfecti ad Marcum Imperatorem: *Ille ſane omnes excaldationes, omnes flores de capite, collo, & ſinu militi excutiet.* Fuere tamen coronæ donaticæ & militares præmium virtutis, quæ non capite, ſed collo in torquis modum geſtari ſolebant; & ad id genus coronarum pertinebant quæ Longæ dicebantur. Vide Cicer. Act. 1. in Verrem, & Jacobum Gutherium De Jure Manium lib. 1. cap. 21. Utebantur vero coronis floreis etiam veteres Chriſtiani, ſed eas etſi collo circumponerent, capite non gerebant. Id teſtatur Minucius Felix in Octavio: *Quis autem ille qui dubitat vernis indulgere nos floribus? quum capiamus & roſam veris & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris & odoris eſt? his enim & ſparſis utimur mollibus ac ſolutis, & ſertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capilliſve ſolemus haurire.* Ad eum locum vide Animadverſiones Elmenhorſtii, Tertullianum præterea de Corona Militis cap. 5. & D. Joannem Chryſoſtomum in Laudatione Diodori Tarſenſis, poſt Vitam ejuſdem Chryſoſtomi a Palladio ſcriptam, pag. 230. Nigrinus quoque Platonicus philoſophus, apud Lucianum, reprehendebat eos qui coronis delectarentur, quod caput inepte coronarent. Nam, ajebat, ſi violarum & roſarum odore capiuntur, oportebat *ὑπὸ τῇ ῥινὶ μάλιστα αὐτοὺς στέφεσθαι*, eos ſub naribus potiſſimum coronam collocare, proximam loco unde ſpiritus ducitur, ut majorem voluptatem perciperent. Ceterum Plinius N. H. lib. 16. cap. 4. tradit, ſolos deos olim coronis ornari ſolitos. Et lib. 21. cap. 2. *Coronæ*, inquit, *deorum honos erant, & Larium publicorum privatorumque.* M. Cato de R. R. cap. 143. *Kalendis, Idibus, Nonis feſtus dies quum erit, coronam in focum indat.* nempe in honorem Laris familiaris, quem in foco honorabant. Hujuſmodi vero coronæ fuerunt

runt

Digitized by Google

Sic venias hodierne. tibi dem turis honores,
  Liba & Mopſopio dulcia melle feram.
At tibi ſubcreſcat proles, quæ facta parentis
  Augeat, & circa ſtet venerata ſenem.

Nec

runt magnitudine non uſitata, quemadmodum poſtea Donaticæ, de quibus Feſtus: *Donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ poſtea magnificentiæ cauſſa inſtitutæ ſunt, ſuper morem aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt quum Lares coronantur.* Vide Jacobum Ouzelium ad Minucii Felicis Octavium.

v. 53. *Sic venias hodierne*] Pro, *ſic venias hodie*. Virgilius lib. 8. Æneid. v. 465.

Interea Æneas ſe matutinus agebat.

Pro, *mane*. Vocativum vero adhibuit Noſter loco recti. legitima enim σύνταξις fuiſſet, *Sic venias hodiernus*. Perſius pariter Sat. 3. v. 27.

Stemmate quod Tuſco ramum milleſime ducis.

ἀντὶ τοῦ milleſimus. Et auctor liberi carminis quod Tibullo aliqui tribuunt:

Soles ſacrum revincte pampino caput
Ruber ſedere cum rubente faſcino.

Revincte pro *revinctus*

ibid. *tibi dem turis honores*] Quo ſcilicet in ignem indito deos honorabant. Propertius lib. 4. Eleg. 6.

Coſtum molle date, & blandi mihi turis honores.

v. 54. *Liba & M. d. m. feram*] Libum epulæ ſolemnes quæ offerebantur Genio, & amicis etiam mittebantur. Ovidius lib. 4. Triſtium Eleg. ult. de natali ſuo & germani fratris:

Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
  Una celebrata eſt per duo liba dies.

Noſter libro 2. Eleg. 2.

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
  Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas.
Illius puro deſtillent tempora nardo:
  Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Et libro 4. Carm. 6. ad Junonem natalem:

Annue, purpureâque veni pellucida pallâ.
  Ter tibi fit libo, ter, dea caſta, mero.

De libo autem muneri miſſo ita Sulmonenſis poeta lib. 1. Artis Amat. v. 429.

Quid? quaſi natali quum poſcit munera libo;
  Et, quoties opus eſt, naſcitur ipſa ſibi?

Idem lib. 1. Amorum Eleg. 8.

Quum te deficient poſcendi munera cauſſæ,
  Natalem libo teſtificare tuum.

Ferre, verbum eſſe proprium ſacrificiorum, pluribus exemplis oſtendit Broukhuſius.

ibid. *Mopſopio dulcia melle*] Dulcia ob mel Atticum, quod laudatiſſimum erat, ipſis immixtum. Hymettus mons Athenis proximus apium mellificio nobilis. Dixit autem *Mopſopio melle*, quod Mopſopus fuerit antiquus rex Athenarum. Ovidius Epiſt. Hermiones v. 71.

Caſtori Amyclæo, & Amyclæo Polluci
  Reddita Mopſopia Tænaris urbe ſoror.

nempe Helena, rapta a Theſeo, qui Athenis regnavit. Idem lib. 5. Metam. v. 680.

conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit: curſuſque per aëra miſit
Mopſopium juvenem ſacros agitare jugales.

Triptolemum ſcilicet.

v. 55. *At tibi ſubcreſcat proles*] Convertit ſermonem ad Meſſalam. *ſubcreſcere*, eſt vel ſenſim atque ſenſim creſcere, vel in locum alterius creſcere. Cicero lib. 3. de Oratore: *Non enim ille mediocris orator veſtræ quaſi ſuccreſcit ætati, ſed & ingenio peracri, & ſtudio flagranti*. T. Livius lib. 10. Hiſt. *Se gloriæ ſeniorum ſuccreviſſe, & ad ſuam gloriam conſurgentes alios lætum aſpicere.*

ibid. *quæ facta parentis Augeat*] Quæ ſuis rebus geſtis res a patre geſtas quodammodo exaggeret, ac familiæ nobiliſſimæ ſplendorem amplificet.

v. 56. *circa ſtet venerata ſenem*] Multi codices præferunt *veneranda*; quod fuerit, *formæ dignitate præcellens*. Aſcanius apud Virgilium Æneid. 9. v. 275. ad Euryalum omnium pulcherrimum qui Troja capta ducem Æneam in Italiam ſecuti fuerant:

Te vero, mea quem ſpatiis propioribus ætas
  Inſequitur, venerande puer.

Poe-

Nec taceant monumenta viæ, quem Tuſcula tellus,
  Candida quem antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congeſta tuis hic glarea dura
  Sternitur: hic apta jungitur arte ſilex.
Te canet agricola, e magna quum venerit Urbe
  Serus, inoffenſum retuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
  Candidior ſemper, candidiorque veni.

Poeta idem in Culice v. 25.

Octavi venerande, meis allabere cœptis,
Sancte puer.

Vide & infra v. 36. Non diſſimili ratione *honeſtus* a Terentio Eunuch. 3. 2. 19. uſurpatur pro pulchro.

PAR. *Ubi tu es, Dore? accede huc. hem eunuchum tibi.*
Quam liberali facie, quam ætate integra!
TH. *Ita me dii ament, honeſtus eſt.*

Ad quem locum Donatus affert illud Maronis Æneid. 1. v. 591. *lætos oculis afflarat honores*. Profecto quæ honeſta ſunt, merentur venerationem.

v. 57. *Nec taceant monumenta viæ, quem Tuſcula tellus* &c.] Nec Tuſculani & Albani celebrare deſinant magnificum opus Meſſalæ, nempe ramos viæ Latinæ (ut cenſet Broukhuſius) quos vel novos, vel dirutos vetuſtate ipſe pecunia ſua ſtravit vir triumphalis, jubente Auguſto, magno advenientium ad urbem commodo.

v. 58. *Candida Alba*] *albæ ſuis omine nata*, ut ait Propertius lib. 4. Eleg. 1.

v. 59. *Hic glarea dura Sternitur*] Livius lib. 41. Hiſt. *Cenſores vias ſternendas ſilice in urbe, glarea extra urbem ſubſternendas, marginandaſque primi omnium locaverunt.*

v. 60. *Sternitur*] Iccirco Lucretius lib. 1. v. 316.

Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conſpicimus.

Ævo ſequiore Latinitatis dixerunt etiam *ſtrata*, hujus *ſtratæ*. D. Auguſtinus Enarrat. 3. in Pſalmum 22. *Eat ergo Eccleſia: ambulet: facta eſt via, ſtrata noſtra ab imperatore munita eſt*. Hinc Italorum ſermone vernaculo via dicitur *ſtrada*.

v. 61. *Te canet agricola*] Studia populi ſibi promerebantur qui publicas vias muniendas & reficiendas curabant. Cicero Epiſt. 1. lib. 1. ad Atticum: *Noſtris rationibus maxime conducere videtur, Thermum fieri cum Cæſare. nemo eſt enim ex iis qui nunc petunt, qui, ſi in noſtrum annum redierit, firmior candidatus fore videatur; propterea quod curator eſt viæ Flaminiæ, quæ tum erit abſoluta ſane facile.*

v. 64. *Candidior ſemper, candidiorque veni*] Martialis pariter Epigr. 1. lib. 4.

Cæſaris alma dies, & luce ſacratior illa,
  Conſcia Dictæum qua tulit Ida Jovem;
Longa, precor, Pylioque veni numeroſior ævo,
  Semper & hoc vultu, vel meliore nite.

ELE-

ELEGIA VIII.

Non ego celari poſſim, quid nutus amantis,
Quidve ferant miti lenia verba ſono.
Nec mihi ſunt ſortes, nec conſcia fibra deorum:
Præcinit eventus nec mihi cantus avis.

Ipſa

Argumentum Elegiæ VIII. Libri I.

De infelicibus Marathi amoribus; quem Pholoæ, ob formæ præſtantiam ſuperbæ, reconciliare ſtudet. Eſt autem Elegia pulcherrima, elegantiſſima, παθητικὴ, ſupra quam dici aut cogitari poteſt.

Versu I. *Non ego celari poſſim*] Fieri nullo modo poteſt quin cognoſcam & intelligam. ignotum & occultum mihi eſſe nequit. Cicero pro Cluentio: *Non eſt profecto de illo veneno celata mater*. Ovidius l. 3. Faſt. v. 491. *Præcipue cupiam celari Theſea*. Qui non ſolum amant, ſed in amore periti ſunt, amantium conſuetudinem & arcana omnia probe noverunt. Ita Callimachus Epigr. 45. φωρὸς δ' ἴχνια φὼρ ἔμαθον. *furis veſtigia ipſe fur didici cognoſcere*. Jamdudum, o Marathe, de te dixi: *Certe captus eſt, habet*. τεκμήρια enim obſervavi quæ non fallunt.

v. 2. *Quidve ferant m. l. v. ſ.*] Quid ſignificent, quid oſtendant, quid conjiciendum præbeant. Sic *lætitiam apertiſſime ferre*, apud Ciceronem.

ibid. *miti lenia verba ſono*] Lenes amantium ſuſurri, blanda verba in aurem dicta.

v. 3. *Nec mihi ſunt ſortes*] Conjector ſum atque divinus, occulta veſtigo & retego, futura prænuntio: nec tamen ſortilego alicui, neque haruſpici, neque auguri me umquam in diſciplinam dedi, ut vates tam bonus exſiſterem.

ibid. *nec conſcia fibra deorum*] Haruſpices, Etruſca doctrina imbuti, exta victimarum inſpiciebant, jecur præcipue, certiſque ſignis notatis, deorum conſilia in illis quærebant. Ovidius lib. 15. Metam. v. 136.

Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt: menteſque deûm ſcrutantur in illis.

v. 4. *Præcinit eventus nec mihi cantus avis*] Auguria enim capiebant non a volatu ſolum, ſed etiam a cantu avium, quas *oſcines* vocabant, quaſi ore canentes. Horatius Ode 27. lib. 3.

Oſcinem corvum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.

Cicero Epiſt. ad A. Cæcinam 6. lib. 6. in re longe graviſſima: *Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu ſiniſtro oſcinis, ut in noſtra diſciplina eſt, nec ex tripudiis ſoliſtimis, aut ſonivis tibi auguror: ſed habeo alia ſigna quæ obſervem, quæ etſi non ſunt certiora illis, minus tamen habent vel obſcuritatis, vel erroris*. Hunc locum Tullii videtur ante oculos habuiſſe Tibullus noſter quum hæc ſcriberet. Ovidius Artis Amat. lib. 1. v. 25.

Non ego, Phœbe, datas a te mihi mentior artes:
Nec nos aërię voce monemur avis.

Idem lib. 1. Faſt. v. 445. aves ipſas allocutus:

Sed nihil iſta juvant: quia linguæ crimen habetis,
Dique putant mentes vos aperire ſuas.
Nec tamen id falſum. nam diis ut proxima quæque,
Nunc penna veras, nunc datis ore notas.

Et lib. 1. Triſt. Eleg. 8.

Hæc mihi non ovium fibræ, tonitruſve ſiniſtri,
Linguave ſervatæ pennave dixit avis.

v. 5.

Ipſa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non ſine verberibus.
Deſine diſſimulare. deus crudelius urit
Quos videt invitos ſuccubuiſſe ſibi.
Quid tibi nunc molles prodeſt coluiſſe capillos?
Sæpeque mutatas diſpoſuiſſe comas?

Quid

v. 5. *Ipſa Venus m. r. b. n. Perdocuit*] Ipſi Veneri magiſtræ, non aliis, qualemcumque hanc in amore divinandi facultatem acceptam refero.

ibid. *magica religatum brachia nodo*] Suſpenſum, ut ſolebaot ſervi oequam, & nodo magico valide conſtrictum, qui ſcilicet ſolvi non poſſet; ut optime Broukhuſius. Magorum enim omnia vim maximam habere putabantur. τὰς καταδέσεις λεγομένας, *nexus magicos* memorat Plato lib. XI. de Legibus. Et alia fortaſſe ſignificatione Plautus Bacchid. I. 2. 28. verbis Lydi pædagogi Piſtoclerum adoleſceotem increpantis, qui meretricem deperibat: *O præligatum pectus*.

v. 6. *multis non ſine verberibus*] *Ut addiſcat patientiam*, ioquit Broukbuſius: *hoc eſt, ut faſtum ferat immitis dominæ*. Sed hæc longe abeunt a propoſito. Vera explicatio eſt; perdocuit me Venus artem conjiciendi ac divinandi, flagello etiam adhibito, tamquam plagoſus aliquis Orbilius. Ita pueri qui tardiore ingenio ſunt, in ludo litterario caſtigari & perdoceri ſolent. Dinarchus tamen adoleſcens amatoriam diſciplinam longiſſimam ac perceptu difficillimam eſſe profitetur apud Plautum Truculento I. I. I.

Non omnis ætas ad perdiſcendum ſat eſt
Amanti, dum id perdiſcat, quot pereat modit.
Neque eam rationem eapſe umquam edocet Venus,
Quam penes amantum ſumma ſummarum redit.

v. 7. *Deſine diſſimulare*] Quid igitur pergis me celare velle, o Marathe, amorem tuum, qui celari nullo modo poſſum? Taodem aperte profitere, te forma Pholoës captum detineri.

ibid. *deus crudelius urit* &c.] Deus ille noſter Amor, ὁ θεὸς, quem ipſi Jovi anteferre conſuevimus, gravius imperium exercet in diſſimulantes, diffitentes, obſiſtentes, quam in eos qui libeoter jugum accipiunt, & quos noo pudet ſervitii. Ovidius lib. I. Amor. Eleg. 2.

Acrius invitos, multoque ferocius urget,
Quam qui ſervitium ferre fatentur, Amor.

Hoc eſt potentium ingenium, *parcere* nimirum *ſubjectis, & debellare ſuperbos*, ut ait Maro de Romanis. Nec tantum heroibus, aut viris principibus hos ioeſſe mores videmus, verum etiam feris geoeroſioribus. Qnod Ariſtoteles coofirmat lib. 2. Rhetoric. cap. 3. Ὅτι δὲ πρὸς τοὺς ταπεινουμένους παύεται ἡ ὀργὴ, καὶ οἱ κύνες δηλοῦσιν, οὐ δάκνοντες τοὺς καθίζοντας. *Adverſus autem ſe ſubmittentes requieſcere iram, etiam canes manifeſtum faciunt, non mordentes eos qui proſtrati ſunt.* Plinius tamen ſolis leonibus id videtur tribuere: ſic enim lib. 8. H. N. cap. 16. *Leoni tantum ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit: & ubi ſævit, in viros potius quam in feminas fremit: in infantes non niſi magna fame.* Ceterum ſimili omnino ſententia Euripides Hippolyto v. 443. Tibullum aotevertit:

Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἢν πολλὴ ῥυῇ.
Ἣ τὸν μὲν εἴκονθ᾽, ἡσυχῇ μετέρχεται·
Ὃν δ᾽ ἂν περισσὸν, καὶ φρονοῦντ᾽ εὕρῃ μέγα,
Τοῦτον λαβοῦσα, πῶς δοκεῖς, καθύβρισεν.
Intolerabilis Venus eſt, ſi abundaverit;
Quæ concedentem ſibi leniter ſequitur:
Quem vero præ ceteris altius ſapere invenerit,
Hunc comprehenſum, ut tu videris, contumeliis afficit.

Neque abludit illud Senecæ ore omnium tritum:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

v. 9. *molles coluiſſe capillos*] Poeta ſignificat, Marathum eſſe adoleſcentulum, & coma noodum poſita. comam vero pone-

bant

Quid ſucco ſplendente genas oneraſſe? quid ungues
Artificis docta ſubſecuiſſe manu?

Fru-

bant qui virilem togam ſumerent, anno ætatis xvi. vel xvii. Adoleſcentuli autem formoſi, feroculi etiam eſſe ſolent: amari ſe poſtulant, alios amare dedignantur. Hic tamen Marathus jam inductus & captus fuerat. Noſter ſuperius Eleg. 6.

Tunc procul abſitis, quiſquis colit arte capillos.

Horatius ad Ligurinum Ode 10. lib. 4.

Et quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ.

Deciderint, non ob ſenectutem, vel calvitium, vel ἀλωπεκίαν, ſed reſectæ a tonſore.

v. 10. *Sæpeque mutatas diſpoſuiſſe comas*] Non uno capillorum ornatu contentum fuiſſe, at varios & multiplices quæſiviſſe, ut ſolent mulieres elegantiores, quas novi ſemper cultus delectant. Horum colendi modorum valde peritas eſſe oportebat ancillas ornatrices, quas hodie dicimus *acconciatreſte*. Ovidius l. 2. Amor. Eleg. 8.

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere ſed ſolas digna, Cypaſſi, deas.

Idem nihilominus delicias hujuſmodi reprehendit in maribus lib. 3. Artis Amat. v. 433.

Sed vitate viros cultum formamque profeſſos,
Quique ſuas ponunt in ſtatione comas.

v. 11. *Quid ſucco ſplendente genas oneraſſe?*] Splendens hic ſuccus erat σμῆγμα quoddam cuti poliendæ ac lævigandæ. Panis autem lacte aſinino madidus a feminis & adoleſcentibus feminarum ſimillimis adhibebatur, quo faciei candorem & nitorem ementirentur. Juvenalis Sat. 6. v. 460.

Interea fœda aſpectu, ridendaque multo
Pane tumet facies.

Hoc erat κατάπλασμα παραπωδαστικὸν ἀχρείας, quo deinde abluto ac deterſo, σμήγματι κομμωτικῷ faciem inungebant ad ſplendorem parandum. Sequitur itaque apud poetam Aquinatem:

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit:
Incipit agnoſci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod ſecum comites educit aſellas,
Exſul Hyperboreum ſi dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicetur, an ulcus?

Fuerunt etiam ἐν κομμωτικοῖς *terra Chia, & terra Selinuſia*, de quibus Plinius H. N. l. 35. cap. 16. Fuit & ſtercus crocodili terreſtris, quem aquatico multo minorem, cordylum appellavere. De hoc idem Plinius lib. 28. cap. 8. *Alter illi ſimilis multum infra magnitudinem, in terra tantum odoratiſſimiſque floribus vivit. Ob id inteſtina ejus diligenter exquiruntur, jucundo nidore farta: crocodileam vocant, oculorum vitiis utiliſſimam cum porri ſucco inunctis, & contra ſuffuſiones, vel caligines. Illita quoque ex oleo cyprino, moleſtias in facie enaſcentes tollit: ex aqua vero, morbos omnes quorum natura ſerpit in facie; nitoremque reddit, lentigines tollit ac varos, omneſque maculas.* Memorat Horatius Epodo 12.

— — — nec illi
Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili.

Quod vero Tibullus ait, *genas oneraſſe*, a Petronio lucem accipit, qui in Satyrico loquens de cinædo: *Perfluebant per frontem ſudantis acaciæ rivi, & inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares detectum parietem nimbo laborare.*

ibid. *quid ungues Artificis docta ſubſecuiſſe manu?*] Elegantiores utebantur ad hoc operâ tonſoris, quem hic artificem Tibullus vocat. Martialis pariter lib. 3. Epigr. 74.

Pſilothro faciem levas, & dropace calvam.
Numquid tonſorem, Gargiliane, times?
Quid facient ungues? nam certe non potes illos
Reſina, Veneto nec reſecare luto.

Si quis autem ungues ſibi male præcidiſſet, eum amici reprehendebant. Horatius Epiſt. 1. lib. 1. v. 103.

— — — rerum tutela mearum
Cum ſis, & prave ſectum ſtomacheris ob unguem
De te pendentis, te ſuſpicientis amici.

Subſecare eſt ὑποτέμνειν. convenit autem præcipue

Digitized by Google

Fruſtra jam veſtes, fruſtra mutantur amictus,
Anſaque compreſſos colligit arta pedes.
Ipſa placet, quamvis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda comſerit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Can-

cipue unguibus, qui ſecantur ſuppoſitis forficibus. Ovidius lib. 6. Faſt. v. 229.

Non mihi detonſos crines depectere buxo,
Non ungues ferro ſubſecuiſſe licet.

Vel *ſubſecare ungues* eſt illos aliquantum ſeu leviter ſecare, extrema unguium recidere. Paulus Silentiarius lib. 7. Anthologiæ Epigr. 37.

Εἰπὲ τίνι πλέξεις ἔτι βόστρυχον, ἢ τίνι χεῖρας
Φαιδρυνέεις, ὀνύχων ἀμφιτεμὼν ἀκίδα.
Dic mihi cujus gratia plicabis amplius cæſariem, vel manus
Terges, unguium circumcidens aciem.

Porro tonſoris *manum* poeta Sulmonenſis *doctam* vocavit Tibullum imitatus lib. 1. Artis Amat. v. 517.

Nec male deformet rigidos tonſura capillos:
Sit coma, ſit docta barba reſecta manu.

v. 13. *fruſtra mutantur amictus*] *Amictum*, eſſe id quod veſtibus interioribus ſuper imponitur, puta pallium, aut velum, oſtendit Broukhuſius luculentis veterum teſtimoniis.

v. 14. *Anſaque compreſſos colligit arta pedes*] Hoc eſt quod Ovidius amatorculis præcipit, ut videlicet calceis aſtrictioribus utantur, puellarum gratiæ captandæ. Sic ille Artis Amat. lib. 1. v. 515.

Linguaque ne rigeat: careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Virgilius olim, *minus aptus acutis naribus hominum* aulicorum, id neglexit, teſte Horatio Sat. 3. lib. 1. v. 30.

rideri poſſit, eo quod
Ruſticius tonſo toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret.

Livius lib. 24. Hiſt. de hac re proprie admodum locutus: *Tamquam laxaret elatum pedem ab ſtricto nodo, moratus turbam Indigemines*. Quum vero elegantiarum ſtudioſi laudent exiguos pedes, nihil mirum ſi puellæ atque adoleſcentes omni ope illos colligerent, atque in artum redigerent. *Compreſſos pedes* dicit Noſter, ut ſignificet calceum concinnum quidem, ſed nimia brevitate urentem. Horatius Epiſt. 10. lib. 1. v. 42.

Cui non conveniet ſua res, ut calceus olim
Si pede major erit, ſubvertet; ſi minor, uret.

v. 15. *Ipſa placet, quamvis inculto venerit ore*] Tibi, o Marathe, tam culto juveni ac perpolito placet Pholoe ipſa, etſi munditias neglexerit, ſolis naturæ bonis contenta. *Ipſa*, non veſtes ejus, non ornatus capillorum, non gemmæ, non unguenta, non faciei fucus. *Venire* dicuntur mulieres quum amatoribus copiam ſui facturæ ſunt. Propertius l. 2. Eleg. 18.

De me, mi certe poteris formoſa videri,
Mi formoſa ſat es, ſi modo ſæpe venis.

Et libro eodem Eleg. 22.

Aut ſi es dura, nega: ſin es non dura, venito.
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?

v. 16. *Nec nitidum tarda comſerit arte caput*] Terentius Heautont. 2. 2. 11.

noſti mores mulierum,
Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

Scripſerit fortaſſe Afer poeta, *Dum poliuntur*. Hinc vero intelligi poteſt quid ſit *ars tarda*.

v. 17. *pollentibus herbis*] Efficacibus, & vim magnam habentibus. Magorum *ſcientiam efficacem* dixit etiam Horatius Epodo 17.

v. 18. *Devovit*] Diis inferis ſacravit. Noſter ſuperius Eleg. 5.

Tunc me diſcedens devotum femina dixit.

nempe contactum veneficio, præpeditum, præligatum.

ibid. *anus*] Venefica, ſaga, pharmaceutria. Nam vetulæ forma deſtitutæ, quæ maximum eſt delinimentorum, aut ſibi,

aut

Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
  Cantus & iratæ detinet anguis iter.
Cantus & e curru Lunam deducere tentat;
  Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent.
Quid queror heu miſero carmen nocuiſſe? quid herbas?
  Forma nihil magicis utitur auxiliis.
Sed corpus tetigiſſe nocet, ſed longa dediſſe
  Oſcula, ſed femori conſeruiſſe femur.
Nec tu difficilis puero tamen eſſe memento:
  Perſequitur pœnis triſtia facta Venus.

Mu-

aut aliis lenocinantur, atque ætati malæ ſuperſtitionem ſubſidio comparant.

v. 19. *Cantus vicinis fruges traducit ab agris*] *Cantus*, nempe ſuſurrus veneficæ, magicum carmen; quod Itali dicimus *l' incanto*, *l' incanteſimo*. Propertius lib. 4. Eleg. 4.

O utinam magicæ noſſem cantamina Muſæ!
Hæc quoque formoſo lingua tuliſſet opem.

Ceterum Lege XII. Tabularum prohibitum erat pellicere, ſive excantare fruges, hoc eſt illas a vicinorum agris in ſuos ope magica traducere.

v. 20. *iratæ detinet anguis iter*] Furorem ſerpentis, quæ ruſticum inſequatur. Serpentem feminam dixit, fortaſſe pullis timentem, atque idcirco angues mares rabie ſuperantem. Hic verſus Tibulli citatur a Soſipatro Chariſio lib. 1. Inſtit. Grammat.

v. 21. *Cantus & e curru Lunam deducere tentat*] Vulgus antiquorum, Aſtronomiæ imperitum, & anili ſuperſtitione imbutum, quoties Luna deficeret, id ſagarum artibus & cantibus acceptum referebant. Propterea cymbalorum & pelvium ſonitu, planetæ laboranti auxilium ſe ferre poſſe ineptiſſime exiſtimabant. Lunam porro in curru vectari, ſicuti Solem, ſibi perſuaſerant.

v. 22. *Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent*] Eodem pacto locutus Virgilius Ecloga 2. v. 43.

Jampridem a me illos abducere Theſtylis orat;
Et faciet: quoniam ſordent tibi munera noſtra.

Ovidius etiam Epiſt. Sapphus v. 87.

Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam.
Et faceres: ſed te prima rapina tenet.

Item Cornelius Nepos Eumene: *Quum perducere eum non poſſet, interficere conatus eſt: & feciſſet, niſi ille clam noctu ex præſidiis ejus effugiſſet.* Nec diſſimile Ciceronis illud Epiſtola 3. lib. 7. *Hoc interdum probabat, & in ea ſententia videbatur fore, & fuiſſet fortaſſe, niſi quadam ex pugna cœpiſſet ſuis militibus confidere.* Neque illud Ovidii Epiſt. Phyllidis v. 133.

Hinc mihi ſuppoſitas immittere corpus in undas
Mens fuit; &, quoniam fallere pergit, erit.

ibid. *æra repulſa ſonent*] Seneca Medea v. 794.

Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretioſa ſonent æra Corinthi.

Martialis Epigr. 57. lib. 12.

Dicet quot æra verberent manus urbis,
Quum ſecta Colcho Luna vapulat rhombo.

Sed teſtimoniorum in hac re nullus eſt modus.

v. 26. *femori conſeruiſſe femur*] Anacreon apud Heſychium verbo *γωνῖνες*: *πλίξαντες μηροῖσι παρὰ μηρούς.*

v. 27. *Nec tu difficilis p. t. e. m.*] Convertit ſermonem ad puellam, cui Marathum conciliare ſtudet.

v. 28. *triſtia facta*] Animi duritiem, atque inexorabilem crudelitatem. Virgilius lib. 2. Æneid. v. 548. Pyrrhum Achillis filium loquentem inducens:

P   *illi*

Munera ne poſcas: det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra ſinu.
Carior eſt auro juvenis, cui levia fulgent
Ora, nec amplexus aſpera barba terit.
Huic tu candentes humero ſuppone lacertos;
Et regum magnæ deſpiciantur opes.
At Venus inveniet puero ſuccumbere furtim,
Dum tumet, & teneros conſerit uſque ſinus:
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oſcula, & in collo figere dente notas.

Noo

illi mea triſtia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

v. 31. *Carior eſt auro juvenis, cui levia fulgent Ora*] Mulierem, quæ hujuſmodi adoleſceotulis delectabatur, imberbibus & ioveſtibus, *glabrariam* appellat Martialis Epigr. 28. lib. 4. ad Chloën. hi enim & *glabri* diecbantur. Catullus Carm. 60. v. 141.
Diceris male te a tuis, Unguentate, glabris, marite, Abſtinere. Talis erat illa de qua Silius Italicus lib. 5. Punic. v. 18.
Flore capi juvenum primævo lubrica mentem Nympha.
Levia epheborum *ora* & *fulgentia* exprimunt *lumen juventæ purpureum* a Virgilio memoratum.

v. 32. *neque amplexus aſpera barba terit*] Thencritus pariter Idyllio 15. v. 128.
ὁ ῥοδόπαχυς Ἄδωνις,
Ὀκτωκαιδεκαέτης ἢ ἐννεακαιδεχ' ὁ γαμβρός.
Οὐ κεντεῖ τὸ φίλαμ'. ἔτι οἱ περὶ χείλεα πυῤῥά.
roſeis lacertis Adonis,
Decem & octo, aut decem & novem annorum ſponſus:
Non pungit oſculum: labra illi adhuc circum rufa ſunt.
Nequius autem & ruſticius Juvenalis Sat. 6. v. 365.
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia ſemper
Oſcula delectent, ac deſperatio barbæ.

v. 34. *Et regum magnæ deſpiciantur opes*] Non ſolum tyrannorum, qui urbibus & provinciis imperant; ſed etiam locupletum homioum & beatorum, qui dare quidem pecuniam poſſunt, ſe autem pulchros & venuſtos efficere, ſi forma careant, nequaquam poſſunt. Hos enim Romani aliquaodo appellabant reges. Horatius Epiſt. 17. lib. 1. v. 43.
Coram rege ſuo de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent.
Atque ita paraſiti in Plauti Comœdiis nominant eos quorum menſæ aſſident.

v. 35. *At Venus inveniet*] Occurrit excuſationibus Phuloës, quibus ea Tibulli preces pro Maratho facile repellere potuiſſet: objectâ videlicet irâ divitis amatoris, cui ſervire debeat, diligentiâ cuſtodis, periculo ne deprehendatur. Inquit igitur, Veneri non difficile futurum invenire viam, qua cupidi amatores conveniaot, neque tamen ullus reſciſcat.

v. 36. *Dum tumet*] ὀργᾷ πρὸς ὁμιλίαν. Virgilius lib. 2. Georg. v. 324.
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
τὴν ὀργῶσαν γῆν ſignificat.

ibid. *& teneros conſerit uſque ſinus*] Accipio de ſioibus veſtium quos Marathus præ libidiois impatientia τῷ σπέρματι μιαίνει. Lucretius interpres unicus lib. 4. v. 1028.
Qui ciet irritans loca turgida ſemine multo,
Ut, quaſi tranſactis ſæpe omnibus rebus, profundant
Fluminis ingentes fluctus, veſtemque cruentent.
A quo poeta Venuſinus Sat. 5. lib. 1. v. 84.

immun-

Non lapis hanc, gemmæque juvent, quæ frigore ſola
  Dormiat, & nulli ſit cupienda viro.
Heu ſero revocatur Amor, ſeroque juventas,
  Quum vetus infecit cana ſenecta caput.
Tum ſtudium formæ: coma tum mutatur, ut annos
  Diſſimulet viridi cortice tincta nucis.

Tolle-

immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant.

Vel de inguinibus ipſis. Fauſtus Manichæus apud S. Auguſtinum lib. 19. contra eumdem, cap. 6. *Quid & a circumciſionis dedecoroſo illo ſignaculo Legi ac Prophetis omnibus honorato, & maxime Abrahæ poſt opinatam ſuam fidem, ſinus defenditis veſtros?* Id Auctori Liberi Carminis Epigr. 78. eſt *in ſemen abire*. Porro *conſerere* ſignificat ſemine implere. Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Indus vero, qui eſt omnium fluminum maximus, non aqua ſolum agros lætificat & mitigat, ſed eos etiam conſerit*. Sic Juvenali Sat. 6. v. 101. *convomere*, eſt vomitu inquinare; ac Phædro Fab. 17. lib. 4. *concacare*, honos ſit auribus, eſt κόπρῳ ἢ σκυβάλῳ conſpurcare.

v. 39. *Non lapis hanc gemmæque juvent*] Uniones, ſive margaritæ, lapides, ſeu lapilli, peculiari ſignificatione, dicebantur, ut oſtendit elegantiſſimus Broukhuſius. *Elenchos* vocat Juvenalis Sat. 6. v. 458.

Nil non permittit mulier ſibi: turpe putat nil,
Quum virides gemmas collo circumdedit, & quum
Auribus extentis magnos commiſit elenchos.

uniones videlicet, ita dictos ὅτι τὰ ὦτα τῷ βάρει ἐλέγχουσι, *aures pondere ſuo premunt, ac deorſum trahunt.*

ibid. *quæ frigore ſola Dormiat*] *Frigore*, hieme quum frigus eſt. Virgilius 1. Georg. v. 300.

Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur.

Idem Ecloga 5. v. 70.

Ante focum, ſi frigus erit; ſi meſſis, in umbra.

Ovidius lib. 1. Faſt. v. 149.

Dic age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?

v. 41. *Heu ſero revocatur Amor*] *Sero*, intempeſtive prorſus, ἀπὸ καιροῦ, παρὰ καιρόν. Quid ſit ſero revocare Amorem, pulchre ſignificat Horatius lib. 4. Carm. Ode 13. ad Lycen παρακμῶσαν:

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſollicitas. ille virentis &
Doctæ pſallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim tranſvolat aridas
Quercus, & refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant, & capitis nives.

v. 42. *Quum v. infecit cana ſenecta caput*] *Infecit*, variavit ſcilicet, aſperſit canitie. Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 8.

Jam mea cycneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba ſenecta comas.

& lib. 1. ex Ponto Eleg. 4.

Jam mea deterior canis aſpergitur ætas.

Et Franciſcus Petrarcha (*nel Sonetto 62.*)

Se bianche non ſon prima ambe le tempie,
Che a poco a poco par che'l tempo miſchi.

v. 43. *Tum ſtudium formæ*] Ita *ſtudium linguæ*, nempe eloquentiæ. Propertius lib. 3. Eleg.

Perſequar aut ſtudium linguæ, Demoſthenis arma.

Et *ſtudium venandi*. Noſter lib. 4. Carm. 3.

At tu venandi ſtudium concede parenti.

Item *ſtudia belli*. Virgilius 1. Æneid. v. 14. de Carthagine:

— — Dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli.

ibid. *coma cum mutatur, ut annos Diſſimulet*] Sed fruſtra; nam, ut ait P. Syrus:

Aſtute crines dum celantur, ætas indicatur.

Q. Serenus Sammonicus cap. 5. libelli de Medicina:

Quos pudet ætatis longæ, quos ſancta ſenectus
Offendit, cupiunt properos abſcondere canos,
Et nigrum crinem ſuco ſimulare doloſo.

Dein-

Tollere tum cura eſt albos a ſtirpe capillos,
Et faciem demta pelle referre novam.
At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere. non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque. puero quæ gloria victo?
In veteres eſto dura, puella, ſenes.
Parce precor tenero. non illi ſontica cauſſa eſt;
Sed nimius luto corpora tingit amor.

Vel

Deinde recenſet nonnulla medicamina capillo tingendo.

v. 44. *viridi cortice tincta nucis*] Varro lib. 4. de L. L. *Nux appellata, quod ut nox aerem, ita hujus ſuccus facit corpus atrum.* Ovidius vero Elegia de Nuce v. 155.

Noſtra notat fuſco digitos injuria ſucco,
Cortice contactas inficiente manus.
Ille cruor meus eſt: illo maculata cruore
Non profectura dextra lavatur aqua.

Memorabile porro eſt quod ſcribit vir magnus Galenus lib. 1. κατὰ τόπους, in hanc plane rem: Τὸ μέντοι λευκότερον τὸ χρῶμα τοῦ προσώπου ποιεῖν ἐκ φαρμάκων, ἢ ἐρυθρότερον, ἢ τὰς τρίχας κεφαλῆς οὔλας, ἢ πυῤῥὰς, ἢ μελαίνας, ἢ καθάπερ αἱ γυναῖκες ἐπὶ μήκιστον αὐξανομένας, ταῦτα δὴ τὰ τοιαῦτα τῆς κομμωτικῆς κακίας ἐστὶν, οὐ τῆς ἰατρικῆς τέχνης ἔργα. h. e. *Certe candidiorem faciei colorem efficere medicaminibus, vel rubicundiorem, aut capillos criſpos, aut flavos, aut nigros, aut, quemadmodum mulieres, denſos immodice atque prolixos, hæc atque hujuſmodi pertinent ad fucandi vitium, neque ſunt medicæ artis opera.*

v. 45. *Tollere tum cura eſt albos a ſtirpe capillos*] Broukhuſius, nonnullorum codicum ſcripturam ſecutus, aliam verborum collocationem præfert vulgatæ, nempe

Tollere tunc albos cura eſt a ſtirpe capillos:

& probaturum cenſet quicumque aures habet ſubactas lectione bonorum poetarum. Ego vero qui abſurdas habeo, vulgatam antefero; debuerunt enim ſyllabæ duriores *eſt*, *ſtir* longius disjungi, interjecta voce *albos*. Deinde Propertius, qui hunc verſum pæne totum ſumſit lib. 3. Eleg. ult. ita collocat:

Vellere tum cupies albos a ſtirpe capillos.

ad quem Propertii locum Broukhuſius ipſe Tibullum citat ſine ulla mutatione.

v. 46. *Et faciem demta pelle referre novam*] Ut ſolent angues, quibus *exuitur tenui cum pelle vetuſtas*. Cicero pro Flacco: *Affers faciem novam, nomen vetus, purpuram Tyriam.*

v. 47. *At tu dum p. f. t. t. æ.*] Convertit orationem ad Pholoën. Hoc autem lenocinium ſic amplificavit Sulmonenſis poeta lib. 3. Artis Amat. v. 59.

Venturæ memores jam nunc eſtote ſenectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, & veros etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.
Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda:
Nec, quæ præteriit, hora redire poteſt.
Utendum eſt ætate; cito pede labitur ætas:
Nec bona tam ſequitur, quam bona prima fuit.

v. 50. *In veteres e. d. p. ſenes*] *Qui diutiſſime ſenes fuerunt*, ut loquitur Cicero initio libri de Amicitia, *ſenes veteres* dici poſſunt. Hos Ariſtænetus Epiſt. 1. l. 1. vocat γέροντας οὐ μάλα πρεσβύτας. Quamobrem Horatius Epodo 8.

Quum ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret.

Auctor Dialogi de Oratoribus, qui Dialogus Quinctiliano tribui ſolet, cap. 6. memorat *Homines veteres, & ſenes, & totius urbis gratia ſubnixos*. Verum ibi τὸ *veteres*, e vetuſtis & nobilibus familiis ortos ſignificat: & opponitur *novis* hominibus. Nominum porro ſubſtantivorum ſignificationem ſæpius intendunt adjectiva; ut apud Perſium Sat. 5. v. 32. *fibris increvit opimum Pingue.*

v. 51. *Parce precor tenero*] *Teneri* dicuntur adoleſcentuli & impubes. Octavium,

quum

quum intra decem & octo annos eſſet, (quamvis parum exacte ad Octavii annos, ut animadvertit Samuel Pitiſcus) *tenerum* vocat Florus H. R. l. 4. c. 4. Suetonius *impubem* & *tenerum* conjungit, io Claudio, cap. 43. Idem io Auguſto cap. 64. *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emtos a patre Agrippa : teneroſque ad curam reipublicæ admovit*. Idem *pueros primæ teneritudinis* memorat in Tiberio c. 44. Noſter Eleg. 3. lib. 2.

Et tu Bacche tener, jucundæ conſitor uvæ.

ibid. *non illi ſontica cauſſa eſt*] Marathus pallet, neque morbo pallet, ſed amore nimio : tu igitur ſola mederi potes. Feſtus Pompejus ex emendatiooe Joſephi Scaligeri : *Sontica cauſſa dicitur a morbo ſontico, qui quid agendum agere non permittit*. Sed locus interpolatus eſt ; In vetuſtis enim codicibus, quibus uſum ſe teſtatur Aotonius Auguſtinus, antiquitatis ſcrutator diligentiſſimus, ita fere legitur, pluribus litteris corroſis & fugientibus .... *auſa dicitur a morbo .... erendum agere* .... Morbi ſontici mentio apud Ulpianum J. C. Lege a. tit. Digeſt. *Si quis cautionibus in judicio ſiſtendi cauſſa factis non obtemperaverit*. *Etiam*, inquit Ulpianus, *Lex xii. Tabularum, ſi judex, vel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, jubet diem judicii eſſe diffiſum*. Iccirco Jacobus Saooazarius in Arcadia Ecloga 1a.

Moſtranſi l' erbe, e i fior languidi e mucidi;
I peſci per li fiumi infernii e fontici.

Morbum & *cauſſam* conjunxerunt ſæpius, vel *cauſſam* pro *morbo* uſurpaverunt boni Latinitatis auctores. Scriptor Rhetoric. ad Herennium lib. a. cap. 13. *Ex æquo & bono jus conſtat, quod ad veritatem & utilitatem communem videtur pertinere; quod genus, ut major annis ſexaginta, & cui morbus cauſſa eſt, cognitorem det*. Gratius Faliſcus, poeta non ignobilis, qui temporibus Auguſti floruit, Cynegetici v. 346.

Cauſſaſque, affectuſque canum tua cura tueri eſt.

Cornelius Celſus lib. 3. Medic. cap. 3. *Atque hæc quidem ſanis facienda ſunt, tantum cauſſam metuentibus*. L. Seneca Conſolatione ad Marciam cap. 11. *Mortalis nata es, mortales peperiſti. putre ipſa fluidumque corpus, & cauſſis morbiſque repetita, ſperaſti tam imbecillâ materiâ ſolida & æterna geſtaſſe?* Inferius *cauſſarium* vocat graciliorem hominem, & frequentibus morbis obnoxium, quem politioris Etruſcæ linguæ ſcriptores eleganti vocabulo appellant *cagionevole*. Joannes Boccatius (*nel Decamerone Giorn. 5. Novella 6.*) *Il Re veggendola bella l' ebbe cara; ma perciocchè cagionevole era alquanto della perſona, infino a tanto che più forte foſſe, comandò che ella foſſe meſſa in certe caſe belliſſime d' un ſuo giardino*. Idem Seneca Epiſt. 68. *In animo noſtro ſunt aliquæ cauſſariæ partes, quibus adhibenda curatio eſt*. Et Præfatione Natur. Quæſt. *Quid enim erat cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem? an ut cibos & potiones percolarem? ut hoc corpus cauſſarium ac fluidum, periturumque niſi impleatur, farcirem, & viverem ægri miniſter?* Inde *cauſſarii milites* dicti, qui ob malam valetudinem ſacramento militiæ ſolvebantur : & *cauſſaria miſſio* apud Juriſconſultos. T. Livius lib. 6. *Tertius exercitus ex cauſſariis ſenioribuſque a L. Quintio ſcribatur, qui urbi mœnibuſque præſidio ſit*. Idem lib. 24. verbis Gracchi : *Nomina eorum qui detractatæ pugnæ memores ſucceſſionem paullo ante fecerunt, referri ad me jubebo : citatoſque ſingulos jurejurando adigam, niſi quibus morbus cauſſa erit, non aliter quam ſtantes cibum potumque, quoad ſtipendia facient, capturos eſſe*. Et inferius eodem libro : *Nomina omnium ex juniorum tabulis excerpſerunt qui quadriennio non militaſſent; quibus neque vacatio juſta militiæ, neque morbus cauſſa fuiſſet*. Idem lib. 22. *Ut in affecto corpore quamvis levis cauſſa, magis quam valido, gravior ſentiretur*. Αἰτίαν ἔχειν Græci dixerunt, pro *affectum eſſe ac morbo obnoxium*. Athenæus lib. 13. de ſcortillis duobus: Ἐτύγχανε δὲ ἡ μὲν αἰτίαν ἔχουσα λιθιᾶν, ἡ δὲ κοιλίαν προπετεστέραν ἔχειν. h. e. *Cauſſariæ namque ambæ fuerunt, altera calculo, altera fluna nimis alvo*.

v. 52. *Sed nimius luto corpora tingit amor*] *Lutum* priore ſyllaba producta ſignificat poetis Latinis luteum ſeu croceum colorem. Virgilius Ecloga 4. v. 44.

Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

v. 53.

Vel miſer abſenti mœſtas quam ſæpe querelas
   Conjicit, & lacrimis omnia plena madent.
Quid me ſpernit? ait. poterat cuſtodia vinci:
   Ipſe dedit cupidis fallere poſſe deus.
Nota Venus furtiva mihi eſt; ut lenis agatur
   Spiritus, ut nec dent oſcula rapta ſonum.
Et poſſim media quamvis obrepere nocte,
   Et ſtrepitu nullo clam reſerare fores.
Quid proſunt artes, miſerum ſi ſpernit amantem,
   Et fugit ex ipſo ſæva puella toro?
Vel quum promittit, ſubito ſed perfida fallit:
   Eſt mihi nox multis evigilanda modis.
Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
   Illius credo tunc ſonuiſſe pedes.

Deſi-

v. 53. *Vel miſer*] Particulâ *vel* in re aliqua præcipua Latini utebantur; id quod Broukhuſius optime animadvertit. Cicero Actione 6. in Verrem: C. *Hejus eſt Mamertinus .... hujus domus eſt vel optima Meſſanæ*. Virgilius lib. 11. Æneid. v. 406.

Vel quum ſe paviduns contra mea jurgia fingit,
Artificis ſcelus, & formidine crimen acerbat.

Locutio ſingularis eſt, *abſenti querelas Conjicit*, nempe *ingerit*. Noſter l. 2. Eleg. 5.

Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ.

v. 54. *lacrimis omnia plena madent*] Et vultus, & veſtes, & ipſe lectus, ait Broukhuſius. Recte. Sed locutio hujuſmodi habet aliquid *παροιμιακόν*. Ovidius pariter Epiſt. Hermiones v. 75.

Vix equidem memini: memini tamen. omnia luctus,
Omnia ſolliciti plena timoris erant.
Flebat avus, Phœbeque ſoror, fratreſque gemelli:
Orabat ſuperos Leda, ſuumque Jovem.

Loquitur de raptu Helenæ. Torquatus autem Taſſus Gothofredi Cantu 19. ſtrophe 30.

Ogni coſa di ſtrage era già pieno.

v. 55. *poterat cuſtodia vinci*] Poterat Pholoë cuſtodem ſibi appoſitum blanditiis vel muneribus vincere, aut aliquo modo fallere.

v. 56. *deus*] Amantium videlicet, Cupido, ſeu Venus.

v. 57. *ut lenis agatur Spiritus*] Aliter animam & ſpiritum agere dicuntur jam jam morituri.

v. 59. *Et poſſim media quamvis obrepere nocte*] Id cujuſmodi ſit, eleganter oſtendit Nonnus Panopolites l. 6. Dionyſiacon v. 265.

Καὶ δολόεις Διόνυσος ἀδουπήτοισι κοθόρνοις
Εἰς γάμον ἄψοφος εἷρπε ποδῶν τεχνήμονι παλμῷ.
Κούρης δ' ἐγγὺς ἵκανε· καὶ ἀτρέμας ἄκρον ἐρύσσας
Δεσμὸν ἀσυλήτοιο φυλάκτορα λύσατο μίτρης
Φειδομένῃ παλάμῃ, μὴ παρθένον ὕπνος ἐάσσῃ.

Ab interpretatione prudens abſtineo: ſatis eſt ſi hæc intelligant Græce docti.

v. 64. *Eſt mihi nox multis evigilanda modis*] Puta æſtu, jactatione corporis, fletu, gemitu, ſuſpiriis, querelis, fictis colloquiis, & aliis, quibus miſeri amantes nocturni temporis moram fallere conſueverunt.

v. 66. *Illius credo tunc ſonuiſſe pedes*] Auctor liberi carminis quod Tibullo adſcribitur:

At

Deſiſtas lacrimare, puer. non frangitur illa:
  Et tua jam fletu lumina feſſa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, faſtidia divi:
  Nec prodeſt ſanctis tura dediſſe focis.
Hic Marathus quondam miſeros ludebat amantes,
  Neſcius ultorem poſt caput eſſe deum.

Sæpe

At ille quum redibit aureus puer,
Simul ſonante ſenſeris iter pede, &c.

Poſt hunc verſum Joſephus Scaliger quatuor collocaverat huc translatos ex Elegia 3. libri 2. magno flagitio, ſiquidem omnibus codicibus invitis: pro imperio nempe ac dictatura quam ſibi ſumſerat in litteris. Nemo autem qui animadverterit, non intelliget, iſtud τετράστιχον hoc loco importunum omnino eſſe atque ἀπροσδιόνυσον.

v. 67. *Deſiſtas lacrimare, puer*] *Incipere* ac *deſiſtere* opponuntur. Cicero in calce libri 1. Tuſc. Quæſt. *Velut ſuperiore e loco concionandum: ut homines mortem vel optare incipiant, vel timere deſiſtant*. Broukhuſius tamen, vir elegantiſſimi judicii, recte monuit, *deſiſtere*, non eſſe plane idem quod *deſinere*: ſed habere quamdam mutatæ mentis ac conſilii ſignificationem. Quapropter jure ac merito Joannem Barclajum reprehendit, qui dixerat in Apologia pro Euphormione: *in hæc verba deſiſtit*. minus profecto Latine. Ceterum *lacrimare* & *lacrimari*, veteres promiſcue uſurpaverunt. Ovidius in Remediis Amoris v. 471.

Quid lacrimas, odioſe ſenex?

ibid. *non frangitur illa*] Notat durum atque inclemens puellæ ingenium, quod frangi & expugnari nullo modo poſſit, nedum flecti ac mitigari.

v. 69. *Oderunt, P. m. faſtidia divi*] Achilles Tatius lib. 5. de Amor. Clitoph. & Leucip. Μισεῖ δὲ ὁ θεὸς τοὺς ἀλαζόνας. *Odit enim deus ſuperbos*. *Faſtidia* pro *faſtum* & *contemtum*. Virgilius Ecloga 2. v. 14.

Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia?

v. 71. *Hic Marathus*] Exemplo ipſius Marathi, qui olim ferox & faſtidioſus ob formam fuerit, Pholoën a ſuperbia deterret. *Hic Marathus*, δεικτικῶς. Ita Plautus Amphitr. 2. 2. 115.

AMPH. *Egóne iſtuc dixi?* ALC. *tute iſtic, etiam adſtante hoc Soſia*.

Terentius Andria 2. 1. 33.

Nunc ſi quid potes aut tu, aut hic Byrrhia,
Facite, fingite.

Idem Eunucho 1. 2. 120.

— — — neque meo
Cordi eſſe quemquam cariorem hoc Phædria.

M. Tullius Catone Majore: *Sæpenumero mirari ſoleo cum hoc C. Lælio*. Cornelius Nepos Miltiade: *Namque huic Miltiadi, qui Athenas totamque Græciam liberavit, talis honos tributus eſt*. Livius lib. 1. Hiſt. *Hunc Numam Pompilium*. Etiam Iſocrates in Amartyro: Νικίας γὰρ οὑτοσί.

v. 72. *Neſcius ultorem poſt caput eſſe deum*] Homines quibus fortunæ favor blanditur, miſeros deſpicatui habent; neque illud cogitant, ſe quoque a felicitatis vertice in ærumnarum barathrum ſubito deturbari poſſe. Pulchre Virgilius 8. Æneid. v. 696. de Cleopatræ ſtupore:

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro:
Nec dum etiam geminos a tergo reſpicit angues.

Aſpides videlicet, quarum morſu interitura erat. Idem lib. 10. v. 501. graviſſime:

Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ,
Et ſervare modum rebus ſublata ſecundis.

Cornelius quoque Severus, egregius poeta, in verſibus a M. Seneca relatis, de Ciceronis morte, ita in M. Antonium:

Informes vultus, ſparſamque cruore nefando
Canitiem, ſacraſque manus, operumque miniſtras
Tantorum, pedibus civis projecta ſuperbis
Proculcavit ovans: nec lubrica fata, deoſque
Reſpexit. nullo luet hoc Antonius ævo.

Seneca Herc. Fur. v. 385. a Tibullo, ut videtur:

Sequitur ſuperbos ultor a tergo deus.

Ultor

Sæpe etiam lacrimas fertur riſiſſe dolentis,
Et cupidum ficta detinuiſſe mora.
Nunc omnes odit faſtus, nunc diſplicet illi
Quæcumque adpoſita eſt janua dura fera.
At te pœna manet, ni deſinis eſſe ſuperba.
Quam cupies votis hunc revocare diem!

Ultor autem hic deus poſt caput eſt Νέμεσις, Ἀδράστεια, Ῥαμνουσία, παρὰ τῷ θεῷ δίκη, κατόπιν ἐφεστῶσα. Ceterum integram Tibulli ſententiam exprimit Paulus Silentiarius l. 7. Anthologiæ hoc pulcherrimo Epigrammate:

Ὁ θρασὺς, ὑψαύχην τε, καὶ ὀφρύας εἰς ἓν ἀγείρων,
Κεῖται παρθενικῆς παίγνιον ἀδρανέος.
Ὁ πρὶν ὑπερβασίῃ δοκέων τὴν παῖδα χαλέπτειν,
Αὐτὸς ὑποδμηθεὶς ἐλπίδος ἐκτὸς ἔβη.
Καί ῥ' ὁ μὲν ἱκεσίοισι πεσὼν θηλύνεται οἴκτοις,
Ἡ δὲ κατ' ὀφθαλμῶν ἄρσενα μῆνιν ἔχει.
Παρθένε θυμολέαινα, καὶ εἰ χόλον ἔνδικον ἔσχες,
Σβέσσον ἀγηνορίην· ἐγγὺς ἴδ' ἐς Νέμεσιν.

h. e. *Audax ille, & elata cervice incedens, & ſupercilia in unum adducens, Jacet virginis ludibrium imbecillæ. Ille qui prius videbatur contemtu puellam deprimere, Ipſe perdomitus, a ſpe deſtitutus vadit. Et hic quidem ſupplici procidens fletu*, quodammodo *in feminam vertitur, Hæc vero in oculis maſculam iram habet. Virgo magnanima, etſi tibi juſta bilis eſt, Exſtingue ferociam. prope inſpice Nemeſin.* Graphice magis deſcribi non poterant Marathus & Pholoë Tibulliani.

v. 74. *Et cupidum fictâ detinuiſſe morâ*] Cauſſatus videlicet impedimentum aliquod, & interea promittens, paullo poſt ſe venturum, & amatori obſecuturum: quæ promiſſa credulos ludificare, iiſque os oblinere ſolent. Virgilius Ecloga 9. v. 56.

Cauſſando noſtros in longum ducis amores.

tametſi in re diſſimili.

v. 78. *Quam cupies votis hunc revocare diem!*] Quo die ſcilicet, me conciliatore ac proxeneta, Marathum in amicitiam recipere potes. Dies hic elabi feſtinat, & cum eo præceps occaſio, quam fruſtra votis & precibus revocare olim optabis.

ELE-

ELEGIA IX.

Quid mihi, ſi fueras miſeros læſurus amores,
  Fœdera per divos clam violanda dabas?
Ah miſer, etſi quis primo perjuria celat,
  Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus.
Parcite, cæleſtes: æquum eſt impune licere
  Numina formoſis lædere veſtra ſemel.

Lu-

Argumentum Elegiæ IX. Libri I.

Adoleſcentulum, qui muneribus captus juraram ſibi fidem fregerat, violatæ amicitiæ crimine accuſat.

Versu I. *Si fueras miſeros læſurus amores*] Me nimirum δυςέρωτα ϗ ἐν τῷ φιλεῖν ἀποτυγχάνοντα, quod πάντων χαλεπώτερον ait eſſe dulciſſimus Anacreon Ode 46. Quid attinebat conceptis verbis jurare te a data ſemel fide numquam diſceſſurum, & quaſi fœdus amatorium percutere, ſi mox teſtes deos nihili facturus eras? Hæc autem indignationis & exprobrationis plena ſunt. Horatius pariter Epodo 15.

Nox erat, & cælo fulgebat Luna ſereno
  Inter minora ſidera;
Quum tu magnorum numen læſura deorum
  In verba jurabas mea.

Lædere Amorem, *Venerem*, *uxorem*, *amicam*, *fœdus*, *fidem* dixerunt boni poetæ; quorum teſtimonia collegit Broukhuſius; quum de perjuriis & levitate amantium agerent.

v. 2. *Fœdera dabas*] *Dare fidem atque accipere*, uſitata locutio eſt, non item *dare fœdus*: quamquam ſententia eodem recidit.

v. 3. *perjuria celat*] Perjurium igitur non ſolum falſum juramentum eſt, aut promiſſio ſacramento firmata, decipiendi tamen animo: ſed factum ipſum pollicitis contrarium, ut hoc loco.

v. 4. *Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus*] Plinius H. N. lib. 2. cap. 7. *Pœnas maleficiis aliquando ſeras, occupato Deo in tanta mole, numquam autem irritas eſſe.* Hinc proverbium Italorum: *Iddio non fa i conti ogni ſabbato.* Ceterum Tibullus Pœnam hic deſcribit pedibus laneis & ἀψόφοις, quales diis tribui ſolebant, teſte Porphyrione ad Horatium Ode 2. lib. 3. & cujuſmodi tribuit ſenectuti Ovidius lib. 3. Triſtium Eleg. 7.

Injicietque manum formæ damnoſa ſenectus,
  Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.

v. 5. *Parcite, cæleſtes*] Deos rogat, ne nimium ſeveri eſſe velint in perfidum adoleſcentulum. *Cæleſtes* porro interdum dicebant, non addito *deos*. Cicero Philippica 4. *Sive tantus conſenſus omnium ſine impulſu deorum eſſe non potuit; quid eſt quod de voluntate cæleſtium dubitare poſſimus?* Arnobius lib. 4. Contra Gentes: *Nam quid de illis amoribus dicam quibus in feminas ſanctos incaluiſſe cæleſtes, veſtris proditum litteris atque auctoribus continetur? Cæleſtes heros* appellavit Catullus Carm. 67. v. 75.

-- -- -- nondum quum ſanguine ſacro
  Hoſtia cæleſtes pacificaſſet heros.

Cæleſtes eburni Ovidio Artis Amat. lib. 1. v. 147. ſunt ſimulacra deorum ex ebore, quæ in pompa circenſi thenſis vehebantur.

At quum pompa frequens cæleſtibus ibit eburnis,
  Tu Veneri dominæ plaude favente manu.

Ita Homerus Iliados 1. v. 399. ὀλύμπιοι uſurpat, ſubaudit vero θεοί:

Ὁππότε μιν ξυνδῆσαι Ὀλύμπιοι ἤθελον ἄλλοι,
  Ἥρη τ', ἠδὲ Ποσειδάων, ϗ Παλλὰς Ἀθήνη.
Quando eum (Jovem) *colligare cæleſtes voluerunt alii,*

Q   *Juno-*

Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
  Et durum terræ ruſticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
  Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.
Muneribus meus eſt captus puer. at deus illa
  In cinerem & liquidas munera vertat aquas.

Jam

Junoque, & Neptunus, & Pallas Minerva. ibid. *æquum eſt impune licere Numina formoſis lædere veſtra ſemel*] Ita & poeta Sulmonenſis lib. 2. Amor. Eleg. 14.

Dii faciles, peccaſſe ſemel concedite tuto.
Id ſatis eſt: pœnam culpa ſecunda ferat.

Hanc facilium deorum indulgentiam veteres Perſæ imitabantur, apud quos neque ipſi regi licebat ob unam tantum culpam occidere quemquam, neque cuiquam aliorum in familiam ſuam atrocius conſulere ob id quod quis ſemel peccaviſſet: expendere autem unuſquiſque jubebatur, ſi plura ac majora comperiret eſſe delicta quam obſequia. tum demum irâ uti poterat. Quam Perſarum conſuetudinem refert ac laudat Herodotus in Clio.

v. 7. *habili tauros adjungit aratro*] *Habile aratrum* eſt quod agricola, ob modicum pondus, facile manu habere & gubernare, boves haud ægre trahere poſſunt. Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4. de muliere puſillæ ſtaturæ: *Hæc habilis brevitate ſua eſt*. *Tauros* Tibullus ponit pro *boves*, quos idem Eleg. 3. lib. 2. *ſteriles* vocavit, nempe caſtratos, exſectos:

Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.

Adjungere autem & *abjungere* opponuntur, quum de bobus aut equis ſermo eſt. Virgilius lib. 3. Georg. v. 515. ubi de pecorum lue:

Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & mixtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extremoſque ciet gemitus. it triſtis arator,
Mærentem abjungens fraterna morte juvencum:
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.

Propertius de Aurora ac Tithono Eleg. 18. lib. 2.

Illum ſæpe ſuis decedens fovit in ulnis,
Quam prius abjunctos ſedula lavit equos.

v. 8. *Et durum terræ ruſticus urget opus*] L. Seneca lib. 3. de Ira cap. 29. *Si captivus ruſticum laborem recuſat, aut non fortiter obit, a ſervitute urbana & feriata translatus ad durum opus.*

v. 9. *freta per parentia ventis*] Scilicet venti maris tyranni ſunt, & eorum arbitrio tolluntur, & deprimuntur fluctus. Horatius Ode 3. lib. 1.

nec timuit præcipitem Africum,
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti:
Quo non arbiter Hadriæ
Major, tollere ſeu ponere vult freta.

Propterea Ovidius lib. 1. Triſtium Eleg. 2.

Inter utrumque fremunt immani turbine venti:
Neſcit, cui domino pareat unda maris.

v. 10. *Ducunt inſtabiles ſidera certa rates*] Non ſolum ὁλκάδας ſive onerarias naves, verum etiam naves longas armatis militibus plenas, γαστρὸς ἕνεκεν, nempe alimentorum quærendorum cauſsâ, mare tranſmittere ait Homerus lib. 17. Odyſſeæ v. 288. *Sidera certa* ſunt ea quæ ſi nautæ ſervaverint, rectum curſum tenent, ac tandem optato portu potiuntur. Lucanus lib. 3. v. 218.

Has ad bella rates non flexo limite ponti
Certior haud ullis duxit Cynoſura carinis.

Et Valerius Flaccus lib. 1. v. 17.

neque enim in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris.

v. 12. *In cinerem, & liquidas munera vertat aquas*] In elementa ſua redigat, in materiam vilem atque communem. Ita precabantur veteres quum irritum aliquid eſſe optarent. Propertius l. 2. Eleg. 16.

Sed quaſcumque tibi veſtes, quoſcumque ſmaragdos,
Quoſve dedit flavo lumine chryſolithos:

Hæc

Jam mihi perſolvet pœnas, pulviſque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur Sole capilli:
Deteret invalidos & via longa pedes.
Admonui quoties, Auro ne pollue formam.
Sæpe ſolent auro multa ſubeſſe mala.

Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas.
Quæ tibi terra, velim, quæ tibi fiat aqua.
Ad cum locum poetæ Umbri olim plura dicemus.

v. 13. *pulviſque decorem Detrahet*] Videtur enim adoleſcentulus a Tibullo dilectus, vetere amatore contemto, locupletis alicujus conditionem accepiſſe, & cum eo longum aliquod iter ingreſſus fuiſſe. quod & ſequentia oſtendunt.

v. 15. *Uretur facies, urentur Sole capilli*] Quod peregrinantibus contingere ſolet, iis præſertim qui candidiori ac teneriori ſunt cute. Livius lib. 27. *Suſpicatus* (Haſdrubal) *id quod erat, receptui propere cecinit, ac miſit ad flumen, unde aquabantur: ubi & excipi aliqui poſſent, & notari oculis; ſi qui forte aduſtioris coloris, ut ex recentiore via, eſſent.* Laudi tamen ducebatur viris & juvenibus coloratam habere faciem. Sed color Sole, atque ſubdiali, ut ita dixerim, vita, ſive apricando, contrahitur: quum in umbra viventibus palleat facies, & ſine colore ſit. Pulchre Martialis lib. 10. Epigr. 12. ad Domitium:

I precor, & totos avida cute combibe ſoles:
Quam formoſus eris dum peregrinus eris!
Et venies albis non cognoſcendus amicis,
Livebitque tuis pallida turba genis.
Sed, via quem dederit, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

Idem lib. 1. Epigr. 56.

Non amet hanc vitam, quiſquis me non amet, opto:
Vivat & urbanis albus in officiis.

Ovidius icirco lib. 1. Artis Amat. v. 513. præcipit adoleſcentibus:

Munditiæ placeant: fuſcentur corpora Campo.

ſcmpe exercitationibus Campi Martii. Ceterum Plinius lib. 29. N. H. cap. 3. ita faciei delicatorum conſulit, ne Sole aduratur: *Candido ovorum in oculis & pili reclinantur, hammoniaco trito admixtoque: & vari in facie cum pineis nucleis, ac melle modico. Ipſa facies illita, Sole non aduritur.* Quod jam inde a Senecæ temporibus in uſu eſſe oportuit; ſic enim Philoſophus Epiſt. 123. *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne Sol, ne frigus teneram cutem lædat. Turpe eſt, neminem eſſe in comitatu puerorum cujus ſana facies medicamentum deſideret.* Joannes Sariſberienſis, gravis auctor & utilis, qui corruptiſſimo ſæculo vixit, lib. 3. de Nugis Curialium cap. 13. loquens de laſcivo puero & delicato: *Chirothecatus enim inceſſit diutius, ut manus Soli ſubtractas emolliret ad divitis uſum.*

v. 16. *Deteret invalidos & via longa pedes*] Non abeunt illa Virgilii Ecl. 10. v. 48.

-- -- -- ah te ne frigora lædant,
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas:

v. 17. *auro ne pollue formam*] Polluitur auro forma quum amor venditur, & quum formoſos avaritiæ non pudet. Vel polluere formam auro, eſt ornamenta pretioſa corpori circumponere, quibus vera pulchritudo non indiget. Vide Propertium lib. 1. Eleg. 2. & ad eam Animadverſiones noſtras.

v. 18. *Sæpe ſolent auro multa ſubeſſe mala*] Plautus pariter Moſtellaria 1. 3. 130.

Purpurâ ætas occultanda eſt: aurum turpe mulieri.
Pulchra mulier nuda erit quam purpurata pulchrior.

Et neſcio quis Petronius Afranius De electione conjugii:

Moribus & vultu mulier quæratur habenda.
Horrida nam facies multo celatur ab auro.

Divitiis captus ſi quis violavit Amorem;
  Aſperaque eſt illi, difficiliſque Venus.
Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
  Corpus, & intorto verbere terga ſeca.
Nec tibi celandi ſpes ſit peccare paranti.
  Eſt deus, occultos qui vetat eſſe dolos.

Ipſe

Μεταφορικῶς Perſius Sat. 4. v. 43.

— — — Ilia ſubter
Cæcum vulnus habet: ſed lato balteus auro
Prætegit.

Legatur ad hæc verba Commentarius Iſaaci Caſauboni longe doctiſſimus. Concinit Perſio L. Seneca libro de Providentia cap. 6. in re graviſſima: *Auro illos, argento, & ebore ornavi: intus boni nihil eſt*. Porro locutio non diſſimilis eſt Quinctiliani Procemio Inſtit. Orat. quamquam in materia diverſa: *Noſtris vero temporibus*, ait, *ſub hoc nomine maxima in pleriſque vitia latuerunt*. Neque Cornelii Celſi lib. 7. Medicinæ cap. 18. *Sub hoc* (ſcroto) *igitur plura vitia eſſe conſueverunt*. Horatius contra Sat. 3. lib. 1. v. 33.

at ingenium ingens
Inculto latet hoc ſub corpore.

v. 21. *Ure meum potius flammâ caput*, &c.] Qui ad laniſtam ibant futuri gladiatores, in hæc tria jurabant, *Uri flammis*, *virgis ſecari*, *ferroque necari*. Sic auctoramentum ſervitutis accipiebant. Teſtis Acro in Horatium. L. Seneca Epiſt. 37. *Eadem honeſtiſſimi hujus, & illius turpiſſimi auctoramenti verba ſunt, Uri, Vinciri, Ferroque necari*. Hoc auctoramentum poeta noſter manifeſte admodum in hoc diſticho expreſſit. Neque alio reſpexit Dio Chryſoſtomus Orat. 8. Ὁ δὲ ἀνὴρ ὁ γενναῖος, inquit, ... κἂν δέῃ μαστιγούμενος καρτερεῖ, καὶ τεμνόμενος καὶ καιόμενος. h. e. *Vir generoſus*, ... *ſi ita oportuerit, & virgis cæſus, & ſectus & uſtus, fortiter perferet*. Plura dabit Juſtus Lipſius lib. 2. Saturnal. cap. 5.

v. 22. *& intorto verbere terga ſeca*] Noſter ſuperius Elegia 7. *non amens verbera torta timet*. Propertius l. 4. Eleg. 1.

Verbera pellitus ſætoſa movebat arator.

h. e. flagella e ſætis. Ovidius 14. Metam. v. 820.

Impavidus conſcendit equos Gradivus, & ictu
Verberis increpuit.

Seneca Agamemnone v. 749.

Inſtant ſorores ſqualidæ,
Sanguinea jactant verbera.

Silius Italicus lib. 1. Punic. v. 171.

non verbera paſſim
Ictibus innumeris lacerum ſcindentia corpus.

Martialis lib. 9. Epigr. 73.

Liber Amyclæa frontem redimite corona,
Qui quatis Auſonia verbera Graja manu.

v. 23. *Nec tibi celandi ſpes ſit peccare paranti*] Quæ multos videlicet impulit atque impellit ad perpetranda maleficia. Scriptor Rhetoric. ad Herennium lib. 2. cap. 4. *Spes celandi quæ fuerit, quæritur ex conſciis, arbitris, auditoribus, liberis, aut ſervis, aut utriſque. Spem fallendi*, nempe latendi, vocat Horatius Epiſt. 16. lib. 1.

Sit ſpes fallendi: miſcebis ſacra profanis.

Iſocrates quoque memoravit Πρὸς Δημόνικον: Μηδέποτε, inquit, μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας, ἔλπιζε λήσειν. h. e. *Numquam, quum turpe aliquid feceris, clam id futurum ſperes*. Ac Ludovicus Areoſtus initio ſexti Cantus divini Poematis, graviſſime:

Miſer chi mal'oprando ſi confida,
Ch'ognor ſtar debbia il maleficio occulto;
Che quando ogn' altro taccia, intorno grida
L'aria, e la terra ſteſſa, in ch' è ſepulto.
E Dio fa ſpeſſo, che'l peccato guida
Il peccator, poi ch' alcun dì gli ha indulto,
Che ſè medeſmo, ſenz' altrui richieſta,
Inavvedutamente maniſeſta.

Sed aurea plane ſunt in hanc rem verba Senecæ Epiſt. 97. *Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto, Poteſt nocenti contingere ut lateat, latendi fides non poteſt. Aut ſi hoc modo melius hunc explicari poſſe judicas ſenſum:*

Ideo

Ipſe deus tacito permiſit vela miniſtro,
Ederet ut multo libera verba mero.
Ipſe deus ſomno domitos emittere vocem
Juſſit, & invitos facta tegenda loqui.
Hæc ego dicebam: nunc me fleviſſe loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuiſſe pedes.

Tunc

Ideo non prodeſt latere peccantibus, quia latendi etiamſi felicitatem habent, fiduciam non habent. Ita eſt. tuta ſcelera eſſe poſſunt: ſecura non poſſunt.

v. 24. *Eſt deus, occultos qui vetat eſſe dolos*] Niſi deus, de quo Tibullus hic loquitur, Cupido eſſet, aut Venus, hæc ſententia una de optimis ac veriſſimis jure ac merito dici poſſet. Hos enim libidinum præſides ἀπλῶς ita vocat poeta noſter. Superius Elegia 8.

Deſine diſſimulare. deus crudelius urit
Quos videt invitos ſuccubuiſſe ſibi.

Item Elegia 5.

At mihi felicem vitam, ſi ſalva fuiſſes,
Fingebam demens, ſed renuente deo.

Qui tamen Venerem hic inducit amantium dolos patefacientem, eamdem furtis amatoriis favere dixit Elegia 2. ut ſilentio ac tenebris occultentur: *celari vult ſua furta Venus*. Profecto ab hujuſmodi poetis non eſt ſevere nimis exigenda ſententiarum conſtantia. Quod ſi dicamus, verum Deum, rerum omnium humanarum ſpectatorem & arbitrum, hoc loco ſignificari, ſententia vera quidem erit, ſed importuna, & in re nequiſſima ab homine impuro uſurpata; ut ſapienter animadvertit Janus Broukhuſius. Opportune magis Pindarus Ode 1. Olymp. v. 102. *Εἰ δὲ Θεὸν Ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέμεν ἔρδων, ἁμαρτάνει. Si vero Deum vir aliquis ſperat quippiam latere faciens, decipitur*. Homerus Batrachomyomachia v. 96. tragice in re ludicra: *ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. habet Deus ultorem oculum.*

v. 25. *Ipſe deus tacito permiſit vela miniſtro*, &c.] Amor ipſe, ut puniret qui occultum facinus perpetraverat, hominem, cujus ille miniſterio uſus fuerat in peccando, bene potum inſtigavit ad eloquenda & retegenda arcana; qui ebriorum mos eſt. *Permittere* igitur *vela miniſtro tacito*, eſt hoc loco, flagitii conſcio & adjutori, qui ſobrius os obſignatum habebat, ebrietatis operâ poteſtatem loquendi facere. Simili prorſus metaphora uſus eſt Juvenalis Sat. 1. v. 149. ubi ſe ipſe hortatur ad corruptos mores Romanorum albis dentibus irridendos, acerrimoque dicendi genere perſequendos:

Omne in præcipiti vitium ſtetit: utere velis,
Totos pande ſinus.

Et Plinius junior de libris Maximi Epiſt. 20. lib. 4. *In quo tu ingenii ſimul, dolorisque velis latiſſime vectus es.* Et ante utrumque Naſo lib. 15. Metam. v. 176. ex ore Pythagoræ ſermocinantis:

— — — quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
Vela dedi.

Broukhuſius nimis argute hunc poetæ noſtri locum explicavit, nec ſatis caute a recta Joſephi Scaligeri explicatione diſceſſit. Porro quod hic Tibullus tranſlate, Valerius Flaccus proprie dixit v. 574.

Interea medio ſævus permiſſa profundo
Carbaſa Pangæa Boreas ſpeculatur ab arce.

Regnum permittere, dixit Horatius Ode 4. lib. 4.

Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permiſit.

v. 26. *multo libera verba mero*] Propertius lib. 2. Eleg. 34.

Una tamen cauſſa eſt, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.

Terentius Heautont. 2. 1. 8.

Is mihi
Ubi adbibit plus paullo, ſua quæ narrat facinora!

Ceterum, ebrii ſemper ſecreta prodant, necne, quærit Seneca Epiſt. 73.

v. 28. *& invitos facta tegenda loqui*] Cicero

Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi ſi pretium Campania terra daretur,
Non tibi ſi Bacchi cura Falernus ager.

Illis

cero in Topicis cap. 20. *Per ſomnum, vinum, inſaniam, multa ſæpe patefacta ſunt.* Vide Lucretium lib. 4. v. 1014. & lib. 5. v. 1158. Loca ipſa Broukhuſius attulit.

v. 31. *nullo te divitis auri Pondere*, &c.] M. Tullius pro C. Rabirio: *Tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud poſtulabat, diſceſſum illum ſuſtentaſti.* Antiqui ſummam pecuniæ ingentem appendebant, non numerabant. Ideo ſæpius invenias apud ſcriptores *impendere*, *expendere*, *expenſum referre*, atque alia hujuſmodi. Catullus Carm. 28.

Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expenſum?

Livius l. 5. ab U. C. *Per altercationem nondum omni auro appenſo, dictator intervenit.* Sed locus eſt inſignis M. Varronis in calce lib. 4. de Lingua Latina, huc pertinens: *Milites*, inquit, *ſtipendiarii ideo quod eam ſtipem pendebant. Ab eo Ennius ſcribit, Pœni ſtipendia pendunt. Ab eodem ære impendendo, Diſpenſator: & in tabulis ſcribimus Expenſum, & inde prima Penſio, & ſic aut ſecunda, aut quæ alia. Et Diſpendium, ideo quod in diſpendendo ſolet minus fieri: Compendium, quod quum compenditur, una ſit. A quo uſura, quod in ſortem accedebat, Impendium appellatum .... per trutinam ſolvi ſolitum. veſtigium etiam nunc manet in æde Saturni, quod ea etiam nunc propter penſuram, trutinam habet poſitam.*

v. 33. *Non tibi ſi pretium C. t. daretur*] Ita Brutus Ciceroni Epiſt. 10. lib. 11. ad Familiares: *Non ſi Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem.* Lucretius præcipue hac locutione delectatur. Vide quæ attulimus ad Carmen 68. Catulli, v. 3. *Pretium* pro mercede a Latinis poetis uſurpari, luculente oſtendit Broukhuſius.

ibid. *Campania terra*] Eodem pacto dixerunt *terram Arabiam*, *terram Italiam*, *terram Africam*, *terram Hiſpaniam*. Plautus Trinummo 2. 4. 88. *Advecti ad Arabiam terram ſumus.* Cato in Oratione de Achæis apud A. Gellium lib. 2. N. A. c. 6. *Quum Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret.* M. Varro lib. 1. R. R. cap. 9. *Dicimus orbem terræ, & terram Italiam.* Lucretius l. 1. v. 721.

Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis
Italiæ terraï oras a finibus ejus.

Livius lib. 29. *Quandocumque hoſtis terræ Italiæ bellum intuliſſet, eum pelli Italia vincique poſſe, ſi mater Idæa Peſſinunte Romam advecta eſſet.* Idem libro eodem inferius: *Sibi neceſſarium fore, & pro terra Africa, in qua ipſe ſit genitus, & pro patria conjugis ſuæ..... dimicare.* Et libro 38. *Quum per aliquot annos in terra Hiſpania ..... nominis Romani famam auxiſſent.* *Agrum* porro *Campanum orbis terræ pulcherrimum* vocat Cicero in Orat. 2. De Lege Agraria contra Rullum: & paullo poſt, *unum fundum pulcherrimum populi Romani, caput eorum pecuniæ, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ.* Idem ibidem *agri Campani vectigal ejuſmodi eſſe* dicit, *ut domi ſit, & omnibus præſidiis oppidorum tegatur: tum neque bellis infeſtum, nec fructibus varium, nec cælo ac loco calamitoſum eſſe ſoleat.* L. quoque Florus lib. 1. H. R. cap. 17. ita de terra Campania: *Omnium non modo Italiæ, ſed toto orbe terrarum pulcerrima Campaniæ plaga eſt: nil mollius cælo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur.*

v. 34. *Bacchi cura Falernus ager*] Quem Bacchus vindemiæ præſes laudatiſſimo uvarum genere donavit. Is porro cui aliquis favet ac ſtudet, eleganter cura ejus eſſe dicitur. Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 405.

Cura ducum fuerunt olim regumque poetæ.

Et Jo. Aurelius Mutius, egregius antiquorum imitator:

Bembus amor Muſarum, & Palladis ultima cura.

v. 35.

Digitized by Google

Illis eriperes verbis mihi, ſidera cælo
Lucere, & puras fluminis ire vias.

Quin

v. 35. *Illis eriperes verbis mihi, ſidera cælo Lucere*] Perſuadere mihi poſſes tua eloquentia & forma id quod oculorum ſenſui manifeſte contrarium eſt. Italice: *Mi dareſti ad intendere, che gli aſini volanò.* Atque ita ſane Joannes Boccatius in Labyrintho Amoris: *E ſe eſſe diranno d' avere un aſino veduto volare, dopo molti argomenti in contrario converrà che ſi conceda del tutto.* Quod Ludovicus Areoſtus Sat. 2. propius ad Tibulli mentem expreſſit:

Pazzo chi al ſuo ſignor contraddir vuole,
Sebben diceſſe, che ha veduto il giorno
Pieno di ſtelle, e a mezza notte il Sole.

Idem Rolandi Furentis Cantu 32. ſtrophe 39.

Facil ti fu ingannare una donzella,
Di cui tu ſignor' eri, idolo, e nume:
A cui potevi far con tue parole
Creder che foſſe oſcuro e freddo il Sole.

Hoc eſt quod ait Juvenalis Sat. 3. v. 30. *Maneant qui nigra in candida vertunt.* Et Græci πειθειν ἀπίθανα. Contra Plautus, de homine qui mendaci non credere in animum induxerit, Bacchid. 4. 4. 48.

CH. *Quid dixit?* MN. *Si tu illum Solem ſibi Solem eſſe dixeris,*
Se illum Lunam credere eſſe, & noctem qui nunc eſt dies.

Porro *eripere* hoc loco Tibulli ſignificat, veterem opinionem ac penitus inſitam ex animo evellere. Horatius pariter Sat. 2. l. 2. v. 23.

Vix tamen eripiam, poſito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallinâ, tergêre palatum.

Sic Academici philoſophi, qui nihil affirmantes, de rebus omnibus dubitabant, neque ipſorum ſenſuum teſtimonio ſatis fidebant, *lucem eripere* dicti fuerunt. Cicero l. 1. de Nat. Deor. *Multis etiam ſenſi mirabile videri, eam nobis potiſſimum probatam eſſe philoſophiam quæ lucem eriperet.* Idem in Lucullo: *Nam quid eum facturum putem de abditis rebus & obſcuris, qui lucem eripere conetur?* Et inferius eodem libro: *Hæc ſi vobis non probamus, ſint falſa ſane: invidioſa certe non ſunt. non enim lucem eripimus.* Idem lib. 10. ad Atticum Epiſt. 4. dixit *eripere errorem. Si vera ſunt, ignoſces: ſi falſa, me libente eripies mihi hunc errorem.*

v. 36. *Et puras fluminis ire vias*] Locus obſcurus, &, ut videtur, corruptus. Non eſt promtum explicare, quæ ſint puræ viæ fluminis. Broukhuſius multa quidem attulit de lapſibus & itineribus aquarum, ſed quid ſibi velit τὸ *puras*, omnino reticuit. Hoc autem, niſi fallor, præcipue expediendum erat. Plures codices legunt *fulminis*: quam lectionem prope abeſt quin probem. *Viam fulminis* memorat Seneca Thyeſte v. 359.

Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis.

Nam fortaſſe *puras vias fulminis* dixit poeta noſter, quod interdum fulminet puro cælo & ſereno. Virgilius lib. 1. Georgic. v. 487. hoc quoque numerat in prodigiis quæ occiſo Julio Cæſare contigere:

Non alias cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura.

Quo prodigio ſe pium & deorum cultorem ex Epicureo & religionis contemtore effectum teſtatur Horatius Ode 34. l. 1. cujus verba ſunt:

— — — Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Fruſtra igitur Lucretius, perditus Epicureus, lib. 6. v. 399. id umquam fieri negavit, rebus manifeſtis adverſatus:

Denique cur numquam cælo jacit undique puro
Juppiter in terras fulmen, ſoniturſque profundit?

Non difficile ſane fuiſſet formoſo adoleſcentulo, cujus amore tenebatur Tibullus, perſuadere amatori ſuo quod & Lucretio perſuaſum fuit, numquam fulminare cælo ſereno. conſtat enim, poetam noſtrum Epicuri partibus valde faviſſe.

v. 37.

Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus,
  Tergebam humentes credulus uſque genas.
Quid faceres, niſi & ipſe fores in amore puellæ?
  Sit precor exemplo ſit levis illa tuo.
O quoties, verbis ne quiſquam conſcius eſſet,
  Ipſe comes multa lumina nocte tuli!
Sæpe inſperanti venit tibi munere noſtro,
  Et latuit clauſas poſt adoperta fores.

Tum

v. 37. *at non ego fallere doctus*] Qui a fallendo abhorrent, creduli etiam ſunt, quod ex ſua natura ceteros fingunt.

v. 39. *niſi & ipſe fores in amore puellæ*] Vel, puellam amares, vel, ab illa amarere: nam hæc locutio utrumque ſignificare poteſt: ac *τὸ puellæ* poteſt eſſe & patrius caſus & dativus. Cicero Epiſt. 32. l. 7. de Curione: *Eſt mihi, ut ſcis, in amoribus.* hoc eſt, eum valde amo. Idem Act. 6. in Verrem: *Unde igitur potius incipiam, quam ab ea civitate quæ tibi una in amore, atque in deliciis fuit?* Spartianus in Hadriano: *Fuitque in amore Trajani.* Sic *eſſe in amicitia, in timore, in ſtudio*, veteres Latini dixere. Livius lib. 6. *Per annos prope centum* (Latini Hernicique) *numquam ambigua fide in amicitia populi Romani fuerant.* Cicero lib. 1. de Oratore: *Pergite, ut facitis, adoleſcentes, atque in id ſtudium in quo eſtis, incumbite.* Cornelius Nepos Miltiade: *Hæc populus reſpiciens, maluit eum innoxium plecti, quam ſe diutius eſſe in timore.*

v. 41. *verbis ne quiſquam conſcius eſſet*] Ne δᾳδοῦχος aliquis & λαμπαδοφόρος, quo utereris noctu deambulans, audiret verba quæ tu cum puella furtim commutaturus eras, & illa deinde ad rivalem tuum deferret.

v. 42. *Ipſe comes multa lumina nocte tuli*] Nocte intempeſta, nocte media. Contra Cæſar lib. 1. Belli Gallici cap. 22. *Multo denique die per exploratores Cæſar cognovit, & montem a ſuis teneri, & hoſtes caſtra moviſſe.* Et Cornelius Tacitus lib. 5. Hiſt. cap. 22. *Multa luce revecti hoſtes.* Lumina ferebant ſervi adverſitores, qui herum deducebant & reducebant. Servili hoc munere functum ſe fuiſſe fatetur poeta noſter, ut puero gratificaretur. Simile eſt illud Plauti Curculione 1. 1. 8.

Iſtud quidem nec bellum eſt, nec memorabile:
Tute tibi puer es lautus, luces cereum.

Animadvertendum hic eſt, falſum eſſe quod plerique Grammaticorum docent, comitem illum tantum eſſe qui euntem ſequatur. Nam certe hoc loco Tibulli, comes aut præire debet, cereum lucendo, aut ſaltem ad latus incedere: nullo autem pacto ſequi.

v. 44. *Et latuit clauſas poſt adoperta fores*] Venit quidem ad colloquium puella, me conciliante; ſed quum periculoſum omnino eſſet reſerare januam, & nos intro recipere, ſtetit ad fores clauſas, iiſque adoperta, per aliquam rimam tecum ſermones miſcuit: quod loco magni muneris mihi acceptum retuliſti quum præter ſpem eveniſſet. Propertius ad Januam lib. 1. Eleg. 16.

O utinam trajecta cava mea vocula rima
Securas dominæ vertat in auriculas.

Simillimum erat colloquium Pyrami ac Thiſbes apud Ovidium lib. 4. Metamorph. a v. 65.

Fiſſus erat tenui rima, quam duxerat olim,
Quum fieret paries domui communis utrique,
Id vitium nulli per ſecula longa notatum,
(Quid non ſentit amor!) primi ſenſiſtis amantes,
Et voci feciſtis iter: tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo tranſire ſolebant.

Non placet explicatio Broukhuſii, qui dicit latuiſſe puellam, tamquam quæ nollet

repe-

Digitized by Google

Tum miſer interii ſtulte confiſus amari;
  Nam poteram ad laqueos cautior eſſe tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
  At me nunc noſtri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
  Torreat, & liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc abſis, cui formam vendere cura eſt,
  Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es auſus,
  Rideat aſſiduis uxor inulta dolis.

Et

reperiri, quum tamen id vel maxime concupiſceret: affert autem ad hos jocos puellarum illuſtrandos Horatii verſus ex Ode 9. lib. 1. quos & ego adoleſcens attuleram. Sed puellæ ita jocantes, non latent clauſis foribus. Proprie admodum dixit noſter, *adoperta*. Eodem ſcilicet pacto Catullus Carm. 66. v. 37.

Dixerit hic aliquis, Qui tu iſthæc, Janua, noſti,
Quoi numquam domini limine abeſſe licet,
Nec populum auſcultare: ſed huic ſuffixa tigillo
Tantum operire ſoles, aut aperire domum?

v. 45. *ſtulte confiſus amari*] Putans, id quod non erat, mihi a te mutuam tribui voluntatem. Hujuſmodi vero confidentia ſtulta fuit. Salluſtius Bello Jugurth. cap. 28. *Italici .... confiſi, deditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos ſe ſe fore, Atherbali ſuadent, uti ſeque, & oppidum Jugurthæ tradat.*

v. 46. *Nam poteram a. l. c. e. t.*] Hanc lectionem præferunt plerique codices: & ſane proba eſt. Cauſſam affert poeta, cur fiduciam ſuam ſtultam appellaverit. Poteram ſcilicet, ait, ſi voluiſſem, laqueos tuos cavere ac vitare. Fruſtra Broukhuſius mutat: *Non poteram ad laqueos cautior eſſe tuos?* Hæc interrogatio coacta eſt, & neſcio quo pacto Tibullianæ ſimplicitati minus convenit. Propertiana potius eſt. Umber enim poeta Eleg. 16. lib. 2.

Non potuit ſaxo vitam poſuiſſe Ceraunо?

v. 47. *attonita laudes tibi mente canebam*] ἐμβεβροντημένως, ut ſolent amatorii poetæ, quos non Apollinis tantum, aut Bacchi, ſed Cupidinis etiam ac Veneris numen afflavit, & extra ipſos rapuit. Ceterum *attoniti* primum dicti fuere quorum mentes tonitru & fulmine motæ fuerant & conſternatæ. De his Ariſtoteles lib. 2. Analytic. Poſter. refert Pythagoræorum ſententiam. Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 295.

Sed te, cuicumque eſt retinendæ cura puellæ,
Attonitum formâ fac putet eſſe ſuâ.

Nymphæ præterea & dii ſilveſtres attonare & obſtupefacere credebantur. Idem poeta Epiſt. Phædræ v. 49.

Aut quas ſemideæ Dryades, Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere ſuo.

v. 49. *Illa velim rapida Volcanus carmina flamma Torreat, & l. d. a. a.*] Quod fatum fuit malorum librorum & infelicium. Horatius Ode 16. lib. 1.

O matre pulchrâ filia pulchrior,
Quem criminoſis cumque voles modum
Pones Iambis, ſive flammâ,
Sive mari libet Hadriano.

Martialis lib. 9. Epigr. 69.

Nympharum templis quiſquis ſua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipſe monet.

Nymphæ iſtæ nimirum vel Najades erant, vel Nereides, quæ aquis flumimum, aut maris præeſſe putabantur.

v. 51. *Tu procul hinc abſis, formam cui vendere cura eſt*] Puero infideli atque avaro tandem Vale dicit.

v. 53. *At te, qui puerum d. c. e. a.*] Rivalem ſuum diris devovere incipit.

R v. 54.

Et quum furtivo juvenem laſſaverit uſu,
  Tecum interpoſita languida veſte cubet.
Semper ſint externa tuo veſtigia lecto,
  Et pateat cupidis ſemper aperta domus.
Nec laſciva ſoror dicatur plura bibiſſe
  Pocula, vel plures emeruiſſe viros.

v. 54. *uxor inulta*] παθητικῶς. nempe quam tu merito ſupplicio afficere non poſſis, occulte ſemper atque impune peccantem. Horatius lib. 1. Ode 2.

Neu ſinas Medos equitare inultos
Te duce, Cæſar.

v. 55. *furtivo juvenem laſſaverit uſu*] Epigramma 47. in Luſibus Priapejis:

Illius uxor, aut amica rivalem
Laſciviendo languidum, precor, reddat.

Proprie vero, ut ſemper, locutus Tibullus: nam feminæ adulteræ, vel concubinæ infideles, κτήσει quidem ſeu mancupio maritorum ſunt, vel eorum a quibus aluntur, χρήσει vero ſive uſu, quorumlibet ventitantium. Iccirco Plautus in Prologo Amphitruonis v. 107.

Is amare occœpit Alcumenam clam virum,
Uſuramque ejus corporis cepit ſibi.

Diſtinctionem a me allatam Cicero illuſtrat Epiſt. 30. lib. 7. *Cujus* (Attici) *quum proprium te eſſe ſcribis mancipio & nexu: meum autem uſu & fructu, contentus iſto ſum. Id enim eſt cujuſque proprium quo quiſque fruitur atque utitur.*

v. 56. *interpoſita veſte*] Veſte nimirum ſtragula, qua lectus inſternitur atque operitur. Cicero Act. 6. in Verrem: *Mulier eſt Segeſtana, perdives & nobilis, Lamia nomine. per triennium iſti plena domo telarum, ſtragulam veſtem confecit.* Catullus Carm. 63. v. 163.

Purpureave tuum conſternens veſte cubile.

Dixerat autem ſuperius v. 47.

Pulvinar vero divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchyli purpura fuco.

Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 118.

cui ſtragula veſtis
Blattarum ac tinearum epulæ putreſcat in arca.

Idem poeta Sat. 5. lib. 1. v. 85. *nocturnam* vocat; niſi de ſubucula intelligendum ſit, Illam quam neque dormituri noctu deponerent:

tum immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventremque ſupinum.

Propertius lib. 1. Eleg. 4.

Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia ſub tacita dicere veſte libet.

Memorat & Vulgatus Interpres Proverbiorum Salomonis cap. 31. v. 22. loquens de muliere forti: *Stragulatam veſtem fecit ſibi.* Οἱ ἑβδομήκοντα legunt eo loco: Δισσὰς χλαίνας ἐποίησε τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. Et ſane apud Homerum χλαῖνα pro ſtragula veſte non ſemel uſurpatur. Quod autem Tibullus ait, *veſte interpoſita*, eleganter Lucianus expreſſit Dialogo Tryphænæ & Charmidæ: καὶ τέλος εἰ διετείχιζες τὸ μεταξὺ ἡμῶν τῷ ἱματίῳ, δεδιὼς μὴ ψαύσαιμί σου. *Denique quod inter nos eſt ſpatii, veſte non intercluderes, quaſi conſtructo muro, metuens ne te tangam.*

v. 57. *Semper ſint externa tuo veſtigia lecto*] Quæ adulter nimirum corpore impreſſerit. Celebre illud violatæ Lucretiæ apud Livium lib. 1. Hiſt. *Veſtigia viri alieni, Collatine, in lecto ſunt tuo.* Juvenalis etiam ita locutus Sat. 6. v. 223. de muliere libidinoſa & multivola:

Imperat ergo viro: ſed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, & flammea conterit: inde
Advolat, & ſpreti repetit veſtigia lecti.

Quem locum γελοίως prorſus & ἀκύρως explicavit bonus Lubinus. *Per eadem*, inquit, *veſtigia, eamdemque viam per quam maritum deſeruerat, ad maritum revertitur.* O acumen!

v. 58. *Et pateat cupidis ſ. a. domus*] Cupidi hic ſunt prurientes, ſalaces, vim Lucilii vomere optantes. Exempla collegit Broukhuſius.

v. 59. *Nec laſciva ſoror dicatur plura bi-*
biſſe

Illam ſæpe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.
Illa nulla queat melius conſumere noctem,
Aut operum varias diſpoſuiſſe vices.

At

biſſe Pocula] Hæc vulgo accipiuot de ſorore corruptoris, quæ fuerit, ſi diis placet, Elephaotis altera, vel Aſtyaoaſſa. *Soror* nihilominus nequiore ſignificatione uſurpatur pro meretrice qualibet in lupanari proſtante. Petronius Arbiter in Satyrico: *Si non faſtidis, inquit, feminam ornatam, & hoc primum anno virum expertam, concilio tibi, o juvenis, ſororem.* Martialis lib. 10. Epigr. 64.

Quare deſine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem ſororem.

v. 60. *vel plures emeruiſſe viros*] Notat hoc verbum meretricium quæſtum. *Meretrix* enim a *merendo*; oempe ſtipem atque æs, pro uſu corporis, accipiendo; appellata. *Emeritum latus* Ovidio, eſt exhauſtum, emunctum. Gallice, *epuiſé*. Ita eoim lib. 3. Amor. Eleg. 11.

Vidi, quum foribus laſſus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus.

Viros peragere, nempe conficere, enervare, dixit Auctor Liberi Carminis Epigr. 34.

v. 61. *convivia ducere Baccho*] Io multam noctem, immo in diem craſtinum, cœnam producere immoderate bibendo. hoc veteres vocabant *comiſſari*. Propertius lib. 4. Eleg. 6.

Sic noctem patera, ſic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

v. 62. *Dum rota Luciferi provocet orta diem*] Vere ac ſollerter animadvertit Broukhuſius, *rotam Luciferi* hic eſſe orbem ipſum, ſive diſcum, planetæ illius: attulit autem Lucretii, Valerii Flacci, & Appuleji teſtimonia, de Sole eodem pacto loquentium. Nos addemus aliorum. Seneca Hercule Œteo v. 1022.

Teſtor nitentis auream Phœbi rotam.

Prudentius Hymno Epiphaniæ, v. 5.

Hæc ſtella quæ Solis rotam
Vincit decore ac lumine.

D. Auguſtious Sermone de Jacob & Eſau: *Sol tamquam rota quædam eſt*. Zacharias Scholaſticus in Dialogo de Opificio Mundi, quem Dialogum nos aote deceonium e Græco ſermone in Italicum vertimus, pariter de Sole: *Δίκλω τρόχῳ περιπολεῖ τόδε τὸ πᾶν. inſtar rotæ univerſum circumvolvitur.* Ἄξονα etiam & δίσκον Græci vocaverunt. *Orbem* Propertius lib. 3. Eleg. 3.

Solis & atratis luxerit orbis equis.

oiſi luctum tribuere velimus orbi terrarum, non orbi Solis. *Clypeum* denique appellavit Ovidius, a rotunda figura, lib. 15. Metam. v. 192. verbis Pythagoræ:

Ipſe dei clypeus terra quum tollitur ima,
Mane rubet: terraque rubet quum conditur ima.

v. 62. *provocet diem*] Invitet, laceſſat. Ovidius lib. 1. ex Ponto Elegia 4.

Memnonis hanc utinam, lenito principe, mater
Quamprimum roſeo provocet ore diem.

Et lib. 1. Faſt. v. 455.

Nocte deæ Nocti criſtatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.

v. 63. *conſumere noctem*] Spatium ſcilicet noctis amatori locatum. & *nox* enim obſcœnis vocabulis interdum aooumeratur. Plautus Aſinaria 1. 3. 41.

Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris cauſſa gratiis dono dabo.

Horatius Epodo 15.

Non feret aſſiduas potiori te dare noctes.

v. 64. *Atque operum varias diſpoſuiſſe vices*] Naſo ioterpres lib. 2. Artis Amat. v. 679.

Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.
Inveniat plures nulla tabella modos.

Idem lib. 3. Amor. Eleg. 7.

At quæ non tacita formavi gaudia mente!
Quos ego non finxi, diſpoſuique modos!

opera hic ſunt ἔργα ἀφροδίσια, σχήματα τῆς ἀφροδίτης; ut ſæpe apud Ovidium.

 v. 65.

At tua perdidicit; nec tu ſtultiſſime ſentis,
Quum tibi non ſolita corpus ab arte movet.
Tu ne putas illam pro te diſponere crines,
Et tenues denſo pectere dente comas?
Iſta hæc perſuadet facies, auroque lacertos
Vinciat, & Tyrio prodeat apta ſinu.
Non tibi, ſed juveni cuidam vult bella videri:
Devoveat pro quo remque, domumque tuam.

Nec

v. 65. *At tua perdidicit*] Conjux tua, quam erudivit ſoror tua meretricum tæterrima, motus omnes perdidicit qui ſcortum deceant: nihil habet amplius verecundæ matronæ, fornicem olet omnino.

v. 66. *Quum tibi non ſolita corpus ab arte movet*] Officium tibi facit, maximam ex maritali concubitu voluptatem ſe capere ſimulans, ut adulterii ſuſpicionem a ſe avertat. Hi ſunt mores improbarum. *Ab arte*, pro *arte*. Sic Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Illa placet geſtu, numeroſaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

v. 67. *Tune putas illam pro te diſponere crines?*] Rivalem ſuum falli ſignificat, ſi uxorem impudicam putet ornari mariti gratia.

v. 68. *denſo dente*] Pectinis videlicet.

v. 69. *Iſta hac perſuadet facies*] Iſta facies, nempe tua, quæ turpiſſima eſt, perſuadet hæc uxori tuæ, nempe ut vinciat auro lacertos, & veſtem induat purpuream. Dictum εἰρωνικῶς, quemadmodum ab Horatio Epodo 8.

Sed incitat me pectus, & mammæ putres,
Equina quales ubera.

Et ab auctore Obſcœni Carminis Epigr. 81. verbis dei hortorum, qui nihil minus erat quam verecundus:

Sed potuit damno nobis novitaſque pudorque
Eſſe. repellendus ſæpius iſte mihi.

h. e. acrem adverſarium & importunum paratum habeo pudorem; & quum teneriore ſim fronte, eum identidem repellere debeo. Jocus eſt admodum urbanus. τὸ *Iſta facies* apud Noſtrum ſignificat ludibrium & contemtum. Catullus Carm. 96.

Iſta cum lingua, ſi uſus veniat tibi, poſſis
Culos, & crepidas lingere carbatinas.

ibid. *auroque lacertos Vinciat*] Armillas aureas brachiis gerat. Italice, *braccialetti d' oro*. Sic Ovidius Epiſt. Dejaniræ v. 59. de Hercule mundo muliebri ornato:

Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et ſolidis gemmas adpoſuiſſe toris.

Et lib. 2. Faſt. v. 323. de eodem:

Fregerat armillas non illa ad brachia factas.

v. 70. *& Tyrio prodeat apta ſinu*] Et purpuream tunicam induta prodeat in publicum, vincto & collecto pectore. hoc enim ſignificat *apta*, ab antiquo verbo *apere*, quod idem erat ac vinculo comprehendere. ut vere Broukhuſius.

v. 72. *Devoveat pro quo remque domumque tuam*] *Rem*, patrimonium, fortunas. Ita Ovidius Epiſt. Helenæ v. 159.

Omine lætatus dedit oſcula; Reſque, domuſque,
Et tibi ſit curæ Troïus hoſpes, ait.

& Plinius H. N. lib. 36. cap. 6. de Mamurra: *Quem & res, & domus ipſius, clarius quam Catullus, dixit habere quidquid habuiſſet Comata Gallia*. Nec diſſimili modo Livius lib. 5. Hiſt. *Neminem in concione ſtare qui illo die non caput, domum, fortunaſque L. Virginii ac M. Sergii ſit exſecratus deteſtatuſque*. Propterea Janus Douza non audiendus, qui τὸ *rem* turpe aliquid innuere putat. Scimus alioquin, *res* interdum urbane poni ἀντὶ τοῦ ἀνδρείου αἰδοίου. Petronius Arbiter, verbis neſcio cujus virum ſe eſſe non agnoſcentis:

non templis impius hoſtis
Admovi dextram: ſed inops, & rebus egenus

Adtri-

Digitized by Google

Nec facit hoc vitio, ſed corpora fœda podagra,
Et ſenis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noſter puer. hunc ego credam
Cum trucibus Venerem jungere poſſe feris.
Blanditiaſne meas aliis tu vendere es auſus?
Tune aliis demens oſcula ferre mea?
Tunc flebis quum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna ſuperba tuo.
At tua tum me pœna juvet, Venerique merenti
Fixa notet caſus aurea palma meos:

Hanc

Adtritis, facinus non toto corpore feci.

Quo Lælius Capilupus Mantuanus, feſtivo ingenio vir, in Centone primo Virgiliano traxit verba Maronis: *Et res aſpice noſtras.* Sed nunc apud Tibullum non erat his locus: etenim qui ſerio irati ſunt, jocari non ſolent.

v. 73. *Non facit hoc vitio*] Puta, quod libidine impellatur ad violandam conjugii fidem. Cauſſa unica adulterii puellæ tam cultæ ſenex maritus eſt, & podagra fœdus, a cujus amplexibus abhorret. Ovidius pariter Epiſt. Phædræ v. 17.

Non ego nequitiâ ſocialia fœdera rumpam.
Fama (velim quæras) crimine noſtra vacat.

h. e. quod nequam ſim & libidinoſa. Perſius Sat. 3. v. 32.

Sed ſtupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue.

v. 75. *Huic tamen accubuit n. p.*] *Accumbere*, quamquam de cœnantibus dicitur ſæpius; veteres enim cubantes veſcebantur; nihilominus & de ſimul dormientibus interdum uſurpatur. Propertius lib. 3. Eleg. 15.

Teſtis erit Dirce tam vero crimine ſæva,
Nycteos Antiopen accubuiſſe Lyco.

Utraque enim harum mulierum pellex alteri fuit.

v. 76. *Venerem jungere*] *συνεῖναι*. unde *συνουσία*, concubitus. Noſter ſuperius Eleg. 1. v. 69.

Interea, dum fata ſinunt, jungamus amores.

v. 77. *Blanditiaſne meas a. t. v. e. a.*] τὸ *meas* hoc loco ſignificat *mihi promiſſas*, *mihi debitas*, quibus te mihi potiſſimum blandiri oportebat.

v. 78. *T. a. d. oſcula ferre mea?*] Quæ pariter uni mihi pacto debebantur. Ovidius Epiſt. Acontii v. 145.

Iſte ſinus meus eſt: mea turpiter oſcula ſumis.
A mihi promiſſo corpore tolle manus.

Increpat rivalem Acontius, jubetque abſtinere ſe ab oſculis & amplexibus Cydippes. Achilles Tatius ita locutus lib. 4. de Amor. Clitoph. & Leucip. Οὐ *μοιχεύσεταί μου τὰ φιλήματα*. *baſia mea non conſtuprabit.*

v. 80. *Et geret in gremio regna ſuperba tuo*] Locutio plane ſimilis proxime antecedentibus: *gremio tuo*, ſcilicet gremio Tibulli, in quo tu olim regnabas. Vide quæ afferimus ad Carmen 2. lib. 4. noſtri poetæ, huc pertinentia. *Regnat in gremio* alicujus, qui ab illo unice amatur, & apud illum omnia poteſt. Eodem modo Propertius lib. 4. Eleg. 7. verbis Cynthiæ vita defunctæ:

Non tamen inſector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.

v. 82. *notet caſus aurea palma meos*] Cenſet Scaliger, emendatione hunc locum indigere, quod palma non ſit opus ubi nulla victoria: conaturque reſtituere *lamna*, ſeu *parma*. Ejus tamen pace dixerim; nihil omnino mutandum eſt; quum hic *palma* non arborem, ſed manum catenis doloſi amoris expeditam ſignificet. id quod oſtendit τὸ *notat*, digitis maxime conveniens.

Hanc tibi fallaci reſolutus amore Tibullus
Dedicat: & grata ſis, dea, mente, rogat.

niens. Vovet igitur Veneri Tibullus manum auream, quæ ſubſequens diſtichon io pariete, vel tabula ſcripſiſſe videatur, quales & oostro tempore in cælitum templis aliquando conſpiciuntur. Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 3. ubi de arte memoriæ copioſe diſſerit, *Et ne forte*, inquit, *in numero locorum falli poſſimus, quintum quemque locum placet notari: quod genus, ſi in quinto loco* manum auream *collocemus*. Vides, hujuſmodi ſimulacra non fuiſſe Romanis peregrina. Meminit & Dio Chryſoſtomus Orat. 8. ὥσπέρ τι ὄφελος ὂν ἀνθρώπῳ χρυσῆν χεῖρα ἢ ἐλεφαντίνην ἔχοντος, ἢ ὀφθαλμοὺς ἀδάμαντος ἢ σμαράγδου. *Quaſi aliqua ejus hominis ſit utilitas qui auream manum aut eburneam habeat, aut oculos ex adamante vel zmaragdo.* Maous pictæ, regum & principum vertices coronantis, meotio apud Iſidorum Peluſiotam Epiſtolar. lib. 3. Scimus alioqui, membra diutioo morbo vexata, ſi deorum ope invocatâ priſtinas vires & ſaoitatem recepiſſent, pingi & ſuſpendi ſolita in fanis & ſacellis: qua de re legendus Auctor Liberi Carmiois Epigr. 37. Verum de tabellis votivis plerique ſcripſerunt; quamobrem ooo eſt conſilii noſtri actum agere. ſatis fuerit, ſuper hoc Tibulli verſiculo quid ſentiremus, aperuiſſe.

v. 84. *& grata ſis, dea, mente, rogat*] Orat ſcilicet ut hæc aureæ palmæ dedicatio tibi, o Venus, grata & accepta ſit.

ELEGIA X.

QUIS fuit horrendos primus qui protulit enſes?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit!

Tunc

ARGUMENTUM ELEGIÆ X. LIBRI I.

Ad bellum iturus militiam deteſtatur, & pacis otia laudat.

VERSU I. *Quis fuit, horrendos primus qui protulit enſes?*] Inventionem ferri, & armorum fabricandorum ſunt qui referant ad Chalybas geotem Ponticam, ſunt qui ad Cyclopas, vel ad Dactylos Idæos. Ceterum querela ſimilis eſt apud Juvenalem Sat. 15. a v. 165.

Aſt homini ferrum letale incude nefanda
Produxiſſe parum eſt, quum raſtra & ſarcula tantum
Adſueti coquere, & marris, ac vomere laſſi
Neſcierint primi gladios extendere fabri.

Sed verbis omnino gravioribus Ludovicus Areoſtus libro XI. Rolandi Furentis conqueritur de inventione pulveris pyrii, eamque, ut probum atque humanum decebat, abominatur. Ea porro quæ a ſollertibus & ingenioſis nova excogitaotur in dies, proprie *proferri* dicuntur. Ita Seneca Ep. 110. *Nihil niſi de nobis queri poſſumus: ea quibus periremus, nolente rerum natura & abſcondente, protulimus*. Qui locus mirifice Tibullum illuſtrat. Plautus, & Cicero, ut plures alios omittam, prævere. Ille Prologo Amphitr. v. 89. *Quaſi vero novum nunc proferatur, Jovem facere hiſtrioniam*. & v. 118. *Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam*. Et Caſina 3. 5. 47. *Hera, atque hæc dolum ex proxumo hunc protulerunt*. Hic autem libro 2. de Oratore .... *Themiſtocles, ad quem quidam doctus homo, atque in primis eruditus, acceſſiſſe dicitur, eique artem memoriæ, quæ tum primum proferebatur, pollicitum eſſe ſe traditurum*. Idem repetit Cicero in Lucullo, non longe ab initio.

v. 2. *ferus, & vere ferreus*] Eodem pacto Ennius apud A. Gellinm lib. 16. c. 10. & apud Nonium io *Proletarius*:

Tunc cædes hominum generi, tunc prœlia nata:
Tunc brevior diræ mortis aperta via eſt.
At nihil ille miſer meruit: nos ad mala noſtra
Vertimus, in ſævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium eſt auri: nec bella fuerunt,
Faginus adſtabat quum ſcyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat; ſomnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec triſtia noſſem
Arma, nec audiſſem corde micante tubam.

Nunc

Proletarius' poplicitus ſcuteiſque, ferroque
Ornatur ferro.

v. 3. *Tunc cædes h. g. t. p. n.*] *Nam*, quod ait Valerius Flaccus lib. 5. Argonaut. v. 145. de Chalybibus,

prius ignoti quam dura cubilia ferri
Eruerent, enſeſque darent; odia ægra ſine armis
Errabant, iræque inopes, & ſegnis Erinnys.

v. 5. *At nihil ille miſer meruit*] Nullam commeritus eſt pœnam, vel reprehenſionem quiſquis ille fuit primus gladiorum inventor; non enim ad hominum, ſed ad ferarum excidium eos protuliſſe videtur. *Miſerum* appellat poeta, quod immerito accuſetur, quod falſi criminis reus agatur. Vere Seneca Natur. Quæſt. lib. 5. cap. ult. *Nihil eſt tam manifeſtæ utilitatis, quod non in contrarium transferat culpa.*

v. 7. *Divitis hoc vitium eſt auri*] Plato lib. 2. de Republica oſtendit, veram bellorum nriginem & cauſſam fuiſſe hominibus immoderatam divitiarum cupiditatem, quum ſcilicet rerum neceſſariarum fines prætergreſſi, ut plus haberent quam ſatis eſſet, regiones vicinorum invadere cœperunt. Manilius 5. Aſtronomic. v. 16.

Heſperidumque vigil cuſtos, & divitis auri.

v. 8. *Faginus ſcyphus*] Pro *fagineus*, *de fago*. Ita, præter Virgilium, Silius Italicus lib. 7. Punicorum v. 183.

Fagina pampineo ſpumarunt pocula ſucco.

Ovidius Epiſt. Canaces v. 76. dixit *fraxina virga*, pro *fraxinea*. Bene animadvertit Broukhuſius, fuiſſe hujuſmodi pocula in ſacra ſupellectile. Iccirco Tibullus dapum facit mentionem; daps enim proprie ſignificabat carnem victimæ occiſæ diis oblatam.

v. 9. *ſomnumque petebat*] Somno ſe dabat. *Repetere ſomnum* dixit Cicero lib. 13. Epiſtolar. ad Atticum: *Quum repetito ſomno ſimul cum Sole experrectus eſſem.*

v. 10. *varias inter oves*] Albas puta, nigras, maculoſas. Nicolaus Heinſius emendat, *faturas*; quam lectionem adoptat Broukhuſius.

v. 11. *Tunc mihi vita foret*] Subaudi *utinam*. *foret* autem dicit, pro *fuiſſet*, metaplaſmo poetico. Vitavit fortaſſe Tibullus vocem *fuiſſet*, in qua ſignificatio mortis non obſcura.

ibid. *vulgi nec triſtia noſſem Arma*] Nimirum, quibus nunc vulgo utimur: vel, quod verius exiſtimo, quæ vulgaribus hominibus conveniunt, non ſapientibus; qui parvo cnntenti, nullam plerumque habent cauſſam bellandi.

v. 12. *corde micante*] Tremente, ſubſiliente, palpitante. Ovidius lib. 3. Artis v. 722.

Pulſantur trepidi corde micante ſinus.

Idem lib. 3. Faſtnrum v. 338.

Et fert ſuſpenſos corde micante gradus.

Plautus Aulul. 4. 3. 3.

Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare.

Cicero lib. 2. de Nat. Deorum; *Jam vero venæ, & arteriæ micare non deſinunt quaſi quodam igneo motu.* Venas, & arterias cordis motum ſequi, noverunt filii medicorum.

v. 13.

Nunc ad bella trahor: & jam quis forſitan hoſtis
Hæſura in noſtro tela gerit latere.
Sed patrii ſervate Lares: aluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros quum tener ante pedes.
Neu pudeat priſco vos eſſe e ſtipite factos:
Sic veteris ſedes incoluiſtis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.
Hic placatus erat, ſeu quis libaverat uvam,
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipſe ferebat,
Poſtque comes purum filia parva favum.

At

v. 13. *Nunc ad bella trahor*] Scilicet invitus, & detrectans.

ibid. *quis ſ. hoſtis*] *Quis*, pro *aliquis*.

v. 14. *Hæſura in n. tela gerit latere*] Ovidius pariter lib. 1. Triſt. Eleg. 2.

ego perditus enſem
Hæſurum jugulo jam puto jamque meo.

Lucanus lib. 6. v. 195.

Quid nunc, veſani, jaculis, levibuſque ſagittis
Perditis hæſuros numquam vitalibus ictus?

Sic & Cicero loqui ſolet. Orat. in Vatinium: *Omniaque mea tela ſic in te conjicientur, ut nemo per tuum latus, quod ſoles dicere, ſaucietur. in tuis pulmonibus ac viſceribus hærebunt.* Idem pro Domo ſua: *In me omnia, quæ ego quondam retuderam, conjurationis nefariæ tela adhæſerunt.* Pulchre Homerus lib. 11. Iliados v. 570. & ſequu.

τὰ δὲ δοῦρα
Ἐν γαίῃ ἵσταντο λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι.
Stant terra defixa, optantque in corpore figi Spicula.

Affert hunc verſum Ariſtoteles lib. 3. Rhetoric.

v. 15. *Sed patrii ſervate Lares*] Commendat ſe Laribus domeſticis, ϑεοῖς nimirum πατρῴοις, ut, quandoquidem ad bellum iturus eſt; a latere ſuo tela hoſtium detorqueant. Infra v. 25.

At nobis ærata, Lares, depellite tela.

ibid. *aluiſtis & iidem*] Alumnus enim veſter ſum. Vos me puſillum puerum educaviſtis, ac tamquam in gremio foviſtis.

v. 16. *Curſarem veſtros q. tener ante pedes*] Luſus pueriles commemorat; quod valde παθητικῶς. Illud Horatii non plane diſſimile Epodo 2. v. 65.

Poſitoſque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares.

Nam Lares in foco præcipue ſtatuebantur, & colebantur.

v. 20. *Stabat in e. ligneus æ. deus*] Graviſſime Minucius Felix in Octavio, adverſus ridiculam gentium ſuperſtitionem: *Deus enim ligneus, rogi fortaſſe, vel infelicis ſtipitis portio, ſuſpenditur, cæditur, dolatur, runcinatur: & deus æreus, vel argenteus de immundo vaſculo, ut ſæpius factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis, & incudibus figuratur: & lapideus cæditur, ſcalpitur, & ab impurato homine levigatur. Stipes infelix* Minucio, ut hoc obiter moneam; videtur eſſe crux, quæ ſervorum hominum & viliſſimorum ſupplicium erat.

v. 22. *ſpicea ſerta*] Corona ſpicea Cereris propria fuit: ſed & Cererem diis domeſticis, & Laribus ruſticis annumerabant.

v. 24. *Poſtque comes purum filia parva favum*] Ovidius quoque lib. 2. Faſt. v. 651. in feſtis Terminalibus:

Inde, ubi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parva favos.

v. 25.

Digitized by Google

At nobis ærata, Lares, depellite tela:
  Hoſtia erit plena ruſtica porcus hara.
Hanc pura cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
  Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.
Sic placeam vobis. alius ſit fortis in armis,
  Sternat & adverſos Marte favente duces.
Ut mihi potanti poſſit ſua dicere facta
  Miles, & in menſa pingere caſtra mero.
Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
  Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Non ſeges eſt infra, non vinea culta; ſed audax
  Cerberus, & Stygiæ navita turpis aquæ.

Illic

v. 25. *ærata tela*] Haſtæ ligneæ ſuperinducto ære. Vel *ærata* uſurpavit pro *ferrata;* fortaſſe in honorem antiquitatis. Nam, ſi Lucretium audimus, lib. 5. v. 1286.

Et prior æris erat quam ferri cognitus uſus:
Quo facilis magis eſt natura, & copia major.
Ære ſolum terræ tractabant, æreque belli
Miſcebant fluctus, & volnera vaſta ferebant.

Paullo poſt:

Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenæ,
Et ferro cœpere ſolum proſcindere terræ;
Exæquataque ſunt creperi certamina belli.

Quamobrem in deſcriptionibus prœliorum Homericis mentionem τῦ χαλκῦ ſæpius fieri audias.

v. 26. *Hoſtia erit plenâ ruſtica porcus harâ*] Sic Ovidius l. 3. Amor. Eleg. 13.

Et vituli nondum metuenda fronte minaces,
  Et minor ex humili victima porcus harâ.

Carmen quoque in Priapum 65.

Hic tibi qui roſtro creſcentia lilia merſit,
  Cæditur e tepidâ victima porcus harâ.

Tirones poeſeos animadvertant hæc tria epitheta, *plenâ*, *humili*, *tepidâ*, ut copiam diſcant & proprietatem. In hoc Tibulli verſiculo nonnulli legunt *myſtica*: teſtatur tamen Achilles Statius, in omnibus codd. mss. *ruſtica* liquido exſtare; quod Broukhuſio & mihi magis placet.

v. 27. *pura cum veſte*] Pura veſtis appellabatur in ſacris ea quæ neque funeſta, neque fulgurita eſſet, neque maculam haberet ex homine mortuo; teſtibus Pompejo Feſto, & Servio Grammatico ad librum 4. & 12. Æneidos. Fuit autem linea, & purpurea.

ibid. *myrtoque caniſtra Vincta geram*] Myrtea corona Lares donabantur; quod vel ex Horatio conſtat lib. 3. Ode 23.

v. 32. *in menſa pingere caſtra mero*] Quod facile fuit in orbibus menſarum politis, & accurate levigatis. Vide Ovidium Epiſt. Penelopes. Noſter ſuperius Eleg. 7.

Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
  Ne trahat, & menſæ ducat in orbe notas.

v. 33. *Quis furor eſt a. bellis arceſſere mortem?*] Pulchre in hanc ſententiam Boethius de Conſol. Philoſophiæ l. 4. Metro 4.

Quid tantos juvat excitare motus,
  Et propria fatum ſollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipſa
  Sponte ſua, volucres nec remoratur equos.

Heſiodus ἐν ἔργοις v. 102. dixerat idem de morbis:

Νῦσοι δ᾽ ἀνθρώποισιν ἐφ᾽ ἡμέρῃ αἱ δ᾽ ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι.
Morbi autem hominibus tam interdiu, quam noctu,
Ultro adveniunt, mala mortalibus ferentes.

v. 35. *Non ſeges eſt infra, non vinea culta*] Qui ſunt apud inferos, morte obita, carent bonis omnibus quibus vivi gaude-

mus:

Illic exeſiſque genis, uſtoque capillo
Errat ad obſcuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic eſt, quem prole parata
Occupat in parva pigra ſenecta caſa!
Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos;
Et calidam ſeſſo comparat uxor aquam.
Sic ego ſim, liceatque caput candeſcere canis,
Temporis & priſci facta referre ſenem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos ſub juga curva boves.

Pax

mus: non ſementem faciunt, non ſerunt aut excolunt vites.

v. 37. *exeſiſque genis*] Larvæ mortuorum fingebantur genis excavatis, carne ſcilicet exciſa, *σώμασι σκελετοῖς* quamſimillimæ. Ovidius Ibide v. 145.

Tunc quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Inſequar & vultus oſſea forma tuos.

ibid. *uſtoque capillo*] Calvas præterea ſibi fingebant mortuorum imagines, comis igne rogi penitus abſumtis. Vide Lucianum in Dialogo Nirei, Diogenis, ac Therſitæ.

v. 39. *Quam potius laudandus hic eſt*] Mos olim erat, ut ſtrenui milites, qui egregium aliquod facinus edidiſſent, ab imperatoribus pro concione laudarentur, & præmiis donarentur: ad hunc morem Tibullus reſpiciens, lepide affirmat, laudandum potius eſſe, qui procul a belli periculis, pacis otio fruitur, atque in eo conſeneſcit.

ibid. *prole parata*] Liberis ex conjuge ſuſceptis.

v. 40. *Occupat in p. pigra ſenecta c.*] Seneca Hercule Furente v. 198.

Venit ad pigros cana ſenectus;
Humilique loco, ſed certa ſedet
Sordida parvæ fortuna domus.

Idem lib. 5. Nat. Quæſt. cap. ult. *Itaque eamus in pelagus, & vocemus in nos fata ceſſantia. Miſeri, quid quæritis? mortem, quæ ubique ſupereſt! Petet illa vos & ex lectulo; ſed ubique innocentes petat. Occupabit vos in veſtra domo: ſed occupet nullum molientes malum.* Contraria Tibullo Pindarus loquitur Olympiorum Ode 1. v. 131.

Θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα,
Τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ
Καθήμενος ἕψοι μάταν, ἁπάντων
Καλῶν ἄμμορος;
— — — Mori autem quibus neceſſe,
Quidnam aliquis ignobile ſenium in tenebris
Sedens coquat fruſtra, omnium
Honeſtorum expers?

v. 42. *Et calidam ſeſſo comparat uxor aquam*] Balneo aquæ calidæ laſſitudo deponitur; quod articuli & junctutæ, quas ob motum ac laborem humor ille roſcidus defecerat, remolleſcant, & rurſum agiles fiant. *Comparat*, pro *parat*: verbum compoſitum, loco ſimplicis. Horatius Tibullianam ſententiam ſic expreſſit Epodo 2. v. 42.

Pernicis uxor Appuli;
Sacrum vetuſtis exſtruat lignis focum
Laſſi ſub adventum viri.

v. 43. *liceatque caput candeſcere canis*] Quod militibus raro licet; qui plerumque flavo capillo moriuntur.

v. 44. *Temporis & priſci facta referre ſenem*] Locutio ſimilis apud Livium lib. 24. Hiſtor. *Referebant ſenes, ſic Maximum Rullum cum P. Decio ad bellum Gallicum, ſic poſtea Papirium & Carvilium adverſus Samnites, Brutioſque, & Lucanum cum Tarentino populum, conſules declaratos.* Noſter infra lib. 3. Eleg. 5.

Et referam pueris tempora priſca ſenex.

v. 46. *Duxit araturos ſ. j. c. boves*] Lipſii vetus liber, *aratores*: quæ lectio mirum in modum arridet Broukhuſio. Bovem diei

ara-

Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque nitent: at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.

Ruſti-

aratorem, atque eleganter quidem, fatemur. Sed eadem epitheta non omnibus locis conveniunt. *Aratores* boves tum demum appellari potuerunt, quum diuturnus eorum uſus in arando fuiſſet: notat enim ea vox longam arandi conſuetudinem. At quo tempore *Pax candida primum* eos *duxit ſub juga*, nondum *aratores* fuerunt, ſed tantum *araturi*. Certe de aureo ſæculo idem Tibullus Eleg. 3. lib. 1.

Illo non validus ſubiit juga tempore taurus.

Vulgata igitur lectio retinenda omnino eſt. Favere aliquo modo poſſet Broukhuſio Ciceronis locus e libro 2. de Nat. Deor. *Scite enim Chryſippus, ... præter mundum cetera omnia aliorum cauſsâ eſſe generata .... ut equum vehendi cauſsâ*, arandi *bovem*, *venandi & cuſtodiendi canem*. Sed hic animalium uſus, naturæ conveniens, tempore ac experientia demum innotuit.

v. 48. *teſta paterna*] Vina enim a patre condita filius promebat, quum diu ſervarentur. Ita *paternum ſalinum* dixit Horatius Ode 16. lib. 2.

v. 49. *Pace bidens vomerque nitent*] Hanc ſententiam Ovidius more ſuo copioſius expreſſit, a Tibulli tamen veſtigiis non diſcedens, lib. 4. Faſt. v. 927.

Sarcula nunc, duruſque bidens, & vomer aduncus,
Ruris opes niteant: inquinet arma ſitus.
Conatuſque aliquis vagina ducere ferrum,
Adſtrictum longa ſentiat eſſe mora.

Huc pertinent verſus Virgilii ex 1. Georg. v. 45.

Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

Ad quem locum Servius Grammaticus hoc teſtimonium affert Catonis in Oratione ad filium: *Vir bonus eſt, Marce fili, colendi peritus, cujus ferramenta ſplendent*. Eodem pacto Plautus Aulul. 4. 1. 16. dixerat:

Nec ſuâ operâ rediget umquam in ſplendorem compedes.

Nam compedes plerumque erant ferreæ, ac pedibus ſervorum circumdatæ, motu & attritu depoſita rubigine relucebant. Porro *enitere* atque *obſoleſcere*, Ciceroni contraria ſunt lib. 1. de Inventione: *Mihi videntur poſtea cetera ſtudia recta atque honeſta, per otium concelebrata ab optimis enituiſſe: hoc vero a pleriſque eorum deſertum obſolevisse*, &c. *Obſoleſcere* igitur eſt *recondi*, & quaſi *ſitum contrahere*.

v. 50. *occupat arma ſitus*] Seneca pariter Thyeſte v. 566.

Quum manum invitus ſequeretur enſis,
Sordidus pacis vitio quietæ.

Silius quoque Italicus lib. 7. Punic. v. 534.

Detergete ſitum ferro, multoque cruore
Enſatiate, viri, plenos rubiginis enſes.

Putide, ut ſolet, Florus lib. 2. Hiſt. Rom. cap. 3. *Quippe jam Ligures .... laceſſebant ...... deo quodam aſſidue incitante, ne rubiginem ſcilicet ac ſitum arma ſentirent*. Horatius paullo aliter eamdem ſententiam expreſſerat Sat. 1. lib. 2.

Juppiter, ut pereat poſitum rubigine telum.

Græci præiverant. Elegantiarum pater Homerus lib. 22. Odyſſeæ v. 184. memorat *σάκος εὐρὺ, γέρον, πεπαλαγμένον ἄζῃ. ſcutum latum, antiquum, inquinatum ſiccitate*. Pulchre vero Theocritus Idyllio 16. v. 96. *ἀράχνια δ' εἰς ὅπλ' ἀράχναι λεπτὰ διαστήσαιντο. telas in armis araneæ Tenues expandant*. Vide & Plutarchum in Vita Niciæ. Contra Ludovicus Areoſtus altero quinque librorum quos Rolando Furenti adjunxit, ſtrophe 46.

Gli elmi, gli arneſi, le corazze, e ſcudi,
Che poco dianzi fur meſſi da parte,
E di lor fatte ampie officine ai ſtudi
De l' ingegnoſe aragne era gran parte;
Sì che forſe tornar in ſu l' incudi
Temeano, e farſi ordigni a più vil' arte:
Or' imbruniti, fuor d' ogni timore,
Godeano eſſer ripoſti al primo onore.

v. 51.

Ruſticus e lucoque vehit, male ſobrius ipſe,
  Uxorem plauſtro progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, ſciſſoſque capillos
  Femina, perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras ſubtuſa genas: ſed victor & ipſe
  Flet, ſibi dementes tam valuiſſe manus.
At laſcivus Amor rixæ mala verba miniſtrat,
  Inter & iratum lentus utrumque ſedet.

Ah

v. 51. *e luco*] Ubi paullo ante cum uxore ac liberis genio indulſerat. Nam convivia in lucis agitabantur.

ibid. *male ſobrius ipſe*] Hoc pronomen Tibullo eſt in deliciis: & ſane magnam interdum efficacitatem habet.

v. 52. *Uxorem plauſtro progeniemque domum*] Quod ſimplicium temporum, itemque agreſtium hominum & pauperum fuit. Pharao Ægypti rex ita loquitur ad Joſephum cap. 45. Geneſeos v. 19. *Præcipe etiam ut tollant plauſtra de terra Ægypti, ad ſubvectionem parvulorum ſuorum, ac conjugum*. Livius lib. 5. Hiſt. *In eo clivo eas* (virgines Veſtales) *quum L. Albinius de plebe Romana homo conſpexiſſet, plauſtro conjugem ac liberos vehens ..... deſcendere uxorem ac liberos juſſit, virgines ſacraque in plauſtrum impoſuit: & Cære, quo iter ſacerdotibus erat, pervexit*. Vide & Florum lib. 1. cap. 13. Præterea Quinctilianus Inſtit. Orat. lib. 8. cap. 3. *An, quum dicit in Piſonem Cicero*, Quum tibi tota cognatio in ſarraco advehatur, *incidiſſe videtur in ſordidum nomen, non eo contemtum hominis, quem deſtructum volebat, auxiſſe? Plauſtrum & ſarracum* eamdem rem ſignificabant: ſed *ſarracum* vox humilior & ſordidior.

v. 53. *Veneris bella*] Quæ & diurna, & nocturna eſſe poſſunt. de his Maro Æneid. lib. 11. v. 736.

At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella.

v. 54. *perfractas fores*] Quas ætate, vinoque fervidi adoleſcentes vectibus interdum labefactabant, & a cardinibus dimovebant. Horatius Ode 26. lib. 3.

— — — hic hic ponite lucida
Funalia, & vectes, & arcus
Oppoſitis foribus minaces.

Hanc laſciviam & ferociam excuſat Micio, ſenex nimis indulgens, apud Terentium Adelph. 1. 2. 21.

Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare: non eſt: neque fores
Effringere.

v. 57. *At laſcivus Amor r. m. v. m.* &c.] Locus pulcherrimus, & mira Cupidinis pictura, qui excitata rixa inter amatorem & puellam, de illa ſibi ludos facit, neque ſedare curat, ſed potius auget, & acuit. Simillimum eſt illud Ciceronis Orat. in Piſonem: *At tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam prope a meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, ſedebas, non exſtinctor, ſed auctor incendii, & ardentes faces furiis Clodianis pæne ipſe conſul miniſtrabas*. Diceres, Tibullum huc animum advertiſſe. Neque diſcrepant illa ex Orat. pro Sextio: *Iiſdem conſulibus ſedentibus, atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet*. Imago non diſſimilis apud Senecam lib. 2. de Ira cap. 29. *Eſt ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, ut ex longinquo tutoque ſpeculetur quos colliſit*. Denique apud Virgilium lib. 10. Æneid. v. 405.

Ac velut optato, ventis æſtate coortis,
Diſperſa immittit ſilvis incendia paſtor:
Correptis ſubito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania campos:
Ille ſedens victor flammas deſpectat ovantis.

Quibus omnibus præivit Homerus Iliados 11. v. 72.

— — — οἱ δὲ, λύκοι ὥς,
Θῦνον. Ἔρις δ' ἄρ' ἔχαιρε πολύστονος εἰσορόωσα.

— — — illi, lupi veluti,

Rue-

Ah lapis eſt, ferrumque, ſuam quicumque puellam
 Verberat. e cælo deripit ille deos.
Sit ſatis, e membris tenuem reſcindere veſtem:
 Sit ſatis, ornatus diſſoluiſſe comæ.
Sit lacrimas moviſſe ſatis. quater ille beatus,
 Quoi tenera irato flere puella poteſt.
Sed manibus qui ſævus erit: ſcutumque, ſudemque
 Is gerat, & miti ſit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni, ſpicamque teneto:
 Perpluat & pomis candidus ante ſinus.

Ruebant: Diſcordia autem gaudebat luctuoſa aſpiciens.

v. 59. *Ab lapis eſt, ferrumque, ſ. q. puellam Verberat*] Elegiacus poeta Tibullus, propoſiti argumenti pæne oblitus, & ingenio animi ſui facile obſecutus, πρὸς ἐρωτικὰ παρεκβαίνει. Duri & crudeles homines non ſolum cum ferro & lapide comparari ſolent, ſed etiam ferrei & lapidei vocantur, immo, ut hic apud noſtrum, lapis & ferrum. Æſchylus in Prometheo vincto:

Σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος
Ὅστις, Προμηθεῦ, σοῖσιν οὐ ξυνασχαλᾷ μόχθοις.

Ferreo animo, & ex petris effectus fuerit,
Qui, Promethea, non condoleat iſtis tuis Ærumnis.

v. 60. *e cælo deripit ille deos*] Crimine impietatis accuſari poteſt, ac violatæ religionis, quaſi, gigantum more, cælo deos exturbare voluerit. Lepide Ludovicus Arenſtus, poeta φιλογύνης, Cantu 5. Rolandi Furentis, ſtrophe 3.

Parmi non ſol gran mal, ma che l' uom faccia
Contra natura, e ſia di Dio ribello,
Chi s' induce a percuotere la faccia
Di bella donna, o romperle un capello.
Ma chi le dà veneno, o chi le caccia
L' alma dal corpo con laccio, o coltello,
Ch' uomo ſia quel, non crederò in eterno,
Ma in viſta umana un ſpirto dell' inferno.

Ceterum, *e cælo deripere deos*, videtur locutio fuiſſe παροιμιακὴ, & vulgi ſermone trita, quum de atroci aliquo facinore mentio facta eſſet.

v. 61. *e membris tenuem reſcindere veſtem*] Puta veſtem Coam, pellucidam, ac tenuiſſimam, qua fere utebantur meretrices. *Reſcindere veſtem e membris*, modus eſt loquendi rarior, & animadverſione dignus.

v. 62. *ornatus diſſoluiſſe comæ*] *Ornato capillo procedere*, dixit ſuaviſſimus Propertius lib. 1. Eleg. 2. Hinc *ornatrix*; quam Itali dicimus *acconciateſte*.

v. 64. *Quoi t. irato flere puella p.*] Aſſentior Douzæ, Paſſeratio, Broukhuſio ita legentibus. Vulgati codices, *quo*.

v. 65. *ſcutumque, ſudemque Is gerat*] Si tantopere cupidus eſt ſæviendi, militiæ durum opus exerceat. Venuſte Propertius Eleg. 5. lib. 4.

Nec tibi diſpliceat miles, non factus amori.

v. 68. *candidus ſinus*] Intellige ſinum veſtis albæ, qua Pacem deam induebant. Superius, hac eadem Elegia v. 45. dixit, *Pax candida*. Sic & *Fidem albo panno velatam* induxit poeta Venuſinus Ode 35. l. 1.

AL-

ALBII TIBULLI
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

QUISQUIS ades, faveas. fruges luſtramus, & agros,
Ritus ut a priſco traditus exſtat avo.

Bac-

ARGUMENTUM ELEGIÆ I. LIBRI II.

Sacrum ambarvale deſcribit: rura & ruris deos laudat; quibus mitioris victus, ædificandi, boves domandi, arbores inſerendi, hortos colendi, vindemiæ ac meſſis faciendæ, mellis colligendi, cantus præterea, ſaltationis, rudimentorum poeticorum, corollarum, lanificii tribuit inventionem. Cupidinem denique diis ruſticis acceſet, more ſuo *παρέκβασιν ἐρωτικὴν* ſuaviſſimam adjungens.

VERSU I. *fruges luſtramus, & agros*] Sacrum ambarvale dictum eſt ab arvis ambiendis: ruſtici enim ſtato anni tempore, puta maturis jam frugibus, victimam circum prædia ſua ducebant, deos agrorum præſides orantes, uti volentes propitii ſegetem, vineam, pecus, liberos, ſamiliam ipſis fortunarent: atque ita diem illum potu & cantu hilares tranſigebant. Vide Catonem de R. R. cap. 141. Virgilium quoque l. 1. Georg. At Joannes Antonius Aſtorius J. C. Venetus, vir, dum viveret, humaniſſimus, atque elegantis ingenii, clarus ob inſignem de Diis Cabiris editum libellum, monuerat me olim per epiſtolam, Petrum Marcellinum Corradinum, eo tempore Summi Pontificis Auditorem, ut vocant, poſtea S. R. E. Cardinalem, in opere quod inſcripſit: *Vetus Latium profanum & ſacrum* lib. 1. cap. 19. pag. 261. dubitare, an Tibullus hac Elegia ſacrum ambarvale deſcribat, quum in pleriſque a Virgilio diſſentire videatur, & quædam addat, de quibus ille non loquitur. Ego vero (pace dicam tanti viri) M. Antonium Muretum, Achillem Statium, Ludovicum de la Cerda, Fridericum Taubmannum, duos priores ad Tibullum, poſteriores ad Virgilium, ſecutus, communem ſententiam tueri malo. Quamvis enim poeta noſter ſacrum hoc pluribus fortaſſe deſcribat, quam Virgilius; non ideo efficit ut dubitemus, an ſacrum ambarvale ſignificare voluerit: quum præſertim cetera mire conveniant. Alterum poetam cum altero conferamus. Virgilius: *Sacra refer Cereri — — — Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret. — — — Et Cererem clamore vocent in tecta.* Tibullus: *Spicis tempora cinge Ceres.* dixit autem præcedenti verſiculo: *Bacche veni*; quod ſcilicet agricolæ Bacchum & Cererem una invocarent. Columella, de cultu hortorum, lib. 10. prope finem:

Et te Mænalium, te Bacchum, teque Lyæum,
Lenæumque patrem canimus ſub tecta vocantes.

Non diffiteor tamen, eo loco lætitiam autumnalis temporis a Columella deſcribi: quum ſacrum ambarvale vere fieri ſolitum eſſet. Virgilius: *Tunc agni pingues — —.* Tibullus: *Cernite, fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras.* Pingues enim victimæ diis cædebantur, & pabulo uberrimo ſaginatæ. Virgilius: — — *& tunc molliſſima vina.* Tibullus: *Vina diem celebrent. non feſta luce madere Eſt rubor, errantes & male ferre pedes.* Virgilius: *Terque novas circum felix eat*

hoſtia

Digitized by Google

Bacche veni, dulciſque tuis e cornibus uva
Pendeat: & ſpicis tempora cinge Ceres.
Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator;
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.

Sol-

hoſtia fruges. Tibullus: -- -- *fruges luſtramus, & agros*. At quid eſt luſtrare, niſi expiare cireumeundo? Teſtis ipſe Virgilius lib. 6. Æneid. v. 229.

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ:
Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.

Adde illud poetæ noſtri:

Vos mala de noſtris pellite limitibus.

videlicet, exterminate, propulſate a finibus agrorum, circum quos victimam ducimus. Broukhuſius denique communi ſententiæ calculum addit; cujus afferam verba: *In tribus Vaticanis, unoque Anglicano, erat hoc lemma:* SACRVM AMBARVALE. *quod & Perreji & Lipſii excerpta agnoſcebant*. Sed in re manifeſta diutius immorari piget. Si quis tamen dubitare malit, id magno auctore facete poterit.

v. 2. *Ritus ut a p. traditus exſtat avo*] Avitam in diis colendis, & quaſi per manus traditam conſuetudinem veteres Græci & Romani ſumma religione ſervabant. Iſocrates πρὸς Νικόκλεα: Τὰ περὶ τοὺς θεοὺς ποίει μὲν, ὡς οἱ πρόγονοι κατέδειξαν. *Rem divinam ita facito, ut majores monſtravere*. Idem in Arenpagitieo: Οὐ γὰρ ἐν ταῖς πολυτελείαις ἐνόμιζον εἶναι τὴν εὐσέβειαν, ἀλλ' ἐν τῷ μηδὲν κινεῖν ὧν αὐτοῖς οἱ πρόγονοι παρέδοσαν. h. e. interprete Wolfio: *Nec enim magnitudine ſumtuum religionem metiebantur: ſed eorum rituum obſervatione quos eis majores tradidiſſent*. Cicero lib. 3. de Nat. Deor. verbis Cnttæ Academici ad Balbum Stoicum: *Sed quia non confidebas tam eſſe id perſpicuum, quam tu velis, propterea multis argumentis, deos eſſe docere voluiſti. mihi enim unum ſatis erat, ita nobis majores noſtros tradidiſſe*. Idem lib. 2. de Legibus: *Ritus familiæ, patrumque ſervanto*. Locum uberinrem ex eodem libro attulit Broukhuſius. Hinc illæ querelæ Symmachi præfecti urbis, pro veteri deorum cultu adverſus Chriſtianns: *Jam ſi longa ætas auctoritatem religioni facit, ſervanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſequuti ſunt feliciter ſuos. Romam nunc putemus aſſiſtere, atque his vobiſcum agere ſermonibus: Optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit: utar cæremoniis avitis, neque enim pœnitet: vivam meo more, quia libera ſum*. Cui ſcite Prudentius reſpondet lib. 1. v. 197.

Ut ſemel obſedit gentilia pectora patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus: tener horruit heres,
Et coluit quidquid ſibimet venerabile cani
Monſtrarant atavi. puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit.

Eadem querebatur Cæcilius apud Minucium Felicem in Octavin: *Quum igitur*, ajebat, *aut fortuna certa, aut incerta natura ſit; quanto venerabilius ac melius antiſtitem veritatis majorum excipere diſciplinam? religiones traditas colere? deos, quos a parentibus ante imbutus es timere quam noſſe familiarius, adorare? nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere?* Hanc ſtultam populorum credulitatem ſic reprehendit Lactantius lib. 5. Divin. Inſtit. cap. 29. *A quibus ſi perſuaſionis ejus rationem requiras, nullam poſſint reddere, ſed ad majorum judicia confugiant, quod illi ſapientes fuerint, illi probaverint, illi ſcierint quid eſſet optimum: ſeque ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt.*

v. 3. *tuis e cornibus uva Pendeat*] Cornua Baccho tribuunt, & anrea quidem, Hnratius Ode 19. lib. 2. Statius Papinius lib. 3. Silv. 3. v. 60. & alii apud Lilium Gregorium Gyraldum Syntagm. 8. Hiſt. Deor. in *Bugene*. Hujuſmodi cornua nihil aliud fuiſſe crediderim, quam certum capillnrum ornatum, qui cornuum figuram exhiberet. Dicta vero ſunt aurea, quod intonſa Bacchi coma flavo colore eſſet.

v. 5. *Luce ſacra requieſcat humus, r. a.*] Non omne tamen opus diebus feſtis intermitte-

Solvite vincla jugis: nunc ad præſepia debent
  Plena coronato ſtare boves capite.
Omnia ſint operata deo: non audeat ulla
  Lanificam penſis impoſuiſſe manum.
Vos quoque abeſſe procul jubeo, (diſcedite ab aris)
  Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Caſta

mittere cogebantur agricolæ, ſed ea tantum quæ duriorem laborem efficerent. nam, teſte Catone cap. 2. R. R. *Per ferias* omnino licebat *foſſas veteres tergeri*, *viam publicam muniri*, *vepres recidi*, *hortum fodiri*, *pratum purgari*, *virgas vinciri*, *ſpinas runcari*, *expinſi far*, *mundicias fieri*. De iis quæ diebus feſtis rure fieri fas erat, legendi Virgilius 1. Georg. a v. 268. Columella lib. 2. c. 22. & Macrobius Saturnal. l. 1. cap. 16. Ideo Tibullus *grave opus* dumtaxat *ceſſare* jubet.

v. 8. *coronato ſ. boves capite*] Sicuti boves coronabantur ſacris ambarvalibus, tantiſper intermiſſo labore, ita & aliis feriis alia animalia, quæ ab quotidiano labore ceſſarent. In Veſtæ ſolennibus mos erat aſellos coronari, quibus ad molas circumagendas utebantur. Vide Propertium lib. 4. Eleg. 1. & Ovidium lib. 6. Faſt. v. 311. Conſualibus præterea non ſolum equi, ſed & aſini oroabantur corollis: quod teſtatur Plutarchus in Quæſtionibus Romanis. Canes etiam in feſto Dianæ Idibus Auguſti, quo die veteres a venatione abſtinebant. Gratius, poeta Ovidio σύγχρονος, Cynegetici v. 483.

Icirco aeriis molimur compita lucis,
Spicataſque faces ſacrum, ad nemora alta Dianæ
Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore.

Vide & Papinium Statium lib. 3. Silv. 1. v. 57. Non ſolum autem animalia, ſed & aliæ res pari honore interdum gaudebant. De ſignis militaribus Silius Italicus Punicorum lib. 15. v. 419.

Forte dies priſcum Tyriis ſolemnis honorem
Retulerat, quo, primum orſi Karthaginis altæ
Fundamenta, novam cœpere mapalibus urbem.
Et lætus, repetens gentis primordia, ductor
Feſta coronatis agitabat gaudia ſignis.

Hunc morem illuſtrat Lipſius lib. 4. de Militia Rom. Dial. 5. De navibus in ſtatione Virgilius lib. 1. Georg. v. 303. & lib. 4. Æneid. v. 418.

Ceu preſſæ quum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

v. 9. *Omnia ſint operata deo*] *Deo*, pro diis pluribus. *Operari*, verbum fuit ſacrorum. Propertius l. 2. Eleg. 33.

Triſtia jam redeunt iterum ſolennia nobis:
Cynthia jam noctes eſt operata decem.

Servius ad lib. 1. Georg. v. 268. *Feriæ enim operæ deorum creditæ ſunt*.

v. 10. *Lanificam penſis impoſuiſſe manum*] Ovidius Tibullum imitatur, ut ſolet, Epiſt. Dejaniræ v. 75.

Non fugit, Alcide, victricem mille laborum
Raſilibus calathis impoſuiſſe manum?
Craſſaque robuſto deducis pollice fila,
Æquaque famoſæ penſa rependis heræ?

v. 11. *Vos quoque abeſſe procul jubeo*, &c.] Apud Demoſthenem Oratione adverſus Neæram, ita jurat miniſtra ſacrificiorum Bacchi: Ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας. καὶ τὰ θεοίνια, καὶ Ιοβακχεῖα γεραίρω τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. h. e. *Pia & pura & munda ſum a ceteris immundis, & a viri congreſſu, & divinum natalem & Iobacchea celebro Baccho, patrio ritu, & legitimis temporibus*. Immo neque oſculari licebat, rem divinam facturis. E Plauti Pœnulo id colligas 1. 2. 192. ubi Agoraſtocles meretriculam Adelphaſium ſic alloquitur: *Da ergo, ut credam, ſavium*. Hæc autem reſpondet: *Mox dabo, quum ab re divina rediero*. Priapus tamen, deus vappa, & minime ſupercilioſus, coli ſe patiebatur etiam ab heſterna Venere inquinatis.

Caſta placent ſuperis. pura cum veſte venite,
  Et manibus puris ſumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras,
  Vinctaque poſt olea candida turba comas.
Dii patrii, purgamus agros, purgamus agreſtes.
  Vos mala de noſtris pellite limitibus.
Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis,
  Neu timeat celeres ſegnior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confiſus ruſticus agris
  Ingeret ardenti grandia ligna foco.
Turbaque vernarum, ſaturi bona ſigna coloni,
  Ludet, & ex virgis exſtruet ante caſas.

Even-

tis. Vide Carmeo Liberum 13.

v. 13. *pura cum veſte*] Homerus lib. 17. Odyſſeæ v. 48. inducit Penelopen, quæ rem divinam factura eſſet, καθαρὰ χροῒ εἵματ' ἑλοῦσα. *puras corpori veſtes ſumentem*. Etiam Julius Pollux Onomaſtici lib. 1. c. 1. mentionem facit τῷ προσιέναι πρὸς τοὺς θεοὺς ὑπὸ νεοπλυνεῖ ἐσθῆτι, *cum veſte recens lota*. Pura veſtis, ut docet Servius ad lib. 12. Æneid. habebatur, quæ neque funeſta eſſet, neque fulgurita, neque maculam ex humano cadavere contraxiſſet. Vide Barnabam Briſſonium lib. 1. Formular.

v. 14. *manibus puris*] T. Livius lib. 45. Hiſtor. *Quum omnis præfatio ſacrorum, eos quibus non ſint puræ manus, ſacris arceat; vos penetralia veſtra contaminari cruento latronis corpore ſinetis?*

v. 15. *fulgentes ad aras*] In quibus nimirum ignis accenſus ad victimam comburendam.

ibid. *ut eat ſacer agnus ad aras*] Eat ſcilicet ſponte ſua, non invitus, ac tractus. Nam quæ obluctabantur hoſtiæ, ac vi trahebantur, malum portendebant. Solutas igitur hoſtias incedere, mos fuit.

v. 16. *Vinctaque poſt oleâ c. t. c.*] Ad quos pertinebat ſacrificium, candidati, & pura cum veſte, hoſtiam præcedentem ſequebantur. Noſter lib. 1. Eleg. 10.

Hoſtia erit plenâ ruſtica porcus harâ.
Hanc pura cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

Animadverte differentiam coronæ. In cultu Larum ſumebant myrteam, in ſacro ambarvali oleaginam.

v. 20. *ſegnior*] Ita legit Broukhuſius ex libris nonnullis. Ceteri, *tardior*.

v. 21. *nitidus ruſticus*] Bene ſaginatus, cui nitet cutis.

ibid. *plenis agris*] Facta ſemente quaſi gravidis; ut explicat Lævinus Torrentius ad Horat. Epodo 2. v. 43. probantibus Claudio Salmaſio Notis ad Vopiſcum pag. 361. & Jano Broukhuſio. *Areis* malebat Joſephus Scaliger.

v. 23. *ſaturi bona ſigna coloni*] Numerus & laſcivia puerorum vernarum, quos nimirum domi ancillæ pepererunt, ſignificat, colonum ſaturum & copioſum eſſe, qui & liberis dare operam poſſit, & ſuſceptos largo victu nutrire, *cujus ſaginæ lætitiam prolis quoque fecunditas teſtaretur*; ut verbis utar D. Auguſtini lib. 21. contra Fauſtum, cap. 12. *Theatrum, Publiumque, bona ſigna conſentientis multitudinis*, dixit Cicero lib. 14. Epiſt. ad Atticum.

v. 24. *Ludet, & ex virgis exſtruet ante caſas*] Hæc erant fere ludicra puerorum, quæ commemorat Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 247.

Ædificare caſas, ploſtello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Ante: ſubaudi, *focum*, ubi Lares. Tibullus Eleg. 10. lib. 1.

T   Sed

Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumoſos veteris proferte Falernos
Conſulis: & Chio ſolvite vincla cado.
Vina diem celebrent. non feſta luce madere
Eſt rubor, errantes & male ferre pedes.

Sed

Sed patrii ſervate Lares: aluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros quum tener ante pedes.

Et Elegia 2. hujus libri, ad Genium:

Ludat & ante tuos turba novella pedes.

nam & Genius inter Lares. Minus placet lectio, *arte:* pueri enim ludentes minimum arte utuntur.

v. 25. *viden' ut*] Effecit auctoritas Ennii, teſte Servio ad lib. 2. Æneid. v. 779. ut DEN ſyllaba longa, ab optimis poetis mutaretur in brevem. Nam Ennium ſecuti poſtea ſunt Catullus, Virgilius, Noſter hoc loco, & Papinius Statius. Id animadvertit Broukhuſius.

v. 26. *Significet placidos nuntia fibra deos*] Ita loquitur Cicero lib. 2. de Divinatione: *Perſuaderi igitur cuiquam poteſt, ea quæ ſignificari dicuntur extis, cognita eſſe ab haruſpicibus obſervatione diuturna? Nuntia* proprie dixit poeta, quod augures & haruſpices ea quæ obſervaverant, *nuntiare* ac *denuntiare* dicerentur. Verbo augurali uſus eſt Tibullus Eleg. 5. lib. 3.

At mihi Perſephone nigram denuntiat horam.

v. 27. *fumoſos Falernos*] Cados nimirum vini Falerni: nam paullo poſt memorat *cadum Chium*. *Fumoſos* appellat, quod vina ementirentur vetuſtatem fumo contracto. Horatius Ode 8. lib. 3.

Hic dies, anno redeunte feſtus,
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

Ad quem Horatii locum Torrentius, interpres doctiſſimus, affert verba Columellæ ex lib. 1. cap. 6. *Apothecæ recte ſuperponentur his locis unde plerumque fumus exoritur; quoniam vina celerius vetuſteſcunt quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt.* Sed Plinius lib. 23. Nat. Hiſt. cap. 6. hanc conſuetudinem reprehendit, tamquam inſaluberrimam, & mangonibus relinquendam. Vina *proferebantur* ex horreis, quæ & apothecæ. Poeta Venuſinus Ode 28. lib. 3.

Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.

iccirco Tibullus, *proferte*.

v. 28. *Chio ſolvite vincla cado*] Reſignate cadum Chium pice obſtrictum; id quod Terentio Heautont. 3. 1. 51. eſt *relinere dolia*, & *ſerias*. Perſius Sat. 4. v. 29. de ſene parciſſimo:

Qui quandoque jugum pertuſa ad compita figit,
Seriolæ veteris metuens deradere limum,
Ingemit.

Græci dicunt ἄρχεσθαι πίθου. Vide Grævium cap. 8. Lectionum Heſiodearum. Itali dicimus, *mettere a mano una botte*. Theocritus ita expreſſit Idyllio 7. v. 147.

Τετράενες δὲ πίθων ἀπελύετο κρατὸς ἄλειφαρ.
Quadrima vero a doliorum orificio relinebatur litura.

Porro vinum Chium magno æſtimabatur, & id veteres, qui non fatui palati eſſent, Falerno commixtum bibere amabant.

v. 29. *non feſta luce madere Eſt rubor*] Demetrius, Philippi Macedoniæ regis filius, apud T. Livium lib. 40. Hiſtor. in Oratione qua Perſei fratris accuſationi reſpondet: *Non eſt res qua erubeſcam, pater, ſi die feſto inter æquales largiore vino ſum uſus.* A Latinis autem *madere* uſurpatur interdum pro *ebrium eſſe*. Vide Plautum Moſtellaria 1. 4. v. 7. & 18. Pulchre Lucretius lib. 4. v. 793.

Scilicet arte madent ſimulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere ut poſſint in tempore ludos.

Quod κατ' εἰρωνείαν dictum eſt. Seneca libro de Providentia cap. 4. μεγαλοφυῶς: *Fugite enervatam felicitatem, qua animi permadeſcunt; niſi aliquid intervenit, quod humanæ ſortis admoneat, velut perpetua ebrietate ſopiti.* Horatius

Digitized by Google

Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.
Gentis Aquitanæ celeber Meſſala triumphis,
Et magna intonſis gloria victor avis,
Huc ades, adſpiraque mihi, dum carmine noſtro
Redditur Agricolis gratia Cælitibus.

Ru-

ratius Ode 37. lib. 1. multo ante dixerat de Cleopatra: *fortunâ dulci ebria*. Hioc *madidus* pro *ebrius*; & *madidatus*, qua voce utitur Valerius Antias apud Arnobium ioitio libri 5. adverſus Gentes. Legitur etiam *madulſa*, vox penitus obſoleta. Pompejus Feſtus: *Madulſa, ebrius: a Græco μαδᾶν deductum; vel quia ſit madidus vino*. Plautus Pſeudolo 5. 1. 7. *Profecto edepol ego nunc probe abeo madulſa*.

v. 30. *male ferre pedes*] *Ferre pedes* ἁπλῶς eſt ambulare, incedere. Virgilius 1. Georg. v. 11.

Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadeſque puellæ.

Male ferre pedes, eſt titubare inter ambulandum; quod ebrii ſolent. Urbane Itali, *andare a ſpinapeſce*.

v. 31. *Sed bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat*] Broukhuſius ita hunc verſum legit, ut ſit ellipſis:

Sed, Bene Meſſalam, ſua quiſque ad pocula, dicat.

Nimirum, Bene Meſſalam valere, Bene rem gerere exopto. Huie explicationi favet Plautus Sticho 5. 4. 27. *Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene noſtram etiam Stephanium*. Idem Perſa 5. 1. 20. mutato eaſu: *Pægnium! tarde cyathos mihi das: cedo ſane. Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ*. Subaudi *ſit*. Ovidius etiam lib. 2. Faſt. v. 637.

Et, Bene vos, Patriæ bene te Pater, optime Cæſar,
Dicite ſuffuſo, ſint rata verba, mero.

Sed alio quoque modo Tibullum hoc loco interpretari lieet: Uouſquiſque in joco atque vino bene dieat Meſſalæ; nimirum, illi fauſta precetur & proſpera. Ovidius pariter lib. 1. Artis Amat. v. 601.

Et bene dic dominæ; bene, cum quo dormiat illa.

Contra Catullus Carm. 102.

Credis me potuiſſe meæ maledicere vitæ?

Nihilomious hæc loquendi formula in libris Latinorum cum quarto caſu vix invenitur, ſi huoc locum Tibulli exeipias. Græci non adeo abſtiouere. Cebes ἐν πίνακι: Κακῶς λέγουσι καὶ τὴν παιδείαν, καὶ τοὺς ἐπ᾽ αὐτὴν βαδίζοντας. *Maledicunt eruditionem, & illos qui ad eam adveniunt*. Euripides Medea v. 457.

Σὺ δ᾽ οὐκ ἀνίεις μωρίαν, λέγουσ᾽ ἀεὶ
Κακῶς τυράννους.
Tu vero non remittis ſtultitiam, ſemper maledicens dominos.

v. 33. *Gentis Aquitanæ celeber Meſſala triumphis*] Vide quæ attulimus ad Elegiam 7. lib. 1.

v. 34. *intonſis avis*] Romæ tonſores non fuerunt ante U.C. aonum CCCCLIV. uti teſtatur Varro lib. 2. de Re Roſt. cap. 2. Iccirco antiquiſſimi Romanorum capillum & barbam promittebant. Ovidius lib. 2. Faſt. v. 30. ubi doeet, quid ſit Februum:

Denique quodcumque eſt quo pectora noſtra piamur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

Sunt qui legant ex vetuſto libro:

Et magna intonſis gloria victor, ades.

quod ita explicari poſſet: magna gloria Cilieibus, quos vieiſti; gentibus horrido & intonſo eapillo. gloriantur enim Cilicees, a te potiſſimum ſe victos fuiſſe, ſi vincendi fuerant a duce aliquo Romano. Vide quæ diximus ad Elegiam 7. v. 16.

v. 35. *adſpiraque mihi*] Fave numine tuo propitius. Ovidius 1. Metamorph. v. 2.

— — — *Dii cæptis .... Adſpirate meis.*

Hine *aura* pro favore.

Rura cano, ruriſque deos. his vita magiſtris
  Deſuevit querna pellere glande famem.
Illi compoſitis primum docuere tigillis
  Exiguam viridi fronde operire caſam.
Illi etiam tauros primum docuiſſe feruntur
  Servitium, & plauſtro ſuppoſuiſſe rotam.
Tunc victus abiere feri; tunc inſita pomus;
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.

Aurea

v. 37. *vita*] Nempe homines, hominum vita, humana vita, ὁ βίος. Plinius Præfat. Hiſt. Nat. *Rerum natura, hoc eſt vita, narratur*. Et inferius: *Adjectis rebus plurimis quas aut ignoraverant priores, aut poſtea invenerat vita*. Idem lib. 18. cap. 7. *Panem ex hordeo antiquis uſitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus*. Cicero l. 4. de Fin. *Varietates autem injuriaſque fortunæ facile veterum philoſophorum præceptis inſtituta vita ſuperabat*. Idem lib. 2. de Nat. Deor. *Suſcepit autem vita hominum, conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum, fama, ac voluntate tollerent*. Varro lib. 1. de R. R. cap. 2. *Dicæarchus, Græciæ vita qualis fuerit ab initio, nobis ... oſtendit*. Lucretius lib. 1. v. 63.

Humana ante oculos fœde quum vita jaceret
In terris oppreſſa gravi ſub relligione.

Idem lib. 2. v. 53. ellipſi Tibulliana:

Omnis quum in tenebris præſertim vita laboret.

Lucianus pariter, ſeu quiſquis eſt auctor, in Amoribus: Ἃ δὲ αὖθις ἐνσχολάσας τοῖς λογισμοῖς ὁ βίος ἐπεξεῦρεν, ὡς ἐκείνων ἀμείνω τιμητέον. h. e. *Sed quæ poſtea ratiocinationibus vacans hominum vita adinvenit, ut illis meliora, in pretio ſunt habenda*. Græcis βίος nonnumquam ſignificat παρόντα κόσμον, mundum præſentem, ſæculum; ut docet Iſacius Tzetzes in Heſiodum. Ariſtoteles de Mundo: Συνεπιμαρτυρεῖ δὲ καὶ ὁ βίος ἅπας τὴν ἄνω χώραν ἀποδοὺς θεῷ. h. e. *Suffragatur autem & mortalium conſenſus, regionem ſummam Deo tribuentium*.

v. 38. *Deſuevit querna pellere glande famem*] A Tibullo, ut videtur, Juvenalis Sat. 14. v. 182.

-- -- -- Laudant hoc numina ruris,
Quorum ope & auxilio, gratæ poſt munus ariſtæ,
Contingunt homini veteris faſtidia quercus.

Antiqui mortales, ut nemo neſcit, glandivori fuerunt, donec ad mitiorem cibum Triptolemo auctore revocarentur. Is tritici ſemine primus arva conſperſit, & curru per aerem vectus, frumentariam pleroſque populos docuit. Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 68.

-- -- -- aut currum, ut ſævos frenaſſe dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flava quercum damnavit ariſta.

v. 39. *compoſitis tigillis*] *Furcæ utrimque ſuſpenſæ fulciebant caſam, ſpiſſatis ramalibus; ac fronde congeſta, & in proclive diſpoſita, decurſus imbribus quamvis magnis erat. Culmus liberos texit: ſub marmore atque auro ſervitus habitat*. Verba ſunt Senecæ alicubi.

v. 40. *viridi fronde operire caſam*] Huc pertinent quæ ſcribit Vitruvius lib. 2. Architect. cap. 1. de priſcorum hominum ædificiis: *Primumque furcis erectis, & virgultis interpoſitis, luto parietes texerunt. Alii luteas glæbas areſacientes ſtruebant parietes, materia eos ingumentantes, vitandoque imbres & æſtus, tegebant arundinibus & fronde*.

v. 41. *tauros*] pro *boves quoslibet*. Eodem pacto Eleg. 3. lib. 1.

Illo non validus ſubiit juga tempore taurus.

v. 43. *Tunc victus abiere feri*] Hoc Saturno & Jano tribuit Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 7. cujus afferam verba: *Hic igitur Janus, quum Saturnum claſſe pervectum accepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit*.

ibid.

Digitized by Google

Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores:
Mixtaque ſecuro ſobria lympha mero eſt.
Rura ferunt meſſes, calidi quum ſideris æſtu
Deponit flavas annua terra comas

Rure

ibid. *tunc inſita pomus*] Broukhuſii lectionem ſequor, ut meliorem, ac magis convenientem. In vulgatis libris eſt *conſita*.

v. 44. *irriguas aquas*] *Irriguum* ἐνεργητικῶς ſignificat id quod irrigat: παθητικῶς, quod irrigatur. Sic *hortum irriguum* dixit Horatius, *riguum* Ovidius; *riguum pratum* Propertius.

v. 45. *Aurea uva*] Flava nimirum, auro concolor. Eſt enim diſcolor alia, quæ certet purpuræ.

v. 46. *ſobria lympha*] νήφοντα θεὸν appellat Plato aquam. Locus eſt pulcherrimus lib. 6. de Legibus: Οὐ γὰρ ῥᾴδιον ἐννοεῖν ὅτι πόλιν εἶναι δεῖ δίκην κρατῆρος κεκραμένην· οὗ μαινόμενος μὲν οἶνος ἐγκεχυμένος ζεῖ, κολαζόμενος δὲ ὑπὸ νήφοντος ἑτέρου θεοῦ, καλὴν κοινωνίαν λαβὼν, ἀγαθὸν πόμα καὶ μέτριον ἀπεργάζεται. h. e. Serrano interprete: *Non enim facile intelligi poteſt, civitatem inſtar crateris temperatam eſſe oportere, in quo inſaniens vinum effuſum ebullit; ſed ubi ab altero ſobrio deo caſtigatur, præclara ſocietate colligatum, bona & moderata potio evadit*. De hoc Platonis loco vide Dionyſium Longinum περὶ ὕψους ſect. 32. ubi agit περὶ πλήθους μεταφορῶν.

v. 47. *calidi q. ſideris æſtu*] Sidus hic pro Sole uſurpatur. Ita *ſidus fervidum* legas apud Horatium Epodo 1. Ovidius pariter Amor. lib. 2. Eleg. 16.

Sol licet admoto tellurem ſidere findat,
Et micet Icarii ſtella proterva Canis,
Arva pererrantur Peligna liquentibus undis.

Idem lib. 1. Artis Amat. v. 723.

Candidus in nauta turpis color: æquoris unda
Debet, & a radiis ſideris eſſe niger.

Idem 1. Metam. v. 424.

Æthereoque recens exarſit ſidere limus.

Idem 6. ejuſdem operis v. 341.

Sidereo ſiccata ſitim collegit ab æſtu.

Et in fragmento Halieutici, quod nonnulli Gratio, poetæ συγχρόνῳ, tribuere malunt:

Et numquam æſtivo conſpectus ſidere Glaucus.

Prudentius quoque, diligens veterum imitator, Hymno 5. περὶ στεφάνων v. 245.

Æterna nox illic latet,
Expers diurni ſideris.

Nec non Boethius lib. 1. de Conſolat. Philoſophiæ, Metro 2. v. 16.

Cur Heſperias ſidus in undas
Caſurum rutilo ſurgat ab ortu.

Interdum etiam Luna *ſidus* vocatur. Q. Curtius lib. 4. de rebus geſtis Alex. M. *Prima fere vigilia Luna deficiens primum nitorem ſideris ſui condidit: deinde ſanguinis colore ſuffuſo lumen omne fœdavit*. Boëthius modo memoratus lib. 1. de C. Ph. Metro 2.

Viſebat gelidæ ſidera Lunæ.

Fabius etiam Quinctilianus lib. 2. I. O. c. 16. *Solem Lunamque præcipua ſiderum appellat*. Conſule, ſi lubet, Petrum Gaſſendum Phyſicæ Sect. 2. lib. 1. cap. 1. Hanc Solis appellationem a Græcis Latini derivarunt. Illud Pindari notiſſimum Ode 1. Olymp. Μηκέθ᾽ ἁλίου σκόπει Ἄλλο θαλπνότερον Ἐν ἁμέρᾳ φαεννὸν ἄστρον, Ἐρήμας δι᾽ αἰθέρος. *Ne amplius Sole contempleris Aliud fovendo magis aptum, Interdiu lucidum aſtrum, deſertum per ætherem*. A Latinis porro Etruſci poetæ recentiores edocti, Solem ſtellæ nomine donaverunt. Dantes Aligberius Inferni Cantu 2.

Lucevan gli occhi ſuoi più che la ſtella.

quod interpretes tamquam de Sole dictum accipiunt. Idem poſtremo verſu divini operis:

L' amor, che muove 'l Sole, e l' altre ſtelle.

Præterea Franciſcus Petrarcha, ut illa ferebant tempora vir doctiſſimus (*nel Son.* 182.)

Col ſuo bel viſo ſuol dell' altre fare
Quel che fa 'l dì delle minori ſtelle.

tamquam Sol, qui diem facit, ſit ſtella omnium maxima.

v. 48. *annua terra*] Seges, quæ quotannis renovatur, aratur, ſeritur, tondetur denique meſſis tempore; ut recte interpretatur diligentiſſimus Broukhuſius.

v. 49.

Digitized by Google

Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci ſedula melle favos.
Agricola aſſiduo primum ſatiatus aratro,
Cantavit certo ruſtica verba pede.
Et ſatur arenti primum eſt modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Huic

v. 49. *verno*] Aut rure verno, aut verno alveo; nam utrique vocabulo hoc *ἐπίθετον* adjungi poteſt. A Broukhuſio poſterior copula probatur; neque injuria.

v. 51. *ſatiatus a.*] Diuturni ſcilicet laboris, ac duriſſimi operis tædio affectus. Cicero in Lælio: *Non enim amicitiarum eſſe debent, ſicut aliarum rerum, ſatietates.* Metaphora eſt elegans, atque uſitata.

v. 52. *Cantavit certo ruſtica verba pede*] Significat, poeſim ruri natam inter paſtores, & agricolas. Ejus autem diſciplinæ prima rudimenta, vocantur a ſcriptoribus Græcis *αὐτοσχεδιάσματα*.

v. 53. *ſatur*] Nam eſurientibus, carmina minus conveniunt. Lepide Juvenalis Sat. 7. v. 62. ubi de miſeriis poetarum:

— — — ſatur eſt, quum dicit Horatius, Obe.

ibid. *modulatus*] Libentius legerem, *meditatus*, ut ſimile eſſet illi Virgiliano:

Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena.

tum etiam propter verba quæ ſequuntur: *ut ornatos diceret ante deos.* Debuit enim agricola ea ſecum ipſe meditari quæ poſtea frequenti ſacro ante aras numinum canere oportebat. Catullus Carm. 61. v. 12.

Aſpicite, innuptæ ſecum ut meditata requirant;
Non fruſtra meditantur: habent memorabile quod ſit.

v. 54. *ut ornatos diceret ante deos*] Ornari dii dicebantur quum capitibus τῶν εἰδώλων imponerentur coronæ. Feſtus Pompejus: *Donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur; quæ poſtea magnificentiæ cauſſa inſtitutæ ſunt ſuper modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt quum Lares ornantur.* Suetonius Octavio, cap. 31. *Compitalitiis Lares ornare bis anno inſtituit vernis floribus, & æſtivis.* Item Seneca Rhetor Excerpt. Controv. lib. 8. Controv. 2. *Non tam neceſſe erat ornare deos, quam vindicare.*

v. 55. *minio ſuffuſus rubenti*] Aut reapſe purpureo colore infectus, aut fæcibus vini perunctus. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 275.

Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camænæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Broukhuſius animadvertit, ruſticos qui Baccho ſacra facerent, ideo ſibi faciem minio tinxiſſe, quod gentes nonnullæ in Achaja & Arcadia ſtatuam Bacchi eodem colore inficere ſolerent. Vide Pauſaniam in Corinthiacis cap. 2. Aliorum etiam deorum, præcipue ruſticorum, purpureum vultum fingebant.

ibid. *Bacche*] Non ſatis ex decoro ſuſpicatur Achilles Statius, ante hunc verſiculum deeſſe nonnulla; quod ſcilicet Bacchi ſubita mentio fiat. Quivis enim vel mediocriter doctus intelligit, a Tibullo hic attingi principia Tragœdiæ, quæ humilia prorſus & agreſtia fuerunt, ſicuti omnes maximarum rerum origines. Quum Icarius a Baccho vini uſum edoctus, diligenter admodum vitem coluiſſet, forte fortuna hircum invenit folia ejus tenerrima depaſcentem; quem arreptum jugulavit ſtatim, Bacchique aris impoſuit. Ad hoc ſacrificium vero plurimos ex vicinis pagis convocavit, qui carminibus incomtis Dei ultionem celebrare cœperunt. Mox poetæ quotannis τραγῳδίαν, ſive poema de hirco certatim ſcri-

Digitized by Google

Huic datus a pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus. duxerat hircus oves.
Rure puer verno primam de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & femineus labor eſt, hinc penſa, coluſque,
Fuſus & appoſito pollice verſat opus.

Atque

ſcribere perrexerunt: & qui ſub arbitris victoriam adeptus eſſet, hirco donabatur. Luſibus deinde immixta ſeria, & actor introductus, ad quem pertineret herois alicujus geſta recenſere: donec Theſpis plauſtro ſcenam circumferret, moxque ingenioſior Æſchylus perſonam, ſyrma, cothurnos, pulpitum, ceteraque ornamenta quibus Tragœdia nitet, reperiret. Vide Bulengerum lib. 1. de Theatro cap. 1. Broukhuſius putat, hoc loco Tibullum de rudimentis Tragœdiæ non loqui, ſed tantum de primis ac rudibus agreſtium choris, ſive choreis. At vero quis neſcit eruditorum, Tragœdiam initio nihil niſi chorum fuiſſe perpetuum?

v. 56. *inexperta ab arte*] Ruſtici bene poti canere ac ſaltare cœperunt in feſtis Bacchi, quum antea cantus & ſaltationis omnino rudes fuiſſent. *τὸ inexperta* hic ſumitur *παθητικῶς*, nempe *intentata*; cujus nimirum artis nondum periculum fecerant. Ceterum *ab* particula hoc verſu abundat. Ovidius pariter lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Illa placet geſtu, numeroſaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus.

v. 57. *Huic datus a p. m. munus o. D. p. hircus*] Ex hac ruſticorum veteri conſuetudine poeta princeps Ecl. 3. v. 21.

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula, caprum?

Euſtathius in Odyſs. Ξ. pag. 1769. Edit. Rom. hujus moris cauſſam & originem tradit: Καὶ τὴν λυμαινομένην ταῖς ἀμπέλοις αἶγα (φασὶν) ἆθλον τῆς ᾠδῆς προὔθεντο· τοὺς δὲ ἀγωνισαμένους, τραγῳδοὺς ἐκάλεσαν, διὰ τὴν ἐπὶ τράγῳ δηλονότι ᾠδήν. h. e. *Etiam capram vitibus nocentem, ut ajunt, præmium cantus ſtatuerunt: ac eos qui certarent, tragœdos dixere, videlicet quia τράγος, ſive hircus, eſſet ᾠδῆς, ſive cantus, præmium.*

v. 58. *duxerat hircus oves*] Ita recte legit Joſephus Scaliger, ſpuria lectione *auxerat* procul amota. Pecoris ducem, etiam ovilli, ſtatuere ſolebant hircum. Hunc autem, *καθάπερ ζῷον ἡγεμονικὸν*, decebat præmium dari victoribus. Venuſte Ovidius hanc Tibulli *ἀναφορὰν* æmulatus eſt lib. 3. Amor. Eleg. 5.

Utque procul vidit carpentes pabula tauros;
(Carpebant tauri pabula læta procul)
Illuc ſe rapuit.

v. 61. *curam exhibitura*] *Curam exhibere*, id fere ſignificat quod Græci dicunt *πράγματα παρέχειν*.

v. 62. *lucida ovis*] λιπαρὰ, nitido vellere ac ſplendido. Anacreon carm. 29. *λιπαρὰς κόμας ποίησον. comas fac ſplendentes*; quaſi unguento delibutas. Appulejus l. 10. Metamorph. ita de Aſino ſuo: *Corium arvina ſucculenta molliveram: pilum liberali nitore nutriveram*. Splendor enim ac nitor cutis a pinguedine. Martialis propterea lib. 13. Epigr. 5.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo.

Et Ludovicus Areoſtus Cantu 23. Rolandi Furentis, ſtrophe 27, de Frontino loquens equo generoſo,

— — — e mai non cavalcoſſe,
Se non per breve ſpazio, e a picciol paſſo;
Sì ch' era, più che mai, lucido e graſſo.

Broukhuſius *τὸ lucida*, explicat, tota candida: nam candor multum habet de luce. Ovibus autem candidis affirmat opponi pullas, quales erant Pollentinæ in Italia, & Cordubenſes in Bætica.

v. 63. *penſa*] Glomi lanæ appenſi, ac lani-

Atque aliqua aſſiduæ textis operata Minervæ
  Cantat, & applauſo tela ſonat latere.
Ipſe interque greges, interque armenta Cupido
  Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum ſe exercuit arcu.
  Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes, velut ante, petit: fixiſſe puellas
  Geſtit, & audaces perdomuiſſe viros.

Hic

lanificis puellis diſtributi in opus diutnum. Propertius lib. 4. Eleg. 7.

Et graviora rependit iniquis penſa quaſillis,
Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.

v. 65. *aſſiduæ textis operata Minervæ*] Ita hunc locum, a Criticis mire vexatum, conſtituit elegantiſſimus Broukhuſius. recte; meo judicio.

v. 66. *applauſo tela ſonat latere*] Dum tela manu textricis hinc atque illinc percutitur & conſtringitur, ſonitum ſeu crepitum edit. *Applauſo*, eſt, leviter percuſſo. Ovidius lib. 4. Metamorph. v. 352.

Ille, cavis velox applauſo corpore palmis,
Deſilit in latices.

v. 67. *Ipſe interque greges*, &c.] Incipit παρέκβασις ἐρωτικὴ, quales amat Tibullus.

v. 68. *indomitas equas*] Nam equæ ſtimulis amoris & libidinis præcipue agitantur. Virgilius 3. Georg. v. 266.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum:
Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra abſumſere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium: ſuperant montes, & flumina tranant.

Lege reliqua, ſi vacat.

v. 69. *indocto primum ſe exercuit arcu*] Locus pulcherrimus, & mira venuſtate. Illud T. Lucretii non diſſimile lib. 2. de R. N. v. 1100. ubi calumniatur vulgatam fabellam de Jove fulmen jaculante:

— — — tum fulmina mittat, & ædes
Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens
Sæviat, exercens telum.

Neque aliud ejuſdem poetæ lib. 6. v. 395. περὶ θεῶν κεραυνοβόλων:

Cur etiam loca ſola petunt, fruſtraque laborant?
An tunc brachia conſueſcunt, firmantque lacertos?

T. Lucretium Claudianus, poeta ſummus, imitari videtur de 4. Conſulatu Honorii v. 201. ubi Jovem puerum deſcribit:

— — — tum ſcindere nubes
Diſcebat, fulmenque rudi torquere lacerto.

Idem libro eodem v. 532. de Herculis tirocinio:

Sic Amphioniæ pulcher ſudore palæſtræ
Alcides pharetras, Dircæaque tela ſolebat
Prætentare feris, olim domitura gigantas.

Par ſententia eſt apud Senecam Rhetorem Controverſ. 27. *Tu tyrannicidium facere non potes, niſi in parricidio exercueris manus?* Neque longe abeunt verba Salluſtii de Bello Catilinæ cap. 16. *Si cauſſa peccandi in præſens minus ſuppetebat, nihilominus inſontes, ſicuti ſontes, circumvenire, jugulare: ſcilicet, ne per otium torpeſcerent manus.* D. Auguſtinus lib. 2. Confeſſionum c. 5. hunc Salluſtii locum recitat, & illam Catilinæ feritatem vocat *exercitationem ſcelerum*. Eodem pertinent illa Iſocratis ἐν τῷ πρὸς Φίλιππον λόγῳ, prope finem: Οὐχ ἵνα τοῖς βαρβάροις μόνον τοῖς ἐπὶ τῆς Εὐρώπης κατοικοῦσι πολεμῶν διατελῇς, ἀλλ' ὅπως ἐν τούτοις γυμνασθεὶς, καὶ λαβὼν ἐμπειρίαν, καὶ γνωσθεὶς οἷος εἶ, τούτων ἐπιθυμήσῃς, ὧν τυγχάνω συμβεβουλευκώς. h. e. *Non profecto, ut barbaros Europæos bellis perpetuis infeſtares: ſed ut illis quaſi velitationibus exercitatus, partaque peritia, & nobilitata virtute tua, hæc quæ ego nunc tibi ſuadeo expeteres, ad eaque capeſſenda animum extolleres.* Porro, ſicuti Cupido

arcum

Hic juveni detraxit opes: hic dicere juſſit
  Limen ad iratæ verba pudenda ſenem.
Hoc duce cuſtodes furtim tranſgreſſa jacentes
  Ad juvenem tenebris ſola puella venit:
Et pedibus prætentat iter ſuſpenſa timore,
  Explorat cæcas cui manus ante vias.
Ah miſeri, quos hic graviter deus urget: at ille
  Felix, cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte veni dapibus feſtis; ſed pone ſagittas,
  Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate deum, pecorique vocate
  Voce: palam pecori, clam ſibi quiſque vocet.

Aut

arcum ſuum & ſagittas in gregibus & armentis prætentavit, teſte Tibullo, ita Phœbus Apollo apud Homerum 1. Iliad. v. 50. tela jacit in mulos & canes, priuſquam in Græcorum exercitum peſtilentiam immittat.

v. 73. *dicere juſſit L. ad i. verba pudendu ſenem*] Amatoria verba, querelæ, preces, blanditiæ verſibus incluſæ, quibus antiqui puellarum januas occentabant, ferri poterant in adoleſcentibus, verum ſenes dedecebant: *turpe* enim *ſenilis amor*. Propterea Flaccus Epodo 5. v. 57.

Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanæ canes.

In Subura, vico Romano, frequentiſſimæ proſtabant meretrices, quæ in fornicibus advenienti cuilibet poteſtatem ſui corporis facerent.

v. 75. *cuſtodes jacentes*] In grabatis nimirum, gravi ſomno ſepultos.

v. 76. *tenebris*] Noctu. Ita dicebant *luce*, pro *interdiu*, *die*. M. Tullius Philippica 2. *Nam quod quærebas quomodo rediiſſem: primum luce, non tenebris: deinde cum calceis, & toga*. Virgilius item lib. 3. Georg. v. 400.

Quod ſurgente die mulſere, horiſque diurnis,
Nocte premunt: quod jam tenebris, & Sole cadente,
Sub lucem exportant calathis.

Ovidius 1. Amor. Eleg. 6.

Mirabar, tenebris ſi quis iturus erat.

Vetus poeta inter Fragmenta Petroniana:

— — — Nam quum proſtratu ſopore
Urget membra quies, & mens ſine pondere ludit,
Quidquid luce fuit, tenebris agit.

Primis tenebris, eſt, incipiente nocte. Livius lib. 37. Hiſt. *Romani pars exigua, primis tenebris portum Samiæ deſertum tenuerunt.* Horatius Ode 1. lib. 3. dixit: *Prima nocte domum claude.*

v. 77. *pedibus prætentat iter*] Hinc adverbium *pedetentim*, quaſi *tentando pedibus*. Amatorem caute in tenebris ambulantem ita deſcribit Ovidius lib. 1. Faſt. v. 425.

Surgit amans: animamque tenens, veſtigia furtim
Suſpenſo digitis fert taciturna gradu.

Elegantiſſime Lucianus Dialogo Veneris, & Lunæ: Τότε τοίνυν ἐγὼ ἀψοφητὶ κατιοῦσα, ἐπ' ἄκρων τῶν δακτύλων βεβηκυῖα, ὡς ἂν μὴ ἀνεγρόμενος ἐκταραχθείη, &c. *Tunc igitur ſine ſtrepitu deſcendens, ſummiſque digitis inſiſtens, ut ne expergefactus perturbetur*, &c.

v. 78. *Explorat cæcas cui manus ante vias*] Ovidius lib. 4. Metamorph. v. 189.

Prætentatque manu ſilvas.

v. 80. *leniter afflat Amor*] A proſpero & ſecundo vento ducta metaphora. Hanc ſententiam optime interpretatur Naſo in Remediis Amoris v. 13.

Si quis amat quod amare juvat, feliciter ardens
Gaudeat, & vento naviget ille ſuo.

v. 81. *pone ſagittas*] Depone, miſſas fac.

v. 83. *celebrem deum*] Ad quem homi-

nes

Aut etiam ſibi quiſque palam. nam turba jocoſa
Obſtrepit, & Phrygio tibia curva ſono.
Ludite, jam Nox jungit equos, currumque ſequuntur
Matris laſcivo ſidera fulva choro.

Poſt-

nes precaturi frequentes adeunt, qui ab omnibus colitur & invocatur, ignotus nemini, aut contemtus. Ovidius lib. 1. Metamorph. v. 747. de Iſide:

Nunc dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.

Vel celebrem appellat Amorem, quod victor ac triumphator ſit. Superius v. 33. hujus Elegiæ:

Gentis Aquitanæ celeber Meſſala triumphis.

Triumphum Cupidinis legere eſt apud Naſonem lib. 1. Amor. Eleg. 2.

ibid. *pecorique vocate Voce*] Virgilius pariter 4. Æneid. v. 680. *patrioſque vocavi Voce deos*. Et Juſtinus lib. 38. Hiſt. Trogi c. 7. *Tantumque ſe avida exſpectet Aſia, ut etiam vocibus vocet*. Aut πλεονασμὸς eſt poetis præcipue uſitatus, aut τὸ *voce* adhibetur ἀντὶ τοῦ *nomine*. Sic apud Homerum Iliados γ. v. 161. ſumitur φωνῇ:

-- -- -- Πρίαμος δ' Ἑλένην ἐκαλέσσατο φωνῇ.
-- -- -- *Priamus vero Helenam vocavit voce.*

v. 84. *clam ſibi quiſque vocet*] Vide quæ animadvertimus ad Catulli Carmen 63. v. 104. de tacitis antiquorum votis.

v. 85. *turba jocoſa Obſtrepit*] Non ſinit audiri a circumſtantibus vota quæ fiunt.

v. 86. *Phrygio tibia curva ſono*] Quid hoc rei ſit, pridem explicavimus luculente, quum interpretaremur verſum 22. Galliambi Catulli:

Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

v. 87. *currumque ſequuntur Matris l. ſidera f. choro*] A Tibullo, ut videtur, Seneca Medeâ v. 403. *Dum Solem dies, Noctem ſequentur aſtra*. Præiverat ſuaviſſimus Theocritus Idyllio 2. v. poſtremo:

Ἀστέρες, εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.
Sidera, quæ placidæ Noctis currum comitari ſoletis.

Ubi Scholiaſtes: Ποιητικὸν δὲ τὸ τὴν νύκτα ἐπὶ ἅρματος ὀχεῖσθαι, καὶ παράγειν ἐποχοῦσαν. Porro ſiderum choreæ, poeticâ linguâ, ſunt periodi tardiores vel celeriores planetarum, acceſſus eorumdem & receſſus; tum loca ſingularum ſtellarum, ortus, occaſus, coitiones, digreſſiones, συζυγίαι, oppoſitiones, ac reliquæ τῶν φαινομένων mutationes in ſuperis corporibus. Manilius lib. 1. Aſtronom. v. 668.

Et quinque adverſo luctantia ſidera mundo
Exercent varias naturæ lege choreas.

Idem lib. 2. v. 118. *Signorumque choros*. L. Appulejus lib. 6. Metamorph. *Ac deinde avaro navitæ datâ, quam reſervaras, ſtipe, tranſitoque ejus fluvio recalcans priora veſtigia, ad iſtum cæleſtium ſiderum redies chorum*. Tertullianus quoque lib. 1. contra Marcionem cap. 10. memorat *errantium fixorumque ſiderum choreas*. Plato ipſe non aliter locutus eſt in Epinomide: Τοῦτο δ' εἶναι τὴν τῶν ἄστρων φύσιν· ἰδεῖν μὲν καλλίστην, πορείαν δὲ καὶ χορείαν πάντων χορῶν καλλίστην καὶ μεγαλοπρεπεστάτην χορεύοντα, πᾶσι τοῖς ζῶσι τὸ δέον ἀποτελεῖν. h. e. *Hanc autem eſſe aſtrorum naturam, aſpectu pulcherrimam, quæ progreſſu & quaſi chorea utens, omnium chorearum & pulcherrima & magnificentiſſima, cunctis animantibus maximas opportunitates utilitateſque ſuppeditet*. Quamobrem Chalcidius in Timæum Platonis, cujus locum affert Lindenbrogius ad caput 13. Cenſorini de Die Natali: *Stellarum vero errantium opera, quæ propter modulatam & conſonam celebrantur agitationem, quam iidem appellant χορείαν, in progreſſibus & amfractibus earumdem ſtellarum perſpicue videntur*. Et Sex. Empiricus l. 8. adverſus Mathematicos: Ἀστέρων δὲ ἐμπίκτους τινὰς χορείας. *Stellarum vero quaſdam velut ordine procedentes choreas*. Memorabilia porro ſunt & inſignia de hac re verba Luciani in libello περὶ ὀρχήσεως: Ἡ γὰρ χορεία τῶν ἀστέρων, καὶ ἡ πρὸς τοὺς ἀπλανεῖς τῶν πλανήτων συμπλοκή, καὶ εὔρυθμος αὐτῶν κοινωνία, καὶ εὔτακτος ἁρμονία, τῆς πρωτογόνου ὀρχήσεως δείγματά ἐστι. *Etenim ipſa ſiderum chorea, & ſtellarum errantium cum haud errantibus conjunctio, earumque concinna communio, & conſtans harmonia, ſaltationis illius primigeniæ ſunt indicia*. Græcos auctores & Latinos,

Digitized by Google

Poſtque venit tacitus fuſcis circumdatus alis
Somnus, & incerto ſomnia nigra pede.

nos, ut ſolet, ſecutus eſt Ludovicus Areoſtus Cantu 12. R. F. ſtrophe 68.

E laſciato le ſtelle aveano i balli,
E per partirſi poſtoſi già il velo.

Siderum chorum Tibullus appellavit *laſcivum*, quod ſaltatio ſignum ſit laſciviæ, hilaritatis, & animi geſtientis: ut Pacuvius alicubi *piſcium laſciviam*, per mare diſcurrentium, commemoravit.

v. 89. *fuſcis circumdatus alis Somnus*] Eleganter Joannes Caſa, ſcriptor eximius, & judicio plane ſubacto (*nel Sonetto* 50.)

A me ten' vola, o Sonno, e l' ali
Tue brune ſovra me diſtendi, e poſa.

v. 90. *incerto pede*] Non ſatis firmo, titubanti. Horatius Epodo 11. *Ferebar incerto pede Ad non amicos, hei mihi, poſtes.* Contra in Epiſt. ad Piſones v. 158.

Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum.

ibid. *ſomnia nigra*] Si quid video, male Broukhuſius ἐπίθετον commutavit: Euripides enim dixerat in Hecuba v. 70. ὦ πότνια χθὼν Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων. *O veneranda Terra, Nigras alas habentium mater ſomniorum.* Lectio, *vara*, quam Broukhuſius tuetur magno apparatu eruditionis, minus placet, quod ſtilo Tibulliano facili & ſimplici recondita vox, neque uſitata convenire non videatur.

E L E G I A II.

DICAMUS bona verba, venit Natalis, ad aras.
Quiſquis ades, lingua vir, mulierque fave.

Uran-

ARGUMENTUM ELEGIÆ II. LIBRI II.

Diem Cerinthi natalem celebrat.

VERSU I. *Dicamus bona verba, venit Natalis, ad aras*] Ita diſtinguit atque interpungit Jo. Fridericus Gronovius ad Livium L. 38. cap. 43. cui adſtipulatur Janus Broukhuſius. Quicumque ad aras accedimus, nihil niſi fauſtum & bene ominatum loquamur; jam enim Deus Natalis venit. Editiones tamen fere omnes præferunt: *Dicamus bona verba. venit Natalis ad aras.* Hanc quoque lectionem probari poſſe, adverſus Gronovium patrem oſtendit idem Broukhuſius, allatis non diſſimilibus poetarum locis. *Bona verba* hic ſunt, bonum omen continentia, felicitatem ſignificantia & portendentia. De hujuſmodi verbis M. Tullius lib. 1. de Divinatione: *Neque ſolum deorum voces Pythagorei obſervaverunt, ſed etiam hominum, quæ vocant omina. Quæ majores noſtri quia valere cenſebant, iccirco omnibus rebus agendis, QUOD BONUM, fauſtum, felix, fortunatumque eſſet, præfabantur: rebuſque divinis, quæ publice fierent, UT FAVERENT linguis, imperabant: inque feriis imperandis, UT LITIBUS, & jurgiis ſe abſtinerent. itemque in luſtranda colonia ab eo qui eam deduceret; & quum imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, bonis nominibus, qui hoſtias ducerent, eligebantur. quod idem in delectu conſules obſervant, ut primus miles fiat bono nomine.* Porro id Græci, in re præſertim ſacra, & ſacris conviviis, priores obſervarunt. Xenophanes Colophonius apud Athenæum lib. 11.

Χρὴ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὔφρονας ἄνδρας
Εὐφήμοις μύθοις, καὶ καθαροῖσι λόγοις.

Eſt autem hymnis laudandus primum cordatis viris Deus, Fauſtis verbis, mundoque ac puro ſermone. Mirum quiddam & ſingulare narrat Lactantius lib. 1. D. I. cap. 31. *Apud Lindum, quod eſt oppidum Rhodi, Herculis*

Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas.

Il-

eulis ſacra ſunt, quorum a ceteris longe diverſus eſt ritus: ſiquidem non εὐφημία, ut Græci appellant, ſed maledictis & exſecratione celebrantur, eaque pro violatis babent ſi quando inter ſolemnes ritus vel inprudenti alicui exciderit bonum verbum.

v. 2. *lingua vir, mulierque fave*] Peculiarem hujus formulæ explicationem affert L. Seneca in libello de Vita Beata e. 26. *Quoties mentio ſacræ litterarum intervenerit: favete linguis. Hoc verbum non, ut plerique exiſtimant, a favore trabitur: ſed imperatur ſilentium, ut rite peragi poſſit ſacrum nulla voce mala obſtrepente.* Heroicis etiam temporibus hac ſuperſtitione utebantur. Homerus Iliados 9. v. 171.

Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε.
Ferte porro manibus aquam, & linguis favere jubete.

v. 3. *urantur odores*] Aromata odorata; puta einnamomum, eoſtum, caſia, bdellium, ſtacte, & alia hujuſmodi θυμιάματα. Cicero Act. 6. in Verrem: *Quid boc tota Sicilia eſt clarius, quam omnes Segeſtanas matronas, & virgines conveniſſe, quum Diana exportaretur ex oppido? unxiſſe unguentis? compleſſe coronis & floribus? ture odoribuſque incenſis uſque ad agri fines proſecutas eſſe!* Idem 3. Tuſcul. *Faſciculum ad nares admovebis? incendes odores?* Præterea Tuſeul. 5. ubi de Dionyſio tyranno: *Aderant unguenta, coronæ: incendebantur odores.* Virgilius 1. Georg. v. 56.

— — — nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua tura Sabæi?

Horatius Ode 18. lib. 3. *vetus ara multo Fumat odore.* Idem Epiſt. 2. lib. 2. in ealce:

Deferar in vicum vendentem tus & odores.

Ovidius 4. Metam. v. 578. *— — largis ſatiantur odoribus ignes.* Corn. Tacitus initio libri 3. Annalium: *Odores, aliaque funerum ſolemnia cremabunt.* Ælius Lampridius in Heliogabalo: *Odores Indicos ſine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi.*

v. 4. *tener Arabs*] Luxu perditus, deliciis affluens. Catullus Galliambo v. 88.

Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi.

nempe eviratum, effeminatum. Molles a ſcriptoribus appellari ſolent incolæ Arabiæ Felieis, nempe imbelles, ad militiæ laborem minus facti. Vide, ſi lubet, apud Broukhuſium teſtimonia Catulli, Manilii, Claudiani. Omnes autem fere populi ad meridiem ſiti, corporibus infirmioribus utuntur, & vita breviore ſunt; eontra, qui ad ſeptemtriones vergunt, validiores habentur, & diutius vivunt. Memorabile eſt quod ſeribit Xenopbon in Oratione de Laudibus Ageſilai: Ἡγύμενος δὲ καὶ τὸ καταφρονεῖν τῶν πολεμίων ῥώμην τινὰ ἐμβαλλεῖν πρὸς τὸ μάχεσθαι, προεῖπε τοῖς κήρυξι τὰς ὑπὸ τῶν λῃστῶν ἁλισκομένας βαρβάρυς γυμνὺς πωλεῖν. ὁρῶντες ὖν οἱ στρατιῶται λευκὺς μὲν, διὰ τὸ μηδέποτε ἐκδύεσθαι, πίονας δὲ καὶ ἀπόνυς, διὰ τὸ ἀεὶ ἐπ' ὀχημάτων εἶναι, ἐνόμισαν μηδὲν διοίσειν τὸν πόλεμον ἢ εἰ γυναιξὶ δέοι μάχεσθαι. h. e. *Ratus præterea, robuſtiores quodammodo milites ex contemtu boſtium ad pugnandum reddi, prædixit præconibus, ut barbari a latronibus capti, nudi venumdarentur: quos milites illi intuentes tum albos, quia numquam exuerentur, tum pingues & molles, propterea quod in vebiculis ſemper eſſent, putarunt, nibilo eſſe magis bellum formidandum quam ſi cum mulieribus prœliari oporteret.*

ibid. *e terra divite*] Copioſa nimirum, & feraei rerum optimarum. Lactantius, vel quiſquis eſt auctor, Carmine de Phœnice, v. 79.

Colligit binc ſuccos, & odores divite ſilva,
Quos legit Aſſyrius, quos opulentus Arabs.

v. 5. *Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores*] Invitabantur Genii ture ac vino ad epulandum: quod conſtat ex Inſcriptione veteri apud Broukhuſium.

v. 7.

Illius puro deſtillent tempora nardo:
  Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.
Adnuat &, Cerinthe, tibi quodcumque rogabis.
  En age, quid ceſſas? adnuet ille; roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores.
  Jam reor hoc ipſos edidiciſſe deos.
Nec tibi malueris totum quæcumque per orbem
  Fortis arat valido ruſticus arva bove.

Nec

v. 7. *puro nardo*] Vel unguento nardino genuino, & non adulterato; ut exponit Bernardinus Cyllenius: vel non unguento, ſed oleo nardino; quod placet Ezechieli Spanhemio. nam oleum ex nardo tenue fuit ac ſimplex, unguentum craſſum & mixtum.

v. 8. *ſatur libo ſit*] Libi natalitii ſæpius meminerunt poetæ. Erat placenta de farre, melle, & oleo; teſte Servio in lib. 7. Æneid. v. 109. cujuſmodi placentam Itali hodie vocant *migliaccio*. Non ſolum autem diis offerebatur, ſed etiam cognatis & amicis muneri mittebatur die natali. Ovidius lib. 1. Amorum Eleg. 8.

Quum te deficient poſcendi munera cauſſæ,
  Natalem libo teſtificare tuum.

ibid. *madeatque mero*] Ebrietatem Genio, quamquam deo, tribuere non veretur Tibullus. Vel, ſi τὸ *madeat*, proprie accipiendum eſt, id ſignificaverit: vino ſit aſperſus. Nam cutem quoque odorato vino nonnumquam perſundebant veteres. id colligitur ex Ariſtophane in Pluto v. 1021.

ΓΡ. *Ὄζειν τε τῆς χρόας ἔφασκεν ἡδύ μου.*
ΧΡ. *Εἰ Θάσιον ἐνέχεις, εἰκότως γε, νὴ Δία.*
AN. *Cutem ajebas redolere mihi ſuaviſſime.*
CHR. *Credo, ſi Thaſium forte infuderas merum.*

Loquitur anicula quædam cum Chremylo.

v. 9. *Adnuat*] Significet nutu, & capitis flexu, ſe poſtulata concedere. Ita & Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 40.

Hanc mihi militiam, veterum quæ pulchrior actis,
Adnue.

ibid. *Cerinthe*] Broukhuſius legit, *Cornute*, arbitratus, hunc quem Tibullus alloquitur, non eſſe diverſum a M. illo Cornuto qui præturam urbanam geſſit Hirtio & Panſa Coſſ. A. U. DCCX. memoratur vero a Cicerone lib. 10. ad Famil. Epiſt. 12. & 16. item Philippica 14. *Cornutus* cognomen fuit Sulpiciæ gentis, & Cæciliæ. τὸ *Cerinthe* Broukhuſius minus probat; quod *Cerinthus* nomen fuerit peregrinum & ſervile. hac vero Elegia fit mentio *uxoris*: ſervis autem uxores non dabantur, ſed mulieres contubernales. Vide quæ dicimus ad Carmen 2. l. 4. noſtri poetæ.

v. 11. *Auguror*] Vaticinor, prædico tamquam divinus, & conjector. Ovidius 3. Metam. v. 519.

Jamque dies aderit, jamque haud procul auguror eſſe.

Græci dicunt *μαντεύομαι*. Vide Ariſtotelem l. 1. Ethic. c. 3.

ibid. *uxoris*] Non matrimonio copulatæ, ſed ſperatæ ſolum, vel pactæ, quod ex verſu 18. hujus Elegiæ colligi poteſt.

v. 12. *ipſos edidiciſſe deos*] *Ediſcere*, eſt memoriæ mandare: *edidiciſſe*, eſt meminiſſe, memoria tenere. Hoc autem ſibi vult poeta: Summa votorum tuorum, o Cerinthe, ut omnibus notum, eſt uxor quæ fidem ſemel viro datam ſancte ac religioſe cuſtodiat. Quum igitur ad aras deorum accedis rogaturus, exiſtimo, ipſos deos precum tuarum formulam ſcire, ac retinere memoria. Ovidius lib. 3. Pontic. Epiſt. 7.

Tædia conſimili fieri de carmine vobis,
  Quidque petam, cunctos edidiciſſe reor.

Benedictus Varchius, vir doctus atque elegantis ingenii, (*nelle Rime Paſtorali*):

E ſe quanto più può divoto prega
Colla lingua, e col cuor quel ch'omai penſa

Sap-

Nec tibi gemmarum quidquid felicibus Indis
  Naſcitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis,
  Flavaque conjugio vincula portet Amor?
Vincula quæ maneant ſemper, dum tarda ſenectus
  Inducat rugas, inficiatque comas.

Hac

Sappiano a mente in ciel tutti gli dei; &c. Neque illa Terentii diſſimilia ſunt Heautont. 5. 1. 6.

Obe, jam deſine deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam eſſe inventam gnatam: niſi illos ex tuo ingenio judicas,
Ut nihil credas intelligere, niſi idem dictum 'ſt centies.

v. 14. *Fortis ruſticus*] Durus, laboris patiens. Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 140.

Agricolæ priſci, fortes; parvoque beati.

ibid. *valido bove*] Ita Virgilius lib. 2. Georg. v. 237.

-- -- -- *validis terram proſcinde juvencis.*

Eſt autem hic Tibulli pentameter valde concinnus; id quod Broukhuſius animadvertit: duobus enim epithetis, inter quæ verbum ſitum eſt, reſpondent duo nomina ſubſtantiva, tertio interjecto.

v. 15. *felicibus Indis*] Hæc Lucæ Fruterii emendatio lib. 1. Veriſimil. cap. 13. certiſſima eſt, ſi quid intelligo. Indi felices vocantur, quod regio quam incolunt fertilis valde ſit, gemmis & auro ſcateat. Sic Arabiæ pars, *Felix* appellata. In pleriſque libris eſt, *felicibus undis:* at in proximo pentametro impolite *unda* repeteretur.

v. 16. *Eoi qua maris unda rubet*] Mare illud quod Rubrum appellant, cujus particula eſt ſinus Arabicus, non ab aquæ, neque ab arenæ colore ita dictum volunt viri docti, ſed ab rege Erythra, qui ſepultus fuerit in una inſularum Oceani ad meridiem ſiti. ἐρυθραία; enim, vel ἐρυθρὸς Græcis, *ruber*. Ceterum omne mare, ſi longe ſpectetur, adventu diei purpuraſcit, tempeſtate ingruente nigreſcit, plerumque glaucum, ſeu cæruleum apparet.

v. 17. *Vota cadunt*] Male quidam interpretantur: *Deſiderium tuum fruſtrantur numina, o Cerinthe.* quid enim dicere attinebat paullo ante: *Adnuet ille; roga.* Satin' ſanus Tibullus eſſet? *Cadere* hic eſt *evenire, accidere;* verbum ſimplex pro compoſito. M. Tullius lib. 1. Epiſt. ad Q. Fratrem: *Sed certe a te mihi omnia ſemper honeſta, & jucunda ceciderunt.* Idem lib. 1. de Divinat. *Si unum aliquid ita ſit prædictum, præſenſumque, ut, quum evenerit, ita cadat ut prædictum ſit.* Et lib. 2. de Legibus mirifice ad rem noſtram: *Jam vero permultorum exemplorum & noſtra plena eſt reſpublica, & omnia regna, omneſque populi, cunctæque gentes, augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidiſſe.* Hirtius in Commentario de Bello Alexandrino cap. 11. *Quamquam ſi quid gravius illi accidiſſet, merito caſurum judicabat.* Suetonius denique in Tiberio cap. 14. *Durius, & contra prædicta cadentibus rebus.*

ibid. *trepidantibus alis*] Adcelerantibus, & feſtinantibus. Hanc ſignificationem verbi *trepidare* pluribus illuſtrat diligentiſſimus Broukhuſius. Vulgati codices præferunt, *ſtrepitantibus*. Contra Morpheus apud Ovidium lib. 11. Metamorph. verſ. 150. *volat, nullos ſtrepitus facientibus alis, Per tenebras.*

v. 18. *Flavaq. conjugio vincula portet Amor*] Ceſton videlicet, cingulum Veneris luteo colore, qui color nuptiis dicatus. Vel potius intelligenda ſunt legitima vincula, quibus inter ſe vir & uxor copulantur. Juvenalis Sat. 6. v. 42. Urſidium a matrimonio deterrens, *capiſtrum*, hujuſmodi vincula fortaſſe appellavit:

-- . -- -- *ſi mœchorum notiſſimus olim*
Stulta maritali jam porrigat ora capiſtro.

v. 21.

Digitized by Google

Hac venias Natalis avi, prolemque miniſtres:
Ludat & ante tuos turba novella pedes.

v. 21. *Hac venias Natalis avi*] Ita Nicolao Heinſio, & Broukhuſio legere placet. Vulgati libri: *Huc veniat natalis avis*. Hic fœde lapſum Achillem Statium licet animadvertere; ſiquidem *τὸ avis* dictum exiſtimat de majoribus Cerinthi, caſu tertio, vel ſexto numeri multitudinis. Joſephus Scaliger intelligebat volucrem proſperam, puta corniccm *σύμβολον* conjugalis concordiæ. Addebam ego ex mea penu, veteres obſervare ſolitos fuiſſe in partu, quæ aves volarent, ſeu garrirent, inde illis qui naſcerentur felicia, vel triſtia prædicentes. Ovidius in Ibin v. 223.

Qui ſimul impuræ matris prolapſus ab alvo
Cinyphiam ſœdo corpore preſſit humum:
Sedit in adverſo nocturnus culmine bubo,
Funereoque graves edidit ore ſonos.

Quum vero paullo ante Amoris facta ſit mentio, quem Tibullus optat trepidantibus alis huc advenire, & flava conjugio vincula portare; haud procul aberam ab illa opinione, ut exiſtimarem, ipſum Cupidinem vocari *natalem avem*, quod videlicet naſcente Cerintho, & Ceriothi uxore, felix utrique omen ſternuerit, ut loquitur Propertius Eleg. 2. l. 2.

Num tibi naſcenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum ſternuit omen Amor!

Certe, ut narrat Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 19. *Ægyptii deos præſtites homini naſcenti quatuor adeſſe memorabant*, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην: *Dæmonem*, *Fortunam*, *Amorem*, *Neceſſitatem*. Bion vero Zmyrnæus, elegantiſſimus poeta, Idyllio 2. v. 3. inducit ἔρωτα ἐσιδόμενον πύξοιο ποτὶ κλάδον, *Amorem, buxi ramo inſidentem*, eumque vocat ὄρνιν, *avem*. Huic ſententiæ favere videbatur id quod ſtatim ſequitur in hoc Tibulli verſiculo: *prolemque miniſtres*; cujus enim eſt, niſi Amoris, miniſtrare prolem? Ceterum, concordiam viri & uxoris a cornice ſignificatam olim fuiſſe, teſtatur etiam Nonnus Panopolites lib. 3. Dionyſiac. v. 118.

— — — ἐπαινέσσεις δὲ κορώνην,
Καὶ γαμίην καλέσεις με θεοπρόπον ὄρνιν ἐρώτων.

— — — laudabis vero cornicem,
Et nuptialem me vocabis vatem, avem amorum.

Sed hoc demum tempore, Nicolai Heinſii ſententiæ lubens accedo; ejus enim lectio expedita maxime & concinna mihi videtur.

v. 22. *Ludat & ante t. turba novella pedes*] Liberi ſuccreſcentes ludere poſſint ante focum, o Geni, ubi & tu inter deos Lares poſitus es, atque adoraris.

ELE-

Digitized by Google

ELEGIA III.

RURA meam, Cerinthe, tenent villæque puellam.
Ferreus eſt eheu quiſquis in urbe manet.
Ipſa Venus lætos jam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris ruſtica diſcit Amor.
O ego, quum dominam adſpicerem, quam fortiter illic
Verſarem valido pingue bidente ſolum!

Agri-

ARGUMENTUM ELEGIÆ III.
LIBRI II.

Amicam ruſticari, male fert: ſe ad exemplum Apollinis agreſte opus facturum dicit: invehitur io divitias latrocinio partas: queritur de puellis avaris: laudat mores hominum ætatis aureæ.

VERSU 3. *lætos in agros*] Piogues, fertiles, votis agricolæ reſpondentes. Iccirco fimum, quem agris inſternunt, *lætamen* dixere; quod *faciat lætas ſegetes*, ut ait Virgilius initio Georg. *Nec vero*, teſte Cicerooe de Senectute, *ſegetibus ſolum, & pratis, & vineis res ruſticæ lætæ ſunt, ſed etiam hortis & pomariis*. Certe Plinius N. H. lib. 16. cap. 25. appellavit *florem gaudium arborum*.

v. 4. *Verbaq. aratoris ruſtica diſcit Amor*] Elegantiſſima ſeotentia, & perquam ſuavis. Nemeſin rus abeuntem comitatus eſt Amor cum Venere matre: quid enim io urbe ſederet otioſus, ac formæ tam excellentis præſidio ſpoliatus? Ruri autem verſatus cum aratoribus, eorum verba ſublegit, urbane loqui dedidicit. Contra Pao apud Lucianum in Bis Accuſato: Ὄρειος γάρ ἔγωγε, καὶ τὰ κομψὰ ταῦτα ῥημάτια, καὶ ἀστικὰ οὐ μεμάθηκα, ὦ Δίκη. *Etenim montanus ego ſum, nec ſubtilia iſta, urbanaque verba didici, o Juſtitia*. κομψὰ ῥημάτια ſunt Italis hodiernis *leggiadre parolette*. Habebant ruſtici Latinorum verba quædam ipſis tantum propria. Id conſtat vel ex Varrone l. 1. R. R. cap. 2. *Villicus agri colendi cauſſa conſtitutus, atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, & evehuntur, quum veneunt. a quo ruſtici etiam nunc quoque viam, veham appellant, propter vecturas; & vellam, non villam, quo vehunt, & unde vehunt. Item dicuntur, qui vecturis vivunt, vellaturam facere*. A. Gellius lib. 17. cap. 2. *Sermonari, ruſticius videtur, ſed rectius: ſermocinari, crebrius eſt, ſed corruptius*. Παρῳδὸς etiam ille vetus qui Maronem inepte calumniabatur:

Dic mihi Damœta, cujum pecus, anne Latinum?
Non, verum Ægonis. noſtri ſic rure loquuntur.

Perperam adſpiraſſe ruſticos, teſtatur idem Gellius lib. 13. cap. 6. *Quod nunc autem barbare quem loqui dicimus, id vitium ſermonis non barbarum eſſe, ſed ruſticum, & cum eo vitio loquentes ruſtice loqui dictitabant. P. Nigidius in Commentariis Grammaticis, Ruſticus fit ſermo*, inquit, *ſi adſpires perperam*. Ex hoc Gellii loco facile intelligimus, in allatis paulo aote Varronis verbis legeodum eſſe *veham*, cum adſpiratione, non *veam*; quod male præfert noviſſima editio Scriptorum Veterum de Re Ruſtica. Videotur etiam ruſtici vocalium coocurſum in loquendo vitare non admodum ſtuduiſſe. Propterea Cicero in Oratore ad Brutum cap. 44. *Quod quidem Latina lingua ſic obſervat, nemo ut tam ruſticus ſit, quin vocales nolit conjungere*. Denique ruſticorum proprium eſt in unaquaque lingua, nihil circuitione uti, vel metaphora, ſed rem proloqui aperte ac ſimpliciter, τὴν σκάφην σκάφην λέγειν: quod ait olim Philippus Macedo

Digitized by Google

Agricolæque modo curvum ſectarer aratrum,
  Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.
Nec quererer, quod Sol graciles exureret artus,
  Læderet aut teneras puſtula rupta manus.
Pavit & Admeti tauros formoſus Apollo:
  Nec cithara, intonſæ profueruntve comæ.

Nec

do iis qui Olynthum prodiderant. Ceterum Nonnus Panopolites initio libri 7. Dionyſiacon, Amorem vocat φιλότητος ἀροτρεύς, *benevolentiæ aratorem*.

v. 7. *Agricolæ modo*] Ut agreſtes homines conſueverunt. Eodem pacto Plautus Amphitr. 1. 1. 66.

Nos noſtras more noſtro & modo inſtruximus legiones.

Terentius pariter Andriæ 1. 1. 125.

Prope adeſt, quum alieno more vivendum eſt mihi,
Sine nunc meo me vivere interea modo.

Cicero lib. 1. de Inventione non procul ab initio: *Fuit quoddam tempus quum in agris homines paſſim beſtiarum modo vagabantur.* Horatius Ode 2. lib. 4. *Apis Matinæ More modoque*. T. Livius Hiſt. l. 5. *Motam certe ſede ſua parvi molimenti adminiculis, ſequentis modo, accepimus levem ac facilem translatu fuiſſe*. Idem lib. 21. *Lixæ modo, ſine inſignibus, ſine lictoribus profectum clam.*

ibid. *curvum aratrum*] Epitheton perpetuum. Ovidius Epiſt. Penelopes v. 55.

Semiſepulta virûm curvis feriuntur aratris Oſſa.

ibid. *ſectarer aratrum*] A ſimilium ſyllabarum concurſu, *arer ara*, Tibullus non abſtinet; id quod hodie piaculum putant pædagogi.

v. 8. *ſubigunt arva*] Ita Cicero Orat. 2. contra Rullum: *Atque illi miſeri nati in agris illis & educati, glæbis ſubigendis exercitati*. Idem lib. 2. de Nat. Deor. *Quid de bobus loquar? .... quibus quum terræ ſubigerentur fiſſione glæbarum*, &c.

ibid. *ſteriles boves*] Teſticulis nempe demeſſis; vel, ſi feminæ, vulvâ extractâ. Varro de R. R. lib. 2. cap. 5. *Quæ ſterilis eſt vacca, taura appellata: quæ prægnans, horda*. Ita Catullus in Galliambo v. 69. verbis Atynis evirati:

Ego Mænas, ego mei pars, ego vir ſterilis ero?

v. 10. *puſtula rupta*] Ut accidit iis qui teneriori ſunt cute, atque opere faciundo nondum occalluerunt. Martialis lib. 14. Epigr. 165.

Fervida ne trito tibi pollice puſtula ſurgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Cornelius Celſus lib. 5. Medicinæ cap. 28. §. 15. *Puſtulæ*, inquit, *lividæ ſunt, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato: ſubeſtque illis humor. Ubi hæ ruptæ ſunt, infra quaſi exulcerata caro apparet.*

v. 11. *Pavit & Admeti tauros formoſus Apollo*] Ita Virgilius Ecloga 10. v. 18.

Et formoſus oves ad flumina pavit Adonis.

Callimachus Hymno in Apollinem v. 47. non boum, ſed equarum paſtorem fuiſſe Phœbum affirmat:

Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
Ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους
Ἠιθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Phœbum etiam Nomium cognominamus, ex illo tempore
Ex quo juxta Amphryſum jugales pavit equas,
Impuberis amore inflammatus Admeti.

Lactantius vero Firmianus lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 10. ab Apolline gregem Admeti paſtum, tradit. *Quid Apollo .....? nonne ob amorem, quo flagravit, turpiſſime gregem pavit alienum?* Grex autem ποίμνη vel ovium, vel caprarum eſt: aliquando autem uſurpatur pro boum, vel equorum armento.

v. 12. *intonſæ comæ*] Nam tenerum adoleſcentem, qualis fingitur Apollo, comâ numquam tonsâ, ſed per humeros volitante, qui mos fuit ephebornm delicatorum, tam ſordidum paſcendi gregis miniſterium dedecebat. Paſtores plerumque ſervi erant: ſervorum autem capita non tondebantur ſo-

X lum,

Nec potuit curas ſanare ſalubribus herbis.
Quidquid erat medicæ, vicerat, artis, Amor.
Tunc fiſcella levi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

O quo-

lum, ſed nonnumquam etiam radebantur.

ibid. *profuerunt*] Hnc loco tertia ſyllaba hujus vocis corripitur contra naturam ſuam, κατὰ συςολήν.

v. 14. *Quidquid erat medicæ, vicerat, artis, Amor*] Animadvertenda eſt σύγχυσις verborum in hoc verſu, cujuſmodi occurrunt non ſemel apud optimos poetas. Lucretius l. 6. v. 174. ordine hnc vocum perturbato uti non dubitavit:

Ventus ubi invaſit nubem, & verſatus ibidem
Fecit, ut ante, cavam, docui, ſpiſſeſcere nubem.

Horatius item Ode 23. lib. 1.

Tandem deſine matrem
Tempeſtiva, ſequi, viro.

Et Satyra 1. l. 2. v. 83.

— — — Eſto; ſi quis mala. ſed bona ſi quis,
Judice, condiderit, laudatur Cæſare.

ubi τὸ *condiderit* quam alieno loco poſitum ſit, nemo non videt. Ovidius l. 1. Amor. Eleg. 6. v. 58.

Quam, face, ſuſtineo, tecta ſuperba petam.

ſcilicet, *face quam ſuſtineo*. Denique Lucanus lib. 1. Pharſaliæ v. 14.

Hoc, quem civiles hauſerunt, ſanguine, dextræ.

* Poſt hunc Tibulli verſum quatuor illi ſtatim ſequebantur in codicibus manu exaratis quos Joſephus Scaliger, tamquam ſpurios, & a barbaris hominibus intruſos, jure ac merito expunxit, ne mundam Tibulli ſupellectilem fœde conſpurcarent. Nihilominus, ut curioſis gratum faciam, hic eos proferam: qui faſcinum timent, deſpuant ſibi in ſinum.

Ipſe deus ſolitus ſtabulis expellere vaccas,
Et potum feſſas ducere fluminibus:
Et miſcere novo docuiſſe coagula lacte,
Lacteus & mixtis obriguiſſe liquor.

Nimirum arbitrabantur mangones, hiulcam eſſe poetæ ſententiam, neque ſatis abſolutam: icciteo ſuppetias iverunt. Non diffiteor, eſſe aliqua in hoc tetraſticho bonam Latinitatem olentia: ſed alia tamen ſunt indigna Tibullo, & aureo illo ſæculo. Proba locutio eſt, ſi quid video, *ſtabulis expellere vaccas:* item, *miſcere coagula novo lacte*. *Lac novum* dixit Virgilius Ecloga 2. v. 22.

Lac mihi non æſtate novum, non frigore defit.

Ut id obiter moneam, Juſtinus l. 13. Hiſt. Trogi cap. 7. refert, *Ariſtæum in Arcadia late regnaſſe, eumque primum & apium & mellis uſum, & lactis ad coagula hominibus tradidiſſe*. Uſus lactis ad coagula, eſt τυροποιΐα, *il facimento del formaggio*. Etiam, *obriguiſſe*, proprium & elegans verbum eſt. Rem ipſam ita expreſſit Homerus lib. 5. Iliados prope finem:

— — — ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος συνέπηξεν
Ὑγρὸν ἐὸν, μάλα δ' ὦκα περιστρέφεται κυκόωντι.
— — — quando lacteus fici ſuccus lac album feſtino motu in coagulum cogit,
Liquidum quod erat, & celerrime circumagitur a miſcente.

Recenſere juvat quæ diſplicent in tetraſticho memorato, & fucum factum ſatis oſtendunt. *Ipſe deus ſolitus ſtabulis:* numeri duriores, inſuaves, coacti; aſper ſyllabarum concurſus; tum σιγματισμὸς vitioſus. *potum ducere fluminibus*, pro, *ducere ad flumina*. Virgilius tamen l. 2. Æneid. v. 457.

— — — & avo puerum Aſtyanacta trahebat.

pro, *ad avum*. *Lacteus & mixtis obriguiſſe liquor*. Ut ſyntaxis conſtet, repetendum eſt τὸ *ſolitus*, ἀπὸ κοινοῦ. Sed omnia ſunt incondita, & a mala manu. Utinam & in ceteris quæ ad Tibullum pertinent, Scaliger tam felix conjector fuiſſet.

v. 15. *fiſcella*] Calathus, *in uſum cogendi lactis*, ut ait Nemeſianus Ecloga 2. v. 34. τυροποιεῖν.

ibid. *detexta eſt*] *Detexere* Latinis eſt *perfecte texere*. Titinnius Fullonibus:

Quæ

O quoties illo vitulum geſtante per agros
  Dicitur occurrens erubuiſſe ſoror.
O quoties auſæ, caneret dum valle ſub alta,
  Rumpere mugitu carmina docta boves.
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus:
  Venit & a templis irrita turba domum.
Sæpe horrere ſacros doluit Latona capillos,
  Quos admirata eſt ipſa noverca prius.

Quæ inter decem annos nequiſti unam togam detexere.

ibid. *vimine junci*] Vimen a junco diſtinguere non videtur: alii tamen recte diſtinxerunt. Virgilius Ecloga 2. v. 72.

Quin tu aliquid ſaltem, potius quorum indiget uſus,
Viminibus, mollique paras detexere junco?

Nemeſianus Ecloga 2. v. 33.

Ipſe ego nec molli junco, nec vimine lento
Perfeci calathos cogendi lactis in uſus.

Vimen autem proprie dicitur de ſalicis virgulto, quod quum lentum & flexile admodum ſit, viendo ſeu ligando ſolet adhiberi.

v. 16. *Raraque per nexus eſt via facta ſero*] Quod maxime liquidum & aquoſum eſt in lacte, ſerum appellatur. Id per calathorum foramina exprimitur, ut pars lactis craſſior cogatur, & in caſeum obrigeſcat. Ovidius l. 12. Metamorph. v. 436.

– – – veluti concretum vimine querno
Lac ſolet; utve liquor rari ſub pondere cribri
Manat, & exprimitur per denſa foramina ſpiſſus.

Idem lib. 4. Faſt. v. 769.

Ubera plena premam: referat mihi caſeus æra:
Denique viam liquido vimina rara ſero.

v. 17. *illo vitulum geſtante per agros*] Id quoque paſtoritium eſt. Noſter ſuperius Eleg. 1. lib. 1.

Non agnamve ſinu pigeat, fœtumve capellæ
Deſertum oblita matre referre domum.

v. 18. *occurrens ſoror*] Diana ſcilicet, dum venatui dat operam, & huc illuc per agros diſcurrit.

v. 19. *O quoties auſæ* &c.] Hæc quoque ſuaviſſima & urbana ſententia eſt: boves, animalia pingui & barbaro ingenio, auſas fuiſſe doctis Apollinis carminibus mugitu obſtrepere.

v. 21. *duces petiere oracula*] Dum Apollo in longinqua regione peregrinatur, & Admeto ſervitutem ſerviens, ejus armentum curat, exercituum imperatores ad abſentis dei oraculum venerunt, reſponſa petituri, eumque conſulturi de dubiis rebus & graviſſimis: at quum domi non inveniſſent, *inconſulti abierunt*; ut ait Maro l. 3. Æneid. v. 452. Quum de oraculis agitur, dicimus *petere ac dare reſponſum*. Idem Virgilius Ecloga 1. v. 45.

Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti.

Sed hoc loco apud Tibullum, *petere oraculum*, eſt ad locum oraculi proficiſci.

ibid. *trepidis rebus*] In tumultu ſcilicet, hoſtibus urgentibus aut minitantibus.

v. 22. *irrita turba*] Itinere fruſtra ſuſcepto. *παλιμπλαγχθέντες, ἤτοι μάτην ἀπράκτως ὑποστρέψαντες*. Eodem pacto Xenophon apud Jacobum Gretſerum in Syntaxi pag. 23. *Εἰσιόντες δὲ αὐτῆς ὄχλοι πυκνοῦντο πέλας, φοβέμενοι μὴ ἄπρακτοι ἥκοιεν.*

v. 23. *horrere ſacros d. L. capillos*] Horrebant Apollinis capilli, quod eos negligeret ac minus pecteret, immo lutulenta paludis Bœbeidos aqua inquinaret potius quam lavaret. Id colligas ex Valerio Flacco l. 1. Argonaut. v. 449.

ibid. *doluit Latona*] Propter maternam affectionem. Etenim matres de forma & ornatu filiorum valde ſollicitæ ſunt.

v. 24. *ipſa noverca*] Juno, privignis ſuis omnibus præter modum infenſa. Nempe dum Apollo comam aleret atque ornaret, ipſi novercæ admirationi fuerat: poſtea impe-

Quiſquis inornatumque caput, crineſque ſolutos
Adſpiceret, Phœbi quæreret ille comam.
Delos ubi nunc, Phœbe, tua eſt? ubi Delphica Pytho?
Nempe Amor in parva te jubet eſſe caſa.

Feli-

xus & horridus matri ſuæ Latonæ dolori erat.

v. 25. *inornatum caput*] Crinibus neque in ordinem diſpoſitis, neque unguento nitidis. Propertius contra lib. 1. Eleg. 2.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?

v. 26. *Phœbi quæreret ille comam*] Hoc eſt, non videret, deſideraret, dicens, Ubi nunc honor comarum? Phavorinus apud Stobæum Serm. 64. veram pulchritudinem laudans ita ſcribit: Ἔτι δὲ νῦν Σωκράτης καλός. Ἀλκιβιάδην δὲ καὶ ζῶντα ἐπιλέλοιπεν τὸ κάλλος, καὶ πολλοὶ κατόπιν τῆς ὥρας ἀφιγμένοι, ἤδη δὲ καὶ τῶν τεθεαμένων αὐτὸν καὶ νῦν ὁρώντων ἐζήτουν τὸν Ἀλκιβιάδην. *Socrates etiamnum pulcher eſt: Alcibiadem vero viventem adhuc ſua deſtituit pulchritudo: & multi, qui poſt pubertatem eum acceſſerunt, quorum nonnulli eum antea viderant, nunc etiam intuentes, Alcibiadem quærebant.* Eodem pacto a Secundo philoſopho amicus dicitur ζητούμενον ὄνομα, *nomen quod quæritur*, ſive rei quam quærimus: ἄνθρωπος ἀφανής, *homo qui non apparet.* Ovidius lib. 1. Ponticorum Epiſt. 10.

Vix igitur poſſis viſos agnoſcere vultus,
Quoque ierit quæras, qui fuit ante, color.

Et lib. 6. Faſt. v. 667. ubi de tibicinibus urbe pulſis:

Quæritur in ſcena cava tibia: quæritur aris.
Ducit ſupremos nænia nulla choros.

Ita Cicero de Claris Orat. cap. 42. *Si iſto modo volumus ſingulas res deſiderare, non modo quærendi, ſed ne lugendi quidem finem reperiemus.* Idem Orat. Frumentaria in C. Verrem: *Herbitenſis ager, Ennenſis, Murgentinus, Aſſorinus, Machærenſis, Agyrinenſis ita relictus erat ex maxima parte, ut non ſolum jugerum, ſed etiam dominorum multitudinem quæreremus.* & paullo poſt: *Ut in uberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus.* Manilius quoque lib. 1. Aſtronomic. v. 216.

— — — nuſquam invenies fulgere Canopum,
Donec Niliacas per pontum veneris oras.
Sed quærent Helicen, quibus ille ſupervenit ignis,
Qui laterum tractus habitant.

Et v. 224.

Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes,
Poſt medio ſubjecta polo quæcumque coluntur.

Lunam deficientem alloquitur. Seneca Epiſt. 91. *Quæ res efficit, ut firmitatem animi ſui quærat.* & infra: *Lugdunum, quod oſtendebatur in Gallia, quæritur.* Illud regis Ezechiæ non diſſimile apud Vulgatum Interpretem Iſaiæ cap. 38. *Quæſivi reſiduum annorum meorum.* Eadem porro ſignificatione uſurpant Latini ſcriptores verbum *requirere*. Noſter Elegia 1. lib. 1.

Non ego divitias patrum, fructuſque requiro
Quos tulit antiquo condita meſſis avo.

M. Tullius Divinatione in C. Verrem: *Habet enim nihil* (Q. Cæcilius) *quod in offenſione deperdat. Ut turpiſſime flagitioſiſſimeque diſcedat, nihil de ſuis veteribus ornamentis requiret.* ubi Aſconius: *Amiſſum ſentiet; hoc eſt enim, nihil requiret: non ſentiet ſibi deeſſe aliquid ex iis rebus quas numquam habuit.* Martialis l. 2. Epigr. 83.

Fœdaſti miſerum, marite, mœchum:
Et ſe, qui fuerant prius, requirunt
Trunci naribus, auribuſque vultus.

v. 27. *Delos tua*] Apollinem, Delium appellabant, quod in Delo inſula maris Ægei Latona mater eum peperiſſet, ibique fanum & oraculum celeberrimum ipſe haberet.

v. 28. *Delphica Pytho*] Urbs Phocidis mediterranea, ſita in valle Parnaſſi, qua mons aſcendere incipit. Antiquiore nomine Pytho vocata fuit, recentiore Delphi. Habuit vero notiſſimum Apollinis oraculum & maxime inſigne. Pythonem illam dixerunt, ut refert Homerus Hymno in Apollinem a verſu 363. quod eo in loco dracæna quædam immanis, Typhaonis educatria, vi Solis domita, computruerit: eique morienti Phœbus inſultans ita increpitaverit: Ἐνταυθοῖ νῦν πύθευ. *Hic nunc putreſce.* Poſtea Delphos eam vocaverunt,

vel

Felices olim, Veneri quum fertur aperte
Servire æternos non puduiſſe deos.
Fabula nunc ille eſt. ſed cui ſua cura puella eſt,
Fabula ſit, mavult, quam ſine amore deus.
At tu, quiſquis is es, cui triſti fronte Cupido
Imperitat, noſtra ſint tua caſtra domo.

Fetrea

vel ob Delphuſam quamdam ſacerdotem ; vel quod Apollo delphinis formam indutus Cretenſibus navigantibus apparuerit, eoſque ad Criſſam Phocidis urbem deduxerit ; vel tandem quod Python ſerpens ab Apolline ſagittis confectus, delphin etiam vocatus fuerit, ut narrat Dionyſius *ὁ περιηγητὴς* a v. 441. Vide Paſſeratium ad verſum 35. Eleg. 6. lib. 4. Propertii.

v. 29. *Felices olim*] Subaudi, mortales ævi antiquioris. Tantum enim aberat ut eos dii, pœna propoſita, deterrerent a peccando, ut potius exemplo ſuo ad exercendas libidines invitarent. Stulta & impia ſententia eſt poetæ voluptarii, vel ſaltem voluptarium hominem imitati. Quid enim a decoro alienius, quid ineptius fingi potuit, quam deos æternos, ut illos vocat, liberis operam dare, ac Veneri, more pecudum, in ſilvis ac ſpeluncis, vel etiam ſub dio ſervire, in conſpectu omnium? Quid magis neſarium, quam cæleſtem ſanctamque naturam turpiſſimis puerorum amoribus vacare, & quæ ulciſci deberet, ipſam libentiſſime facere? Hoſce ſcopulos in poetarum lectione, o juventus, devita: hæc *dulci lita mello venena* reſpuere memento; delectu enim opus eſt.

v. 31. *Fabula nunc ille eſt*] Nunc Apollo per ora hominum traducitur. Sic Horatius Epodo 11.

Heu me, per urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui!

Ovidius lib. 3. Amorum Elegia 1.

Fabula, nec ſentis, tota jactaris in urbe.

v. 32. *ſine amore*] Abſque amica.

v. 33. *At tu, quiſquis is es*] Hunc verſum cum viginti ſeptem ſequentibus Joſephus Scaliger audacter loco moverat, & in poſtremam Elegiam hujus libri tranſtulerat, invitis codicibus, & peſſimo exemplo. Tibullus, poſtquam dixit, etiam Apollinem Cupidini paruiſſe, neque vitæ paſtoralis labores, duritiam, ſordes dedignatum fuiſſe, ut voti compos evaderet ; invitat *ἀκαίρως* domum ſuam, ut ſecum amoris militiam ſubeant: oſtendit enim, domi ſuæ caſtra quædam eſſe amatoria, in quibus juvenes tirocinium hujus militiæ ponere poſſint: quamobrem, tacite pollicetur, ſe magiſtrum illis, ducem atque tribunum futurum.

v. 34. *Imperitat*] Broukhuſius recte animadvertit, in hoc frequentativo eſſe plus aliquid vigoris, quam in poſitivo *imperat*. Quod Plauti, Lucretii, Horatii productis teſtimoniis confirmat.

ibid. *noſtrâ ſint tua caſtra domo*] Notiſſimum & pervulgatum eſt illud Ovidii Amor. 1. Eleg. 9.

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra
Cupido.

Caſtra luxuriæ commemorat Cicero in Oratione poſtrema adverſus C. Verrem: *contubernium* item *muliebris militiæ*. Idem Epiſt. 29. lib. 9. *In Epicuri*, ait, *nos adverſarii noſtri caſtra conjecimus*. Libro autem de Senectute: *Animum tamquam emeritis ſtipendiis libidinis ſecum eſſe*. Diverſa plane ſignificatione dixit Juvenalis Sat. 10. v. 95. de Sejano loquens, *caſtra domeſtica*. Huc pertinet illud Ovidii lib. 2. Amor. Eleg. 18.

Vincor, & ingenium ſumtis revocatur ab ar-
mis:
Reſque domi geſtas, & mea bella cano.

Neque illud Ciceronis libro 5. in Verrem plane diſſimile: *Itaque non modo domo tua Chelidonem in prætura extrudere noluiſti, ſed in Chelidonis domum præturam tuam totam detuliſti*. Sententia ergo Tibulli huc redit: Simus in eodem contubernio, ſub uno imperatore Cupidine ſtipendia faciamus.

v. 35.

Ferrea non Venerem, ſed prædam ſæcula laudant.
Præda tamen multis eſt operata malis.
Præda feras acies cinxit diſcordibus armis.
Hinc furor, hinc cædes, mors propiorque venit.
Præda vago juſſit geminare pericula ponto,
Bellica quum dubiis roſtra dedit ratibus.
Prædator cupit immenſos obſidere campos,
Ut multo innumeram jugere paſcat ovem.
Quid lapis externus curæ eſt? urbique tumultus
Portatur validis mille columna jugis?

Clau-

v. 35. *Ferrea non Venerem, ſed prædam ſæcula laudant*] Quaſi militia Veneris tantum, aurei ſæculi propria fuerit. Quod vero ait, *laudant*, utitur militari verbo, reſpicitque laudes, quibus ab imperatore ſuo ſtrenui milites in concione decorabantur. Vide quæ ſcripſimus ad Elegiam 1. lib. 1. v. 57.

v. 36. *multis eſt operata malis*] Mira locutio & inuſitata, *operari malis*, tamquam ſacris. Sed latet ulcus; & locus, ut videtur, corruptus eſt.

v. 37. *cinxit diſcordibus armis*] Broukhuſius ex vetuſtis quibuſdam codicibus: *acuit crudelibus armis*. quæ lectio minus placet; milites enim proprie cinguntur armis, puta lorica, clipeo, enſe, non vero acuuntur. *diſcordibus* epithetum elegantius, quam *crudelibus*. Ita Virgilius lib. 2. Georgic. v. 459.

-- -- -- quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

Deinde ſignificantur bella civilia, per quæ poeta noſter bonis everſus fuerat. Id manifeſtum eſt ex Panegyrico ad Meſſalam. Invehitur propterea in prædam & prædatores.

v. 39. *vago ponto*] Tribuit ponto, quod eſt navium per pontum euntium: nam hæ proprie vagantur.

ibid. *geminare pericula*] Bella terreſtria maritimis priora fuerunt. Quum igitur claſſes inventæ primum ſunt, & roſtra navibus affixa, ut mari etiam pugnari poſſet, geminata ſunt belli pericula. Vel, ſi mavis, quum omni naviganti mare per ſe periculoſum ſit, adduntur pericula ex prœlio navali.

v. 40. *Bellica quum dubiis roſtra dedit ratibus*] Roſtro enim ferreo impacto naves Græcorum & Romanorum navibus hoſtium vehementer nocebant. Cornelius Nepos in calce Vitæ Chabriæ: *Navis roſtro percuſſa cœpit ſidere*. Vide Cæſarem lib. 3. de Bello Gallico cap. 13. & 14. Memorabile eſt quod canit Silius Italicus lib. 14. Punicorum v. 481.

Tranſigitur valida medius, dum ſe allevat, alni
Cuſpide Marmarides Scyron. pars ſubnatat unda
Membrorum, pars exſtat aquis; totumque per æquor
Portatur, rigido (miſerandum) immortua roſtro.

Ad quem Silii locum Nicolaus Heinſius multa movet fruſtra. *Cuſpis alni*, eſt roſtrum ipſum ferreum navis ex alno; qua cuſpide Scyron transfixus periit. Male igitur Heinſius putavit, *roſtro* illic nullum locum eſſe, probavitque lectionem codicis Puteanei, *ferro* præferentis. Roſtrum navis a Græcis vocatur ἔμβολος. Suidas: Ἔμβολος χάλκωμα πεπυκνωμένον περιτιθέμενον κατὰ πρῴραν ταῖς ναυσὶν. Prædones vero ſeu prædatores maritimi, piratæ vocantur.

v. 44. *Portatur validis mille columna jugis*] *Columna*, pro *columnæ*. Nam cereroqui mille juga ad unam columnam vehendam, immanis eſſet ὑπερβολή. Martialis Epigr. 22. lib. 5.

Vix

Digitized by Google

Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piſcis adeſſe minas?
At tibi læta trahant Samiæ convivia teſtæ,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.

Heu

Vixque datur longas mulorum rumpere mandras,
Quæque trabi multo marmora fune vides.

M. Tullius Orat. pro Domo ſua: *Columnæ marmoreæ, ex ædibus meis ..... ad ſocerum conſulis portabantur*. Neque ſolum ingentes columnæ marmoreæ per vicos urbis Romæ ſummo tumultu portabantur, verum etiam trabes immenſo pondere, ad cameras & lacunaria ſuſtinenda. Seneca Epiſt. 90. *Nec in hunc uſum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent*. Juvenalis Sat. 3. v. 254.

-- -- -- modo longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt, nutant altæ, populoque minantur.
Nam ſi procubuit qui ſaxa Liguſtica portat
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus? quis membra, quis oſſa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver.

v. 45. *Claudit moles mare*] Ita Silius Italicus lib. 8. Punic. v. 482.

Tunc quos a niveis exegit Luna metallis
Inſignis portu, quo non ſpatioſior alter
Innumeras cepiſſe rates, & claudere pontum.

Hoc vocabant veteres *conſtruere*, & *exſtruere mare*. Salluſtius Belli Catil. c. 13. *Nam quid ea memorem quæ, niſi his qui videre, nemini credibilia ſunt; a privatis compluribus ſubverſos montes, maria conſtructa eſſe?* Idem cap. 21. *Illis divitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari, & montibus coæquandis*. Vellejus Paterculus lib. 2. c. 33. *Quem* (Lucullum) *ob injectas moles mari, & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompejus Xerxen togatum vocare adſueverat*. Seneca Rhetor Excerpt. Controv. 5. *Maria ſubmoventur projectis molibus*. V. Senecam Thyeſte, v. 460. Pulchre Silius de hujuſmodi molium ædificatione l. 4. v. 297.

Haud aliter, structo Tyrrhena ad litora ſaxo,
Pugnatura fretis ſubter cæciſque procellis,
Pila, immane ſonans, impingitur ardua ponto.
Immugit Nereus, diviſaque cærula pulſu
Illiſum accipiunt irata ſub æquora montem.

ibid. *lentus*] Securus, otioſus, vel ad gulam domini paratus.

v. 46. *Negligat hibernas piſcis adeſſe minas*] Maris tempeſtatem hiberno tempore foris debacchantem parvipendat, ipſe in vivario tutiſſimo laſciviens. Memorabilis in hanc rem locus eſt M. Varronis lib. 3. de R. R. cap. ultimo: *Contra ad Neapolim L. Lucullus poſteaquam perfodiſſet montem, ac maritima flumina immiſiſſet in piſcinas, quæ reciprocæ fluerent, ipſe Neptuno non cederet de piſcatu. factum eſſe enim, ut amatos piſces ſuos videatur propter æſtus eduxiſſe in loca frigidiora, ut Appuli ſolent pecuarii facere, quod propter calores in montes Sabinos pecus ducunt. In Bajano autem tanta ardebat cura, ut architecto permiſerit, ut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus e piſcinis in mare, objectaculo quo æſtus bis quotidie ab exorta luna ad proximam novam introire ac redire rurſus in mare poſſet, ac refrigerare piſcinas*. Et paullo ante ſcripſerat: *Minus laborabat* (Hortenſius) *ne ſervus æger, quam aquam frigidam biberent ſui piſces*. At luculentior interpres Tibulli fuerit Seneca Epiſt. 90. *Ego vero philoſophiam judico, non magis excogitaſſe has machinationes tectorum ſupra tecta ſurgentium, & urbes prementium, quam vivaria piſcium in hoc clauſa, ut tempeſtatum pericula non adiret gula, & quamvis acerrime pelago ſæviente, haberet luxuria portus ſuos, in quibus diſtinctos piſcium greges ſaginaret*.

v. 47. *At tibi*] Nempe qui militaturus es mecum in caſtris Cupidinis, prædâ quæ ex vulgari militia redit omnino contemtâ.

ibid. *læta trahant Samiæ convivia teſtæ*] Samos inſula figulinis celeberrima. Hoc

autem

Heu heu divitibus video gaudere puellas.
  Jam veniant prædæ, ſi Venus optat opes.
Ut mea luxuria Nemeſis fluat: utque per urbem
  Incedat donis conſpicienda meis.
Illa gerat veſtes tenues, quas femina Coa
  Texuit, auratas diſpoſuitque vias.
Illi ſint comites fuſci, quos India torret,
  Solis & admotis inficit ignis equis.

Illi

autem ſibi vult poeta: Nos qui amori operam damus, oeque locupletari euramus, cibum libenter ſumemus e Samiis fictilibus: contra qui prædas conſectantur, ſibi habeant argentea vaſa, patinas, lances. Ita perſonatus quidam locuples apud Auctorem Rhetoric. ad Herennium lib. 4. *Ædes commodavi, familiam dedi, argentum quoque vult? Tametſi hoſpites habeo, tamen utatur licet: nos Samiis delectabimur.* Lactantius Firmianus lib. 1. Divin. Inſtit. c. 18. *Cur autem figulinæ repertori honos non habetur? an quia iſti divites vaſa Samia contemnunt?* Nihilominus etiam locupletibus vaſa Samia in deliciis fuiſſe videntur. Certe Plinius lib. 35. N. H. cap. 12. *Major*, inquit, *pars hominum terrenis utitur vaſis. Samia etiamnum in eſculentis laudantur.*

v. 48. *Fictaque Cumanâ lubrica terra rotâ*] Plinius ibidem meminit figlinæ Cumanæ; quod animadvertit Broukhuſius: *Nobilitantur iis oppida quoque, ut Rhegium, & Cumæ.* Rota in inſtrumento figuli. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 21.

— — — amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur urceus exit?

v. 50. *Jam veniant prædæ*] Amantis hominis inconſtantia. Contemſit adhuc opes militia partas. Intelligit nunc, puellis gratos eſſe divites: animum iccirco ad militiam appellit, ut ſibi ſuppetat, unde Nemeſin pretioſa veſte, ac regio ſervitio donare poſſit.

v. 51. *Ut mea luxuriâ Nemeſis fluat*] Sic Terentius Heautont. 5. 1. 72.

Egone? ut ejus animum, qui nunc luxuria & laſcivia
Diffluit, retundam, & redigam, ut, quo ſe vertat, neſciat.

Volcatius Gallicanus ita locutus in Avidio Caſſio: *Præpoſitus Syriacis legionibus, luxuria diffluentibus, arma ſingulorum ſeptimo quoque die inſpexit.*

v. 52. *Incedat*] Cum faſtu ſcilicet. Nam *incedere* proprium eſt dearum, reginarum, & ſummatum feminarum. Exempla Broukhuſius attulit.

v. 53. *veſtes tenues, quas femina Coa Texuit*] Veſtes pellucidas, quæ muliebre corpus nudabant potius quam tegebant. Hæ vero ex Co inſula maris Ægei, patria Hippocratis & Apellis, ubi earum textrinæ, Romam mittebantur. Meretrices in primis eas induebant. Horatius Sat. 2. lib. 1. v. 101. *Cois tibi pene videre eſt Ut nudam.* Propertius lib. 1. Eleg. 2.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veſte movere ſinus?

v. 54. *auratas diſpoſuitque vias*] Virgas aureas, quæ inter telas procurrerent, ut recte explicat Broukhuſius. Nititur teſtimonio Servii Grammatici, qui ad locum Virgilii libro 8. Æneid. v. 660.

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis.
Virgatis lucent ſagulis.

ita ſcribit: *Quæ habebant in virgarum modum deductas vias. Et bene adluſit ad Gallicam linguam, per quam VIRGA purpura dicitur.* Erant igitur virgæ tam ex auro, quam ex purpura: & ex alio quovis, ut videtur, colore ardentiore quam eſſet contextus reliquæ veſtis.

v. 55. *Illi ſint comites fuſci*] Ancillulæ ex Æthiopia, cujuſmodi ſolæ reginæ uterentur, mentio fit apud Terentium Eunucho 1. 2. 85. Neque alio fortaſſe pertinent illa ejuſdem poetæ Heautontimor. 3. 1. 42.

Pri-

Illi ſelectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.
Nota loquor: regnum ipſe tenet, quem ſæpe coegit
Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

At

Primum jam ancillas ſecum adduxit plus decem
Oneratas veſte atque auro: ſatrapes ſi ſiet
Amator, nunquam ſufferre ejus ſumtus queat.

v. 56. *Solis & admotis inficit ignis equis*] Imminet enim Sol Indorum atque Æthiopum vertici, eoſque non obliquis radiis, ut populos ad polorum alterutrum accedentes, at directis ferit. Horatius Ode 22. l. 1.
Pone ſub curru nimium propinqui Solis.

v. 57. *ſelectos colores*] Tyriæ præſertim purpuræ color, ſelectus habebatur, & quum caro admodum veniret, nonniſi a locupletibus feminis emi poterat. Quamobrem Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 169.
Quid de veſte loquar? nec vos, ſegmenta, requiro;
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubes.
Quum tot prodierint pretio leviore colores,
Quis furor eſt, cenſus corpore ferre ſuo?
Enumerat deinde veſtium colores parabiles, puta cæruleum & aëri ſereno ſimilem, galbinum, glaucum ſive hyalum, croceum, myrteum, amethyſtinum, roſeum, gruis, caſtanearum, amygdalorum, ceræ denique.

v. 58. *Africa puniceum, purpureumque Tyros*] Purpura, qua olim veſtes inficiebantur, non unius omnino coloris fuit. Vitruvius lib. 7. Architecturæ cap. 13. *Conchylium*, inquit, *quod legitur Ponto & Gallia, quod hæ regiones ſunt proximæ ad Septemtrionem, eſt atrum: progredientibus inter Septemtrionem & Occidentem, invenitur lividum. Quod autem legitur ad Æquinoctialem Orientem & Occidentem, invenitur violaceo colore. Quod vero Meridianis regionibus excipitur, rubra procreatur poteſtate, & ideo hoc rubrum Rhodo etiam inſula creatur, ceteriſque ejuſmodi regionibus, quæ proximæ ſunt Solis curſui.* Purpureum colorem a puniceo diſtinguit etiam Plautus Menæchmis 5. 5. 18.
-- -- -- quin tu me interrogas,
Purpureum panem, an puniceum ſoleam ego eſſe, an luteum?

v. 59. *regnum ipſe tenet*] Quum ex vili mancipio locupletiſſimus factus fuerit, rex jam a paraſitis & ſcurris appellatur. Celeberrimum eſt illud Horatii Sat. 3. l. 2. v. 94.
— — — Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris
Divitiis parent; quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus. Sapienſne? Etiam & rex,
Et quicquid volet.
Eadem ſignificatione ſumit hoc vocabulum Venuſinus poeta Epiſt. 17. v. 43.
Coram rege ſuo de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent.
Ergaſilus paraſitus apud Plautum Captivis 1. 1. 24.
— -- -- poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium.
loquitur de Philopolemo, hero & convivatore ſuo. Occurrunt hæc ſæpius in Epigrammatis Martialis. Vel, quod verius exiſtimo, Tibullus hoc ſibi vult: *regnum tenet*, nempe τὴν ἐρωτικὴν βασιλείαν: regnat in amore, perſona eſt primarum partium, puellæ formoſæ imperat. Hujuſmodi hominem Plautus Menæchmis 2. 3. 9. *potiſſimum* appellat; Terentius Hecyra 1. 1. 9. *eximium*; Idem Eunucho 1. 2. 47. *intimum*. Idem ibid. v. 10. *primum*. Propertius vero a Tibullo non abit lib. 2. Eleg. poſtrema:
Ut regnem mixtas inter conviva puellas.

ibid. *ſæpe*] Non ſemel tantum proſtitit in cataſta, ut ſolebant mancipia venalia, ſed ſæpius. αὔξησις ποιητική, ad oſtendendam ſervi nequiſſimi vilitatem, qui difficile ac vix emtorem invenerit.

v. 60. *Barbara cataſta*] Strues lignorum, ſive ἀνάβαθρον, cui ſervitia imponebantur a mangonibus, ut edito in loco ſpectari facile ac probari poſſent. *Barbaram* Tibullus vocat, quod hujuſmodi mangones qui ſervos venales in cataſta exponebant, Syri eſſent, Cappadoces, Ægyptii, vel ex alia regione barbara.

At tibi, dura Ceres, Nemeſin quæ abducis ab urbe,
Perſolvat nulla ſemina terra fide.
Et tu, Bacche tener, jucundæ conſitor uvæ,
Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formoſas triſtibus agris
Abdere: non tanti ſunt tua muſta, pater.
O valeant fruges. ne ſint modo rure puellæ,
Glans alat, & priſco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres, & paſſim ſemper amarunt.
Quid nocuit, ſulcos non habuiſſe ſatos?

Tum

ibid. *gypſatos pedes*] Hujuſmodi mancipiis pedes gypſo, vel creta illinebantur, & ſignum in ea imprimebatur, quod patriam, & dominum indicaret. Ovidius l. 1. Amorum Eleg. 8.

Nec tu, ſi quis erit capitis mercede redemtus,
Deſpice. gypſati crimen inane pedis.

Eodem pertinet illud Juvenalis de Criſpino Sat. 1. v. 111.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Vide Plinium H. N. lib. 35. cap. 17. & 18. Ennius apud Ciceronem Epiſt. 6. lib. 7. dixit *gypſatiſſimas exſulis Medea manus*.

v. 61. *dura Ceres*] Emendatio certiſſima Nicolai Heinſii, quum antea perperam legeretur *ſeges*. Epithetum ipſum, quamquam hoc loco ſignificat *crudelis*, perpetuum eſſe poteſt. Ceres enim ſemper occupata in opere ruſtico, dura dea eſt ac laborioſa. Opponit autem poeta duræ Cereri Bacchum tenerum.

v. 62. *Perſolvat*] Verbum translatum a trapezitis & fœneratoribus. Qui enim agros conſerit, ſemen quodammodo fœnori dat: terra contra accipit, ut ſortem poſtea reddat cum uſuris ingentibus.

v. 63. *Bacche tener*] Muliebri nempe corpore, puellari forma. Scriptor Liberi Carminis, Epigr. 36.

Trahitque Bacchus virginis tener formam.

Italice diceres: *pizzica di fanciulla*. Hoc Tibulli diſtichum valde concinnum eſt, ac ſuaviſſima ſimplicitate.

v. 64. *devotos lacus*] Diris nempe devotos, & infelices, ut omnia quæ a diis relinquuntur.

v. 65. *triſtibus agris*] Triſtes agros appellat, quod amatori triſtitiam pariant eripienda & abſcondenda domina; vel ob ruſtici operis duritiem & ſeveritatem. *Triſte* enim aliquando *ſeverum* eſt.

ibid. *agris Abdere*] Horatius Epiſt. 1. l. 4.

Vejanius, armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

v. 66. *pater*] Bacchus enim *Liber pater* vocari ſolet.

v. 67. *valeant*] Stomachantis eſt, atque abire jubentis cum indignatione. quaſi dicat: Nihil moror proventus agrorum. Propertius Eleg. 4. lib. 4.

Et valeat probro Veſta pudenda meo.

Cicero lib. 1. de Nat. Deor. *Si maxime talis eſt Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat.*

v. 68. *Glans alat*] Lepida ſententia & elegans, quamvis *παρὰ δόξαν*. Nempe ſine ſenſu amantes vivunt; & levibus curis magna bona perire ſinunt; quod ait poeta Umber.

v. 69. *paſſim ſemper amarunt*] Sine delectu, in quodcumque incidiſſent, eo fruentes. Hanc Venerem Lucretius l. 4. v. 1065. *volgivagam* appellat. *Paſſim*, Italice *quà e là*. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 41.

Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis,
Elige cui dicas, Tu mihi ſola places.

Cicero lib. 1. de Inventione: *Fuit quoddam tempus quum in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur.*

v. 71.

Tum quibus adſpirabat amor, præbebat aperte
Mitis in umbroſa gaudia valle Venus.
Nullus erat cuſtos, nulla excluſura volentes
Janua. ſi fas eſt, mos, precor, ille redi.
Ah pereant artes, & mollia jura colendi.
* * * * * * * * * *
O utinam veteri peragrantes more puellæ
Horrida villoſa corpora veſte tegant.
Nunc, ſi clauſa mea eſt, ſi copia nulla videndi;
Heu miſerum, in laxa quid juvat eſſe toga?
Ducite. ad imperium dominæ ſulcabimus agros.
Non ego me vinclis verberibuſque nego.

ELE-

v. 71. *quibus adſpirabat Amor*] Scilicet favebat, propitius erat. Translatio a navigatione, & vento ſecundo. Noſter Elegia 1. hujus libri: *Huc ades, adſpiraque mihi*. Ovidius interpres in Remediis Amoris v. 13.

Si quis amat quod amare juvat, feliciter ardens
Gaudeat, & vento naviget ille ſuo.

v. 72. *Mitis Venus*] Non irata, non difficilis, non ſuperciliosa, ſed benigna, ſed placida, ſed indulgens. Ita ſuperius lib. 1. Eleg. 10. *miti ſit procul a Venere*.

v. 73. *volentes*] Cupidos. Martialis Epigr. 58. lib. 11. *Quum me velle vides*.

v. 75. *mollia jura colendi*] Puta leges diſponendæ atque ornandæ comæ, aptandæ veſtis & calcei, quas rude ſæculum ignorabat.

v. 76. * * Hic in manuſcriptis lacuna eſt.

v. 77. *O utinam*, &c.] Hunc verſum quare ſuſtulerint audaces Critici, omnia refingentes arbitrio ſuo, divinare non poſſum.

v. 78. *Horrida corpora*] Ob frigidiorem aerem horrentia. Perſius Sat. 1. v. 54.

Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

Vel inculta, hirta, illuvie fœda. Ovidius lib. 1. Metam. v. 513.

– – non hic armenta gregeſve Horridus obſervo.

ibid. *villoſa veſte*] Agninis puta, vel hædinis pellibus. Propertius l. 3. Eleg. 13.

Hinulei pellis totos operibat amantes.

v. 80. *in laxa quid juvat eſſe toga?*] Cultiorum temporum, atque elegantiorum hominum fuit toga laxa. Primis illis Romanæ reipublicæ temporibus, anguſtiore omnino toga uſi ſunt, quæ nullos haberet ſinus. Teſtis Quinctilianus l. 11. Inſtit. Orat. c. 3. *Et toga*, inquit, *& calceus, & capillus, tam nimia cura, quam negligentia, ſunt reprehendenda. Eſt aliquid in amictu, quod ipſum aliquatenus temporum conditione mutatum eſt. Nam veteribus nulli ſinus: perquam breves poſt illos fuerunt. Itaque etiam geſtu neceſſe eſt uſos eſſe in principiis eos alio, quorum brachium, ſicut Græcorum, veſte continebatur*. Porro Uticenſis Cato ſæculo corruptiſſimo veterem frugalitatem revocare fruſtra conabatur. Horatius teſtis Epiſt. 19. v. 12.

Quid? ſi quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguæque togæ ſimulet textore Catonem;
Virtutemne repræſentet moreſque Catonis?

Non ſolum autem togas, verum etiam tunicas laxiores delicati gerebant. M. Seneca Controv. 14. *Omnia a te vitia. quod unguento coma madet, tuum eſt: quod laxior uſque in pedes tunica demittitur, tuum eſt*. Πορφύρας πλατείας, *purpuras laxas*, memorat Demetrius Phalereus De Elocutione.

v. 81. *Ducite.*] Subaudi, in vincula, in ergaſtulum, ad opus ruri faciendum.

Digitized by Google

Ita Plautus Captivis 3. 5. 63.

-- -- -- ducite,
Ubi ponderoſas, craſſas capiat compedes:
Inde ibis porro in latomias lapidarias.

Et Livius lib. 2. Hiſt. *Ductum ſe ab creditore, non in ſervitium, ſed in ergaſtulum, & carnificinam eſſe. Inde oſtentare tergum fœdum recentibus veſtigiis verberum.* Utuntur haud raro Jureconſulti. Paulus Lege 2. D. *Si ex noxali cauſſa agatur, quemadmodum caveatur: Sed ſi ſervus*, inquit, *præſens eſt, dominus abeſt, nec quiſquam ſervum defendit; ducendus erit juſſu prætoris.* Ulpianus pariter lib. 47. Pandectarum, titulo de Injuriis & famoſis libellis, Lege 13. *Si quis quod decreto prætoris non obtemperavit, ductus ſit.*

ELEGIA IV.

HIc mihi ſervitium video, dominamque paratam.
Jam mihi libertas illa paterna vale.

Ser-

ARGUMENTUM ELEGIÆ IV. LIBRI II.

Avaritiam puellarum damnat, quæ, contemtis poetis, divites tantum reciperent.

VERSU I. *Hic*] Pro *nunc*. Ita Virgilius Æneid. 2. v. 122.

Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios.

Et v. 199.

Hic aliud majus miſeris multoque tremendum
Objicitur magis.

Utrobique poſitum pro *tunc*, affirmat Servius.

ibid. *ſervitium*] Hoc loco *ſervitium*, non ſervorum multitudinem, ut ſæpius, at ſerviendi rationem & conditionem ſignificat. Propertius lib. 2. Eleg. 20.

Quod ſi nec nomen, nec me tua forma teneret,
Poſſet ſervitium mite tenere tuum.

ſervitium mite eſt *juſta & clemens* illa *ſervitus*, quam apud ſe fuiſſe Soſiæ jactat Simo Terentianus Andria 1. 1. 9. Contra Tibullus verſu 3. hujus Elegiæ appellat *ſervitium triſte*, nempe aſperum, durum, difficile.

ibid. *dominamque paratam*] In promtu videlicet. Plautus Pſeudolo 1. 1. 95.

Cui nec paratus nummus argenti fiet.

Lucretius lib. 4. v. 205.

-- -- -- quæ ſunt igitur jam prima in fronte parata.

v. 2. *mihi vale*] τὸ *mihi* παρέλκει. Sic Horatius lib. 1. Ode 32.

O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque ſalve
Rite vocanti

Et Ovidius lib. 1. Triſtium Eleg. 3.

Diique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,
Eſſe ſalutati tempus in omne mihi.

ibid. *libertas illa paterna*] Significat, ſe ingenuum eſſe, neque libertatem adeptum ope manumiſſionis. ἐλεύθεροι, non ἀπελεύθεροι. M. Tullius Orat. pro Quintio, de Sex. Nævii moribus loquens: *Quum ei natura nihil melius quam vocem dediſſet, pater nihil, præter libertatem, reliquiſſet; vocem in quæſtum contulit: libertate uſus eſt quo impunius dicax eſſet.* nam ſervi, ſi dicaciores fuiſſent, dominis pœnas dabant. Idem Orat. poſt reditum, in Senatu: *Parentes cariſſimos habere debemus, quod ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita eſt.* Salluſtius Bello Jugurth. cap. 33. *Certe ego libertatem, quæ mihi a parente meo tradita eſt, experiar.* Cæſar quoque lib. 7. de Bello Gallico cap. 1. *In acie præſtare interfici, quam non veterem belli gloriam libertatemque, quam a majoribus acceperint, recuperare.* Servi homines patrem ciere non poterant, & ἀπάτορες quodammodo habebantur. Plautus Captivis 3. 4. 41.

Nam ille quidem, quem tu hunc memoras eſſe, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem hujus. AR. quem patrem, qui ſervus eſt?

Con-

Google

Servitium ſed triſte datur, teneorque catenis,
Et numquam miſero vincla remittit Amor.
Et, ſeu quid merui, ſeu quid peccavimus, urit.
Uror. io remove, ſæva puella, faces.
O ego ne poſſim tales ſentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis!
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vaſti tunderet unda maris!

Nunc

Contra Horatius, de liberis hominibus & ingenuis, Epiſt. ad Piſones v. 248.

Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res.

Ut autem Tibullus, & alii quos attulimus, libertatem paternam, ſive a patre & majoribus acceptam, dixerunt; ita Nepos initio Timothei dixit *a patre acceptam gloriam*. Quidquid etiam filio reliquiſſet pater, id paternum vocabant. Ovidius lib. 3. Metam. v. 590.

-- -- -- morienſque mihi nihil ille reliquit
Præter aquas: unum hoc poſſum appellare paternum.

Propertius item lib. 4. Eleg. 5. de anicula egentiſſima:

Atque animam in tegetes putrem exſpirare paternas.

Et Horatius lib. 2. Ode 16.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.

v. 4. *vincla remittit*] Male Broukhuſius *remittet*. Nam hoc deſperantis eſt, illud quotidiana experientia docti. Deinde verſu qui proxime ſequitur, codices præferunt *urit* præſenti tempore, non *ures* ſuturo.

v. 5. *ſeu quid merui, ſeu quid peccavimus*] Amor, injuſtus dominus, benemerentem & peccantem pari ſupplicio perſequitur. Opponit poeta meritum peccato, benefactum ſcilicet maleficio. Nihilominus ut boni præmium, ita & mali merentur pœnam.

v. 6. *Uror. io remove, ſæva puella, faces*] Clamat miſer, tamquam in equuleo diſtentus, & laminis candentibus cruciatus.

ibid. *io*] Hæc particula non ſolum gaudentis eſt atque exſultantis, ut in triumpho; ſed etiam dolentis, & ejulantis. Plautus Truculento 1. 2. 21. *Io, enicas me miſeram, quiſquis es.* Horatius Epiſt. ad Piſones v. 459.

-- -- -- licet, Succurrite, longum
Clamet, io cives, non ſit qui tollere curet.

Ovidius Epiſt. Œnones v. 118. *Io prohibe.* Idem lib. 3. Artis Amat. v. 742.

Labor io: carâ lumina conde manu.

Idem lib. 4. Faſt. v. 447. in raptu Proſerpinæ:

Illa quidem clamabat, Io, cariſſima mater, Auferor.

Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 221.

Quantus io tumidis taurorum e naribus ignis!

Græci priores ita uſurpavere. Sophocles Electra v. 150. Ἰὼ παντλάμων Νιόβα. *Heu Niobe infeliciſſima.*

v. 8. *Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis!*] Copioſius hanc ſententiam perſequitur Naſo l. 1. Pontic. Epiſt. 2. ſed languidius, meo judicio:

Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,
Quæ poſuit ſenſum ſaxea facta mali!
Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora novo!
Ille ego ſum, lignum qui non admittar in ullum:
Ille ego ſum, fruſtra qui lapis eſſe velim.
Ipſa Meduſa oculis veniat licet obvia noſtris,
Amittat vires ipſa Meduſa ſuas.

Dii boni! quantum hæc abeunt ab aurea Tibulli ſimplicitate! Olent ſcilicet ſcholas declamatorum, quæ tempore Naſonis aperiri cœptæ erant. Sunt tamen homines fatuo palato, nullum veræ pulchritudinis guſtum habentes, qui Ovidium ſolum admirentur, Tibullum ignorent.

v. 10. *Naufraga unda*] Quaſi naviſraga.

Digitized by Google

Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra eſt:
  Omnia jam triſti tempora felle madent.
Nec proſunt Elegi, nec carminis auctor Apollo.
  Illa cava pretium flagitat uſque manu.
Ite procul Muſæ, ſi nil prodeſtis amanti,
  Non ego vos, ut ſint bella canenda, colo.

Nec

ga. Sic Horatius lib. 1. Ode 16.

-- -- -- non acuta
Sic geminant Corybantes æra,
Triſtes ut iræ: quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum.

Et Ovidius lib. 4. Faſtor. v. 500.

Et vos, Niſæi naufraga monſtra canes.

Alloquitur Scyllam, infamem illum ſcopulum in freto Siculo, navium perniciem. Valerius quoque Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 584.

Has nimbi, ventique domos, & naufraga ſervat
Tempeſtas.

ibid. *tunderet unda maris*] Age diſpiciamus, an *ira maris*, quam lectionem Broukhuſius probat, ſit magis poeticum, necne. *Unda* vocabulum eſt ſono ampliore, at *ira* exiliore: deinde *u* littera exprimit felicius maris mugitum, & frequentes fluctuum appulſus ad ſcopulum: juvat etiam ipſa repetitio ſimilium ſyllabarum, *underet und*, ad rem ſignificandam. Sic inferius lib. 3. Eleg. 5.

Vos tenet Etruſcis manat quæ fontibus unda,
  Unda *ſub æſtivum non ade*unda *Canem*.

Et fortaſſe noſter imitari voluit Catullum, qui Carm. 11.

Litus ut longe reſonante Eoa
  Tunditur unda.

Nihil igitur mutandum eſt.

v. 11. *Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra eſt*] O verſus pulchros! o candorem plane invidendum! Similis Horatii ſententia Epodo 17.

Urget diem nox, & dies noctem: neque eſt
Levare tenta ſpiritu præcordia.

T. Livius pariter Hiſt. lib. 5. *Nec tranquillior nox diem tam fœde actum excepit: lux deinde noctem inquietam inſecuta eſt, nec ullum erat tempus quod a novæ ſemper cladis alicujus ſpectaculo ceſſaret.* Legendum videtur: *lux deinde noctem inquieta ſecuta eſt.* alioqui verba ſunt inania, & nihil ſignificantia.

v. 12. *madent*] Imbuta ſunt.

v. 14. *cavâ pretium flagitat uſque manu*] Lactantius de Opificio Dei cap. 10. *Quid dicam de manibus, rationis & ſapientiæ miniſtris? quas ſollertiſſimus artifex plano, ac modice concavo ſinu fictas, ut ſi quid tenendum ſit, apte poſſit inſidere, in digitos terminavit.* Quamobrem Arnobius lib. 2. adverſus Gentes: *Liquor ..... manibus ſubminiſtratus cavis.* Porro manum ſinuare, geſtus fuit pecuniam poſcentium. Suetonius in Octavio cap. 91. *Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum aſſes porrigentibus præbens.* Locum ſimilem ejuſdem auctoris in Vita Veſpaſiani cap. 23. jam attulerunt viri docti. Ammianus Marcellinus lib. 16. Hiſt. *Inductis quadam ſollemnitate, agentibus in rebus, in conſiſtorium ut aurum acciperent, inter alios, quidam ex eorum conſortio, non, ut moris eſt, expanſa chlamyde, ſed utraque manu cavata accepit; & Imperator, Rapere, inquit, non accipere ſciunt agentes in rebus.* Hoc aliter expreſſit Seneca in Præfat. lib. 4 Nat. Quæſt. *Adjice nunc invictum muneribus animum, & in tanto avaritiæ certamine numquam ſuppoſitam manum lucro.* Quum Rufinus olim, avariſſimus homo, ſcelerum ſuorum pœnas morte luiſſet, Byzantina plebs ejus cadaveri inſultavit, manumque dexteram abſciſſam circumtulit, ita compoſitam, ut oſtiatim mendicare videretur. Id non prætermiſit Claudianus lib. 2. in Rufinum v. 436.

Dextera quin etiam ludo conceſſa vagatur
Æra petens, fraudeſque animi perſolvit avari
Terribili lucro; vivoſque imitata retentus

Cogi-

Nec refero Soliſque vias, & qualis, ubi orbem
Complevit, verſis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
Ite procul Muſæ, ſi nihil iſta valent.
At mihi per cædem, & facinus ſunt dona paranda,
Ne jaceam clauſam flebilis ante domum.
Aut rapiam ſuſpenſa ſacris inſignia fanis.
Sed Venus ante alios eſt violanda mihi.

Illa

Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

v. 17. *Nec refero Soliſque vias*] Neque poema condo de rebus cæleſtibus. Via Solis eſt linea ἐκλειπτικὴ ducta per medium Zodiacum, quam Sol ſemper inſiſtit. Meminit & Virgilius Æneid. lib. 6. v. 796. *Jacet extra ſidera tellus, Extra anni Soliſque vias.*

v. 18. *verſis Luna recurrit equis*] A plenilunio ſtatim Lunæ diſcus aſpectui noſtro minui videtur. Poetæ dicunt, eo tempore Lunam equos flectere, & currum quo vehitur, procul a nobis abducere: ſic enim παχυλῶς philoſophantur.

v. 21. *At mihi per cædem, & facinus ſ. d. p.*] Nocturnus graſſator fiam, cum telo ambulabo, viatores aggrediar, occidam, & ex illorum ſpoliis parabo quæ rapaci dominæ donare poſſim. *Per facinus*. Ovidius Ibide v. 565.

Sanguine probra luas, ut avo genitore creatus,
Per facinus ſoror eſt cui ſua facta parens.

Et in Remed. Amor. v. 61.

Arte mea Tereus, quamvis Philomela placeres,
Per facinus fieri non meruiſſet avis.

Per ſcelus, dixit Virgilius lib. 5. Æneid. v. 793.

Per ſcelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Excuſſit fœde puppes.

quam lectionem præfert codex Mediceus vetuſtiſſimus, aliique complures optimæ notæ.

v. 23. *ſuſpenſa ſacris inſignia fanis*] τὰ ἀναθήματα, donaria, vel ipſa deorum aurea & argentea ſimulacra, a quibus impii homines & audaces manum aliquando non abſtinebant. *Inſignia* dicebantur, quæ in ornamentis operum publicorum excellerent. Cicero in Oratore ad Brutum: *Sunt enim ſimillima illis quæ in amplo ornatu ſcenæ aut fori appellantur inſignia; non quod ſola ornent, ſed quod excellant.* De hujuſmodi ſacrilegiis audiendus Juvenalis Sat. 13. a v. 147.

Confer & hos veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ robiginis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas a rege coronas.
Hæc ibi ſi non ſunt, minor exſtat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.
An dubitet, ſolitus totum conflare Tonantem?

Ita Dionyſius Siciliæ tyrannus *pateras, & exuvias, & parva quædam ſigilla, quæ ſimulacrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat; & accipere ſe illa, non auferre dicebat. perquam enim ſtultum eſſe & ingratum, nolle accipere ab his ultro porrigentibus, a quibus bona ſibi homines precarentur.* Idem Jovi Olympio aureum amiculum detraxit, laneum imponi juſſit: auream etiam barbam Æſculapio detraxit; ſacrilegia hæc ſua jocularibus etiam dictis proſecutus. Vide Ciceronem lib. 3. de Nat. Deor. & Lactantium Firmianum Div. Inſt. lib. 2. cap. 4. Ineptas Bionis argutias de ſacrilegio refutat Seneca lib. 7. de Beneficiis cap. 7. *Deinde*, inquit, *quum effringi templa, & expilari impune Capitolium jubet; dicit, Nullum ſacrilegium eſſe. quia quidquid ſublatum eſt ex eo loco qui deorum erat, in eum transfertur locum qui deorum eſt. Hic reſpondetur: omnia quidem deorum eſſe, ſed non omnia diis*

dica-

Digitized by Google

Illa malum facinus ſuadet, dominamque rapacem
Dat mihi: ſacrilegas ſentiat illa manus.
O pereat quicumque legit virideſque zmaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiæ cauſſas, & Coa puellis
Veſtis, & a Rubro lucida concha mari.

dicata . In his obſervari ſacrilegium quæ religio numini adſcripſit .

ibid. *fanis*] Quid proprie fanum fuerit, ex T. Livio intelligimus lib. 10. Ejus verba ſunt: *In ea pugna Jovis Statoris ædem votam , ut Romulus ante voverat : ſed fanum tantum , id eſt locus templo effatus , jam ſacratus fuerat* . Nihilominus templum ac fanum ſcriptores promiſcue uſurpant.

v. 24. *Sed Venus ante alios e. violanda m.*] Lepide ait, Venerem ſibi præ aliis diis violandam, ejus fanum ſcilicet ſibi compilandum , quod ab ea exſtimulctur ad ſacrilegium .

v. 25. *Illa malum facinus ſuadet*] *Facinus* Latinis vox eſt mediæ ſignificationis . Dicitur enim & *bonum facinus* . Catullus Elegia de Coma Berenices v. 27.

Anne bonum oblita es facinus , quo regium adepta es
Conjugium?

Quum vero ponitur ἁπλῶς , & ſine adjuncto, plerumque pro ſcelere accipitur. Hinc *homines facinoroſi* . Ceterum quomodo improbi adoleſcentes ac perditis moribus, omni patrimonio per libidines abſumto, ac tyrannico Amoris imperio coacti , alienarum domuum parietes perfodiant, & nocte intempeſta per urbem euntes obviis pallium eripiant; deinde ulterius provecti, in res ſacras manum injiciant, oſtendit Plato luculente lib. 9. de Republica. Huc pertinent verba Auctoris Rhetoric. ad Heren. lib. 2. *Nonus locus conſtat ex peccatorum comparatione , quaſi quum dicemus , majus eſſe maleficium ſtuprare ingenuam quam* ſacrum legere: *quod propter egeſtatem alterum, alterum propter intemperantem ſuperbiam fiat* . Areoſtus pariter Cantu 43. Rolandi Furentis, ſtrophe 90.

Perchè 'l biſogno a diſpogliar gli altari
Trae l' uom talvolta, che ſel crede avere.

v. 27. *quicumque legit virideſq. zmaragdos*] Conjunctio *que* non ſuo loco poſita eſt . Syntaxis enim requirebat, *O pereat & quicumque legit virides zmaragdos , & quicumque tingit niveam ovem* . Similis trajectio ſuperius lib. 1. Eleg. 1.

O quantum eſt auri potius, pereatque zmaragdi.

Et Eleg. 3.

Meſſalam terra dum ſequiturque mari.

v. 28. *Et n. Tyrio murice tingit ovem*] Uſurpavit poeta *ovem* pro lana . Theocritus pariter Idyllio 2. v. 2.

Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ.
Cinge calicem hunc purpureo ovis flore.

nempe lanâ exquiſitiſſimâ. Hoc fere pacto Virgilius in calce lib. 6. Æneid. uſurpavit *elephantum* pro ebore ; ut Græci ſolent , quibus ἐλέφας, & elephas animal, & ebur eſt.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea , qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falſa ad cælum mittunt inſomnia manes.

Sic & Propertio lib. 2. Eleg. 3. *bombyx* eſt ſericum a bombyce netum:

Nec ſi qua Arabio lucet bombyce puella.

Porro Tibullus κατ' ἔμφασιν dixit *niveam ovem*, tamquam ſi lana purpuræ ſucco inſecta & medicata, nativo candore amiſſo, violetur quodammodo & corrumpatur. Pulchre D. Cyprianus De Habitu Virginum: *Neque enim Deus coccineas aut purpureas oves fecit , aut herbarum ſuccis, & conchyliis tingere & colorare lanas docuit* . Tertullianus item de Cultu Feminarum lib. 2. cap. 10. εἰρωνικῶς: *Nimirum enim Deus demonſtravit ſuccis herbarum, & concharum ſalivis incoquere lanas : exciderat illi , quum univerſa naſci juberet , purpureas & coccineas oves mandare.*

v. 29. *Hic dat avaritiæ cauſſas*] Broukhuſius

Hæc

Digitized by Google

Hæc fecere malas. hinc clavim janua ſenſit,
 Et cœpit cuſtos liminis eſſe canis.
Sed pretium ſi grande feras, cuſtodia victa eſt:
 Nec prohibent claves, & canis ipſe tacet.

Heu

ſius legere mavult *ſtimulos*, ut habent plures veteres libri. Lectio non contemnenda quidem: ſed altera melior omnino. *Cauſſæ* enim hoc loco ſunt excuſationes. Virgilius Æneid. 9. v. 219. -- -- *Cauſſas necquicquam nectis inanes*. nimirum προφάσεις. Ita mulieres pecuniæ appetentes, ut avaritiæ ſuæ velum prætendant, in temporum luxu, & ornandi neceſſitate cauſſam paratam habent. Cicero pro Sex. Roſcio Amerino: *In urbe luxuries creatur: ex luxuria exſiſtat avaritia neceſſe eſt*. T. Livius Præfat. Hiſtoriæ: *Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium, per luxum atque libidinem pereundi, perdendique omnia, invexere*. Muliebrem autem luxum impudicitiæ valde affinem eſſe, graviter oſtendit M. Porcius Cato apud eumdem Livium l. 34. Contendens enim, ne Oppia lex, qua is luxus coercebatur, abrogaretur, ita loquitur: *Næ, ſimul pudere quod non oportet cœperit; quod oportet non pudebit. Quæ de ſuo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miſerum illum virum & qui exoratus, & qui non exoratus erit! quum quod ipſe non dederit, datum ab alio videbit*. M. Seneca in calce libri 2. Controv. *Muliebrium vitiorum fundamentum avaritia eſt* .... *Ex omni rupe conchylium trahitur, quo veſtis cruentetur. Infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veſte perſpicua ſit, & nihil in corpore uxoris ſuæ plus maritus, quam quilibet alienus peregrinuſque agnoverit*. Sed Propertius lib. 3. Eleg. 13. hoc argumentum venuſtiſſime omnium tractavit. Graviter quoque & vere Salvianus Maſſilienſis libro 2. adverſus Avaritiam cap. 6. *Omnis fructus divitiarum in uſu eſt poſitus deliciarum. alioqui remoto uſu deliciarum, CAUSSÆ opum non relinquuntur*.

ibid. *& Coa puellis Veſtis*] Cur Broukhuſius affirmet, *hæc eſſe mendoſa, neque ſatis inter ſe cohærere*, haud equidem intelligo. Quid ea conſtructione, quæſo, magis perſpicuum? *Hic, nempe quicumque legit ſmaragdos, & tingit ovem murice; &* præterea *veſtis Coa, & concha lucida a mari Rubro, dat cauſſas avaritiæ puellis*. Nihil igitur mutandum eſt: ſed vulgara lectio retinenda.

v. 30. *a Rubro mari*] Hoc habere priſcas editiones, ait Broukhuſius. Omnium tamen princeps, anni 1472. quam ipſe prorſus ignoravit, ego vero in domeſtica mea bibliotheca ſervo, præfert *e Rubro*. Ita legunt & Aldinæ, anni 1502. & 1515.

ibid. *lucida concha*] Italice *madreperla, conchiglia*. Oſtrei genus eſt, interiore facie, quæ baccam ſeu margaritum continet, lucida & verſicolore.

v. 31. *Hæc fecere malas*] Nimirum difficiles, amatoribus incommodas, venales: aut doloſas, verſipelles. Ita *furem facere*. Ulpianus J. C. Lege 50. D. de Pactis: *Ne facias furem ſervum meum, hoc eſt ne ſollicites ut fur fiat, ut fugitivus fiat: ne ita negligas ſervum, ut fur efficiatur*. Idem contra Lege 1. in princip. D. de Juſtitia & Jure: *Bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes*.

ibid. *clavim*] Soſipater Chariſius lib. 1. Inſtit. Grammat. hunc accuſativum ita format, uſus teſtimonio Tibulli.

v. 34. *Et canis ipſe tacet*] Quia & ipſe paraſitum agit. Andreas Maranus Vicetinus, vir nobilis & præſtanti eruditione; dum viveret, mihi amiciſſimus; hæc Tibulli videtur imitatus in Elegia quæ incipit, *Credimus? an celeres* &c.

Optamus ſero, quæ oblata remiſimus ultro.
 Utere, felici dum licet eſſe tibi.
Mox ſubeunt caſus, ſubeuntque pericula mille:
 Advigilat cuſtos, advigilatque canis.
Mutantur claves, firmo ſub cardine ſtridet
 Janua. non tenui vertitur illa ſono.
Dum pretio capitur cuſtos, & dum unguine poſtes,
 Dum cœna, aut alia fallitur arte canis;
Interea obrepunt morbi, vel decolor ætas:
 Blanditias nec fas dicere, nec facere.

Heu quicumque dedit formam cæleſtis avaræ,
Quale bonum multis addidit ille malis!
Hinc fletus, rixæque ſonant. hæc denique cauſſa
Fecit, ut infamis hic deus eſſet Amor.
At tibi, quæ pretio victos excludis amantes,
Diripiant partas ventus & ignis opes.
Quin tua tunc juvenes ſpectent incendia læti,
Nec quiſquam flammæ ſedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mœſtas munus in exſequias.

Ar

v. 35. *Quicumque cæleſtis*] H. e. *quicumque deus*. Vide quæ dixi ad Eleg. 9. lib. 1. v. 5.

v. 38. *ut infamis hic deus eſſet Amor*] Ut hic deus πολυθρύλλητος, quem Amorem vocamus, ac tantopere celebramus, male audiret, atque infamia laboraret. Ovidius in Remediis Amoris v. 57. Cupidinem ſic alloquitur:

Cur aliquis, collum laqueo nodatus ab arto,
E trabe ſublimi triſte pependit onus?
Cur aliquis rigido fodit ſua viſcera ferro?
Invidiam cædis, pacis amator, habet.

Amori enim tribui ſolent, tamquam cauſſæ, quæ adverſa contingunt miſeris adoleſcentibus. Naſo propterea ſtudet infamiam, & crudelitatis opinionem a Cupidine removere.

v. 39. *At tibi*] Sermonem convertit ad τὴν τυχοῦσαν.

ibid. *pretio victos e. amantes*] Paullo ante dixit:

At pretium ſi grande feras, cuſtodia victa eſt.

Quum amator dives & prodigus ad januam formoſæ acceſſit, vincitur pretio cuſtos, & donantem intro recipit: quum vero inops, vel parcus venit, vincitur ipſe pretii magnitudine, atque objectis foribus excluditur.

v. 40. *ventus & ignis*] Vento enim alitur & propagatur incendium.

v. 41. *ſpectent incendia læti*] Eodem pacto Seneca Rhetor Excerpt. Controv. l. 3. Controv. 8. *Deinde reliqui non ad me convenerunt, ſed ad incendium: quod tamen populus maluit ſpectare, quam exſtinguere.*

v. 42. *addat aquam*] Solennis locutio, ut videtur. Ovid. Remed. Amoris v. 551.

Eſt illic Lethæus Amor, qui pectora ſanat,
Inque ſuas gelidam lampadas addit aquam.

Idem lib. 1. Pontic. Epiſt. 8.

Quos ego neſcio cui colui, quibus ipſe ſolebam
Ad ſata fontanas (nec pudet) addere aquas.

M. Cato de Re Ruſt. cap. 151. *Quotieſcumque opus erit, facito uti aquam addas.*

v. 43. *Seu veniet tibi mors*] Hactenus mala imprecatus eſt avaræ puellæ, nunc prædicit quæ certo eventura ſunt. Nam incendium oriri, συμβαίνει: poſſet enim & non oriri: ſed morituram eſſe, ſtabile ac decretum eſt. item de morte avarorum & rapacium dolere neminem, experientia ſatis oſtendit. Indicativo igitur modo utitur poeta, quum antea ſubjunctivum adhibuerit. Malos poetas, & corrupto judicio cenſet Broukhuſius, qui ſono inſuavi atque hiulco hujus hemiſtichii delectentur; ipſe enim legit:

Seu tibi mors veniat, neque ſit qui lugeat ullus.

Quid mihi miſero fiet? delector enim, & mirifice delector: ſunt enim modi convenientes rei lugubri, & præterea varietatis ratio habetur. Adde quod libri & editiones veteres mecum faciunt.

v. 44. *qui det m. munus in exſequias*] Pretioſa

At bona quæ, nec avara fuit, centum licet annos
  Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis ſenior, veteres veneratus amores,
  Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.
Et, Bene, diſcedens dicet, placideque quieſcas,
  Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa levis.
Vera quidem moneo: ſed proſunt quid mihi vera?
  Illius eſt nobis lege colendus amor.
Quin etiam ſedes jubeat ſi vendere avitas:
  Ite ſub imperium, ſub titulumque lares.

Quid-

tioſa enim quæque a cariſſimis in rogum conjici ſolebant. Broukhuſius hoc optime illuſtravit.

v. 45. *bona*] Facilis, commoda, ſatis parata, quæ immunes etiam amatores recepit.

v. 47. *veteres veneratus amores*] In hac ſententia exquiſitum πάθος.

v. 48. *Annua conſtructo ſerta dabit tumulo*] Hoc ut ſibi vita functis fieret quotannis, erant qui teſtamento caverent: alii, puta cariſſimi quique, ſponte ac benigne aliis decernebant. Inſcriptio Vetus apud Gruterum DCXXXVI. 12.

V. F.
T. VETTIVS. T. L
HERMES
SEPLASIARIVS
* MATER. GENVIT. MATER. RECEPIT
HI. HORTI. ITA. VTI. OPT. MAXIMIQ. SVNT
CINERIBVS. SERVIANT. MEIS
NAM. CVRATORES. SVBSTITVAM
QVI. VESCANTVR
EX. HORVM. HORTORVM. REDITV
NATALI. MEO
ET. PRAEBEANT. ROSAM. IN. PERPETVVM.
HOS. NEQVE. DIVIDI
NEQVE. ALIENARI. VOLO

Et alia apud eumdem DCCXLIV. I.

D. M.
Q. TITIO. SERTORIANO
Q. TITIVS. SEVERVS
FILIVS. QVEI. COLL.
ANN. DEDIT. HS. CCCC. N
AD. ROSAS. ET. ESCAS. DVCEN
DAS. EI. OMNIBVS. ANNIS

ibid. *conſtructo tumulo*] Erat enim proprie tumulus acervus terræ aggeſtus & coacervatus, qui leviter eminebat. Hunc mortuorum oſſibus urna conditis, humoque defoſſis imponere conſueverant. Nonnumquam vero in ipſo tumulo cippum, vel columellam defigebant. Cicero 2. Philip. dixit: *Tanti acervi nummorum apud iſtum conſtruuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ.*

v. 50. *Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa levis*] Notiſſima veterum ſuperſtitio, optare ſepultis terram levem. Hæc voti formula paſſim occurrit in Romanis Inſcriptionibus, ita notata, S. T. T. L: *Sit tibi terra levis*. Lucretius irriſit lib. 3. de R. N. v. 901.

Nam ſi in morte malum eſt malis morſuque ferarum
Tractari; non invenio qui non ſit acerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis;
Aut in melle ſitum ſuffocari; atque rigere
Frigore, quum in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi:
URGERIVE ſuperne obtritum pondere terræ.

ibid. *ſecuræ*] Curis omnibus, quæ mortalium animos exedunt, jam liberatæ. Idem Lucretius libro eodem v. 917.

Tu quidem ut es leto ſopitus, ſic eris ævi
Quod ſupereſt, cunctis privatus doloribus ægris.

v. 52. *Illius eſt nobis lege colendus amor*] Leges & conditiones quas amatoribus ſuis interdum puellæ formoſæ præſcribebant, commemorat Propertius l. 4. Eleg. 8. Deinde ita concludit:

Digitized by Google

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid & herbarum Theſſala terra gerit:
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ ſtillat ab inguine equæ:

(Si

Indixit leges: reſpondi, Ego legibus utar.
Riſeras imperio facta ſuperba dato.

v. 54. *Ite ſub imperium, ſub titulumque lares*] Veterum conſuetudo crat, ut quum domum venalem ſignificare vellent, in ejus fronte ſuſpenderent inſcriptas tabellas, quas titulos appellabant. Quum vero creditor prædium urbanum aliquod pignori accepiſſet, ſi debitor exacto demum tempore, & legitima ei facta denuntiatione, non ſolveret, id prædium inſcribebatur venale; titulusque, ſive tabella ipſis ædibus quæ veodundæ erant, imponebatur, quæ cauſſam venditionis declarabat. Proponebatur etiam in publico πρόγραμμα, quo ſignificabant, cur eæ venderentur, quam ad diem venditio futura eſſet, ejuſque conditiones. Hoc autem dicebant *proſcribere*. *Titulus* igitur omnis, eſt ioſcriptio, quæ iodicat cauſſam rei alicujus: ſive in lignea tabella exarata ſit, ſive in pila lapidea, cippo, aut columna. Si vocis originem ſpectamus, *titulus* proprie ſignificavit columnam pyramidis forma, vel metæ: vetuſtiſſimi Latinorum dixere *tutulum*. Unde *tutulati*, quod Varro teſtatur, *in ſacris qui in capitibus habere ſolent ut metam*. Vide ſis Claudium Salmaſium copioſe de his diſputantem in Opere de Modo Uſurarum cap. 15. Ovidius a Tibullo in Remed. Amor. v. 301.

Illud & illud habet: nec eâ contenta rapinâ,
Sub titulum noſtros miſit avara lares.

Plautus Trioummo 1. 2. 131.

Ædes venales haſce inſcribis litteris.

Terentius vero Heautoot. 1. 1. 92. de locatione, non de veoditiooe: *Inſcripſi ilico Ædes mercede*. Porro, ut id obiter moneam, tituli oon ſolum domibus vendundis aut locandis affigebaotur, ſed etiam cuicumque domui, ne ignoraretur, cujus eſſet, vel ad quem pertineret. Hujus moris teſtem produco D. Auguſtinum initio Enarrat. in Pſalmum 55. *Sicut aliquam domum intraturi, cujus ſit, & ad quem pertineat, in titulo inſpicimus, ne forte importune irruamus quo non oportet, neqae rurſus timiditate revocemur ab eo quo oportet intrare: tamquam ergo ſi legeremus, Hæc prædia illius aut illius; ita in ſuperliminari Pſalmi hujus habemus inſcriptum* &c. Idem ſanctus Doctor Enarrat. 2. in Pſalmum 21. num. 31. refert, quomodo tenujores domum ſuam a potentiorum rapacitate defendere inſtituiſſent: *Nonne hoc faciunt nonnulli in domo ſua? Ne domum ipſius invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces. Ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem domus ſuæ vult de titulo alieno muniri: ut quum titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis, abſtineat ſe ab invaſione*. Ceterum Tibulli ſententiam ſic expreſſit Lud. Areoſtus Cantu 43. Rolandi Furentis, ſtrophe 91.

Pur che, come or tu ſei, mi ſie rimaſa,
Fa ch' io non trovi nè poder, nè caſa.

v. 55. *Quidquid h. Circe, q. Medea veneni*] Numeri hujus verſus admodum concinni ſuot, & adfabre facti. animadvertant ſtudioſi juvenes.

v. 56. *Q. & herbarum Theſſala terra gerit*] Theſſalica gramina, itemque Theſſalæ veneficæ a ſcriptoribus, poetis præſertim, valde celebrantur. *gerit* vero, pro *fert, educat*. Ita loquitur Lucretius lib. 6. v. 788.

Scilicet hæc ideo terris ex omnia ſurgunt
Multa modis multis multarum ſemina rerum,
Quod permixta gerit tellus, diſcretaque tradit.

Et lib. 1. v. 717.

Quorum Acragantinus cum primis Empedocles eſt,
Inſula quem triquetris terrarum geſſit in oris.

hoc eſt, *protulit, edidit*. Ovidius pariter lib. 3. Triſtium Elegia 12.

Jam violam puerique legunt, hilareſque puellæ,
Ruſtica quam nullo terra ferente gerit.

v. 57. *gregibus*] Hoc loco, pro *armentis*.

Digitized by Google

(Si modo me placido videat Nemeſis mea vultu)
Mille alias herbas miſceat illa: bibam.

tis. Italice, *mandre di cavalle*.

ibid. *Venus aſſlat amores*] Dictum eleganriſſime. Ita Virgilius lib. 1. Æneid. v. 594.
-- -- -- *lætos oculis aſſlarat honores*.
Noſter ſuperius Elegia 1. hujus libri v. 80.
Felix, cui placidus leniter aſſlat Amor.

v. 58. *Hippomanes cupidæ ſtillat ab inguine equæ*] τὸ ἱππομανὲς, ut recte animadvertit Broukhuſius, tria ſignificat: primo ſcilicet virus illud lentum, quod ab inguinibus equarum marem appetentium diſtillat: deinde caruneulam fronti pulli equini adnatam, quam mater ſtatim a partu devorat; de qua Ariſtoteles lib. 6. Hiſt. Animal. cap. 22. & Plinius H. N. lib. 8. cap. 42. poſtremo herbam quamdam Arcadicam, eujus meminit Theocritus in Pharmaceutria. Eam ſi equus, vel equa deguſtaviſſet, ſine mora furore ac rabie agebatur.

v. 60. *Mille alias herbas miſceat*] Nempe mille aliarum herbarum ſuccos. nam herbæ ipſæ non bibuntur.

ibid. *bibam*] Expedite dictum ac *αὐτόμως*, ad promtum obſequium ſignificandum.

E L E G I A V.

PHoebe fave; novus ingreditur tua templa ſacerdos;
Huc age cum cithara, carminibuſque veni.

Nunc

Argumentum Elegiæ V. Libri II.

Meſſalino, M. Valerii Corvini Meſſalæ, ſummi Oratoris, filio, in Collegium Quindecim virorum cooptato, quorum eura & munus erat Sibyllinos verſus interpretari, oracula Sibyllarum laudat, Phœbique opem implorat.

M. Valerio Meſſalæ Corvino duo filii fuerunt, Marcus, & Lucius, qui ambo ad conſulatum pervenere. Marcus natu major patris bellicam virturem ac eloquentiam referre viſus eſt. Lucius poetarum ſtudiis inclaruit, & iccirco P. Ovidium Naſonem in familiariſſimis habuit; ut conſtar ex ejus poetæ Epiſt. 8. lib. 2. Pontic. irem e 2. & 5. lib. 3. Hic in familiam Aureliam Cortarum, eum quibus materno ſanguine junctus erat, adoptione tranſiit, appellarique cœpit L. Aurelius Maximus Cotta Voluſus. Putaverat olim Broukhuſius (id quod ipſe non diffitetur) ad hunc Lucium miſſam fuiſſe hanc Elegiam, omnium Tibullianarum pulcherrimam & nobiliſſimam; propterea quod qui in adoptionem dabantur, retinerent nomen familiæ unde exibant, ſed paullum immutatum: quemadmodum P. Cornelius Scipio Æmilianus, C. Julius Cæſar Octavianus: ſed invenir poſtea, Marcum quoque Lucii frarrem appellatum fuiſſe Meſſalinum, immo eognomen ſuum Cottæ fratri morientem reliquiſſe, teſte Vellejo Paterculo Hiſt. lib. 2. unde ſatis liquet, L. Cottam non in adoptione ipſa, Meſſalini eognomen accepiſſe. Colligit ideo Broukhuſius, Marcum hac Elegia eommemorari: nam profecto ruſtieum fuiſſet, minori frarri eonſulatum ac triumphum vaticinari, majore præterito ac neglecto. Addo ego, illos qui adoprabantur, nomen prioris familiæ ipſum immutare conſueviſſe, non cognomen, aut agnomen. L. igitur Cotta, virtute adoptionis, Valerianus vocari debuit, non Meſſalinus. Ad Marcum Meſſalinum ſcripſit Ovidius Epiſt. 7. lib. 1. ex Ponto, & 8. lib. 2. Sed & mulieres ex Valeria familia Meſſalinæ dictæ ſunt. Celeberrima eſt Valeria Meſſalina, Claudii Principis uxor, mater Britannici a Nerone ſublati, prodigioſæ libidinis femina.

Versu I. *Phœbe fave*] Phœbum Apollinem

Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

Ipſe

finem invocat, quod hic deus vaticiniis præeſſet, quod numen ſuum Sibyllis afflaviſſe crederetur, & quod *libri Sibyllini* ab Auguſto Cæſare *conditi* fuiſſent *duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi*. teſte Suetonio in Octavio cap. 31. Broukhuſius jure ac merito hunc verſum laudat, tamquam concinnum, & magnifice incedentem. Tibullus Phœbum ſibi favere optat, nimirum ſe juvare in ſcribendo: & Meſſalino pariter, qui novum ſacerdotium inibat. Ovidius quoque initio libri 4. Faſt.

Alma, fave dixi, geminorum mater Amorum.
Ad vatem vultus retulit illa ſuos.

ibid. *novus ſacerdos*] Quindecimvir ſacris faciundis. Honorem quindecimviratus largiri ſolebant Cæſares, deleta libertate, ut pignus & pollicitationem conſulatus futuri. Propterea Papinius Statius lib. 1. Silvarum Carm. 2. L. Arruntio Stellæ Patavino, eleganti poetæ, conſulatum auguratur, quod in Quindecimvirûm Collegium, beneficio Principis, lectus jam eſſet.

Hunc & biſſenos (ſic indulgentia pergat
Præſidis Auſonii) cernat attollere faſces
Ante diem: certe jam nunc Cybeleïa novit
Limina, & Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.

Hoc magiſtratu, ſeu ſacerdotio, functum fuiſſe etiam C. Valerium Flaccum Patavinum, cujus adhuc exſtant Argonautica, recte colligunt Jo. Fridericus Gronovius libro de Pecunia Veteri, & Nicolaus Heinſius, ex teſtimonio ejuſdem poetæ lib. 1. Argonaut. v. 5.

Phœbe, mone; ſi Cymææ mihi conſcia vatis
Stat caſtâ cortina domo.

Ait, ſibi domi eſſe cortinam Sibyllæ Cumææ, quæ Sibyllis reliquis omnibus, per Latium, facile antecedebat. Erat autem cortina, peculiari ſignificatione, tripodis operculum. Sibylla porro conſulentibus reſponſura, tripodem aſcendere ſolita fuerat, ibique ſpiritum e ſpecu erumpentem corpore haurire. Memorabile eſt quod tradit Servius in lib. 3. Æneid. *Delphinum ajunt inter ſacrata Apollinis receptum: Cujus rei veſtigium eſt, quod hodieque Quindecimvirorum cortinis Delphinus in ſummo ponitur, & pridie quam ſacrificium faciunt, velut ſymbolum Delphinus circumfertur. Ob hoc ſcilicet, quod Quindecimviri librorum Sibyllinorum ſunt antiſtites. Sibylla autem Apollinis vates, & Delphinus Apollini ſacer.* Nicolaus Heinſius ad Valerium Flaccum loco memorato refert, in nummis argenteis aureiſque Vitellii tripodem cum Delphino & Corvo exprimi, addita inſcriptione, XV. VIR SACR. FAC. Libri Sibyllarum conſulebantur difficillimis ac valde periculoſis reipublicæ temporibus. Olim Duumviri tantum fuerant ad hoc munus electi, patricio genere: ſed poſtea, ne plebs quereretur, numerus auctus eſt, ac Decemviri facti. Afferam verba Livii ex lib. 10. Hiſt. *Quid autem ego ſic adhuc egi, tamquam integra ſit cauſſa patriciorum de ſacerdotiis, & non jam in poſſeſſione unius ampliſſimi ſimus ſacerdotii? Decemviros ſacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi hujus interpretes, antiſtites eoſdem Apollinaris ſacri cæremoniarumque aliarum plebejos videmus. nec tum patriciis ulla injuria facta eſt, quum Duumviris ſacris faciendis adjectus eſt propter plebejos numerus.* Vide & M. Tullium l. 1. de Divinat. non procul ab initio.

v. 3. *vocales chordas*] Nimirum ſonoras. Interdum enim & ſonus *vox* appellatur, in muſicis præſertim. Virgilius Æneid. lib. 6. v. 645.

Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Erat enim φόρμιγξ ἑπτάχορδος, quam ἑπτάκτυπον καὶ ἑπτάγλωσσον appellat Pindarus in Pythiis & Nemeis. chordæ enim ſingulæ proprium & peculiarem ſonum edebant. Laus eſt chordarum; quæ non ſonare, ſed verbis quaſi loqui videbantur.

ibid. *impellere pollice*] Chordæ digitis carpebantur, & interdum plectrum, ſive pecten digitis ſubſidio veniebat, ne attritu læderentur. Id teſtatur Martialis lib. 14. Epigr. 165.

Fervida ne trito tibi pollice puſtula ſurgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Dein-

Ipſe triumphali devinctus tempora lauro,
  Dum cumulant aras, ad tua ſacra veni.
Sed nitidus, pulcerque veni. nunc indue veſtem
  Sepoſitam, longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
  Victori laudes concinuiſſe Jovi.
Tu procul eventura vides: tibi deditus augur
  Scit bene quid fati provida cantet avis.

Tuque

Deinde cithara plectro percuſſa clariorem ſonum edebat. Iccirco Virgilius lib. 6. Æneid. v. 647.

Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.

v. 4. *ad laudes flectere verba meas*] Nempe mihi te laudaturo verba quæ poetam deceant ſuppeditare, verba flexilia, & metro accommodata.

v. 6. *Dum cumulant aras*] Dum ſacerdos partes certas, decisas ex omni viſcere ac membro victimæ offerendæ, farina farris involutas, a miniſtris accipit, & aris imponit comburendas. Ex his porro partibus quamdam ſtruem excitare, hoc eſt *cumulare aras*.

v. 7. *nitidus*] Capillo bene pexo atque unguentato. Noſter ſuperius lib. 1. Eleg. 7.

Illius nitido ſtillent unguenta capillo.

ibid. *nunc indue veſtem Sepoſitam*] Theatrale ſyrma, cum quo citharœdi prodibant in publicum. Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 4. *Ut citharœdus quum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum corona aurea, citharam tenens auro & ebore diſtinctam, ipſe præterea ſtatu ſit appoſito ad dignitatem* &c. *Sepoſita veſtis*, eſt non quotidiana, ad lætos & feſtos dies agendos in arculâ reſervata.

v. 9. *Saturno rege fugato*] Per ſummum ſcelus atque impietatem. Lactantius Firmianus lib. 1. D. I. cap. 10. *Quid horum omnium pater Juppiter, qui in ſolemni precatione Optimus Maximus nominatur? nonne a prima ſua pueritia impius, ac pæne parricida deprehenditur? quum patrem regno expulit, ac fugavit: nec exſpectavit mortem decrepiti ſenis, cupiditate regnandi: & quum paternum ſolium per vim, per arma cepiſſet, bello eſt a Titanibus laceſſitus, quod humano generi principium fuit malorum: quibus victis, & pace in perpetuum comparata, reliquam ſuam vitam in ſtupris, adulteriiſque conſumſit.* Et inferius, cap. 14. *Poſt hæc deinde Saturno datam ſortem, ut caveret, ne filius eum regno expelleret: illum elevandæ ſortis, & effugiendi periculi gratia inſidiatum Jovi, ut eum necaret: Jovem cognitis inſidiis regnum ſibi denuo vindicaſſe, ac fugaſſe Saturnum. qui quum jactatus eſſet per omnes terras, perſequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum, vel necandum Juppiter miſerat: vix in Italia locum, in quo lateret, invenit.* Alii tamen tradiderunt, Saturnum a Jove comprehenſum fuiſſe, atque in vincula, immo in Tartarum cum Titanibus conjectum, non vero fugere compulſum: quorum ſententiæ principi Homero lib. Iliados 8. ſuffragatur Plato in Euthyphrone. Ceterum elegantiſſime Petrus Bembus de ſcelere Jovis adverſus patrem, quodcumque tandem id fuerit, in Epigram. Italico ad Tryphonem Cabrielium:

O alma, in cui riluce il caſto e ſaggio
Secolo, quando Giove ancor non s' era
Contaminato del paterno oltraggio.

Singulare eſt quod tradit Lucianus in Saturnalibus, Jovem regnare cœpiſſe, patre ipſo volente, ac regno ſponte ſe abdicante, quum ob nimiam ſenectutem rebus adminiſtrandis jam impar eſſet.

v. 11. *Tu procul eventura vides*] Apollo ipſe apud Ovidium l. 1. Metamorph. v. 517.

– – – per me, quod eritque, fuitque, Eſtque, patet.

v. 12. *quid fati provida cantet avis*] In

augu-

Tuque regis ſortes: per te præſentit haruſpex,
Lubrica ſignavit quum deus exta notis.
Te duce Romanos numquam fruſtrata Sibylla eſt,
Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.

Phœ-

augurali diſciplina fuerunt aves *oſcines*, & *præpetes:* illæ ſic vocatæ, quod ore & cantu, hæ quod pennis & volatu auſpicium facerent. Ovidius lib. 1. Faſtor. v. 441.

Intactæ fueratis aves, ſolatia ruris:
Adſuetum ſilvis, innocuumque genus;
Quæ facitis nidos, quæ plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil iſta juvant: quia linguæ crimen habetis,
Dique putant mentes vos aperire ſuas.
Nec tamen id falſum. nam, dis ut proxima quæque,
Nunc pennâ veras, nunc datis ore notas.

Iccirco, *avis fati provida*, eſt quæ garritu ea prædicit & præcinit quæ certâ fati neceſſitate aliquando eventura ſunt. Avium porro garritum ſe intelligere profitebantur augures ſuperſtitioſi, & quid unaquæque vox illarum ſignificaret.

v. 13. *Tuque regis ſortes*] Erant ſortes Apollineæ præcipue in Lycia, quarum ſortium mentionem facit Virgilius lib. 4. Æneid. v. 346. & v. 377. A *ſortibus* autem *legendis*, ſive ſumendis, vocati *ſortilegi*. Minucius Felix Octavio: *Iſti igitur impuri ſpiritus, dæmones, ut oſtenſum a magis, a philoſophis, & a Platone, ſub ſtatuis & imaginibus conſecrati deliteſcunt — — — dum nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, ſortes regunt.* &c. Hoc in divinis litteris Proverb. cap. 16. v. 33. *eſt temperare ſortes. Sortes mittuntur in ſinum, ſed a domino temperantur.*

v. 14. *Lubrica ſignavit quum deus exta notis*] Haruſpicum vaniſſima diſciplina, quam Romani a Tuſcis acceperant, docebat, quid certæ notæ in pecudum viſceribus, præcipue jocinore, portenderent ac ſignificarent. Lucanus lib. 1. Pharſaliæ v. 618.

Terruit ipſe color vatem; nam pallida tetris
Viſcera tincta notis.

Seneca pariter Œdipo v. 352.

Sed ede certas viſcerum nobis notas.

Pythagoras apud Naſonem lib. 15. Metamorph. v. 136. haruſpicinæ vanitatem irridens:

Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inſpiciunt: menteſque deum ſcrutantur in illis.

Tibulliana locutione uſus eſt Lactantius in libro De Mortibus Perſecutorum: *Trepidabant haruſpices, nec ſolitas in extis notas videbant.* Id quum eveniret, *exta* dicebantur *muta*, ut teſtatur Pompejus Feſtus. Ad haruſpices porro tria pertinebant, exta, fulgura, oſtenta. Cicero lib. 2. de Divinatione: *Sed quoniam de extis, & fulguribus ſatis eſt diſputatum, oſtenta reſtant, ut tota haruſpicina ſit pertractata.*

v. 15. *Sibylla*] Petrus Petitus, vir doctus, peculiari libro de Sibylla, nonniſi unam fuiſſe ſtatuit, puta Cumæam, a qua omnis illa fama, omnia illa oracula, remotis ſuppoſititiis, promanarint: quæ a variis locis, ubi illa vixerit, varium nomen ſortita fuerit. Multi eruditorum exiſtimant, hujus vocabuli originem eſſe *σιὸς*, hoc eſt *θεὸς* Æolum lingua, *Deus*: & *βυλὴ*, *conſilium*; quod hæc vates numine afflata, Dei mentem & conſilia perciperet. Non deſunt tamen qui contendant, hoc nomen derivari ἀπὸ τῦ σιῶν, ἐκ τῆς βυλῆς, a *lædenda mente*, quod Sibyllæ nonniſi furentes ac externatæ vaticinari ſolerent.

v. 16. *Abdita quæ ſenis fata canit pedibus*] Oracula hexametro verſu edebantur; quem a Phemonoë, prima Pythia, ſacerdote ac vate Delphici Apollinis, inventum fuiſſe, tradunt Euſtathius in Iliadem, Tzetzes Prolegom. in Lycophronis Caſſandram, Pauſanias in Phocicis, Plinius lib. 7. N. H. cap. 57. & Fortunatianus de Re Metrica. Hexametrum ita circumlocutus eſt Horatius quoque Sat. 10. v. 59.

— — — pedibus quid claudere ſenis
(Hoc tantum) contentus, amet ſcripſiſſe ducentos
Ante cibum verſus, totidem cœnatus.

v. 17.

Digitized by Google

Phœbe ſacras Meſſalinum ſine tangere chartas
   Vatis: & ipſe, precor, quid canat illa, doce.
Hæc dedit Æneæ ſortes, poſtquam ille parentem
   Dicitur, & raptos ſuſtinuiſſe Lares:
Nec fore credebat Romam, quum mœſtus ab alto
   Ilion, ardentes reſpiceretque deos.
Romulus Æternæ nondum formaverat Urbis
   Mœnia, conſorti non habitanda Remo.

Sed

v. 17. *ſacras ſine tangere chartas Vatis*] Nempe libros Sibyllæ Cumææ, qui a profanis aſpici non poterant, nedum tangi, contrectari, & evolvi. Lactantius lib. de Ira Dei cap. 23. *Cumææ quidem volumina, quibus Romanorum fata conſcripta ſunt, in arcanis habentur: ceterarum tamen fere omnium libelli, quominus in uſu ſint omnibus, non vetantur*. Ea Sibylla *vates* vocabatur κατ' ἐξοχὴν, quod ſurore Apollinis agitata & inſtincta res futuras cecinisset. *Cymææ vatis cortinam*, ſive oraculum, memorat Val. Flaccus 1. Argonaut. v. 6. De Sibyllæ porro & reliquorum vatum furore ita Cicero lib. 1. de Divinat. haud longe ab initio: *Et quum duobus modis animi ſine ratione, & ſcientia, motu ipſi ſuo ſoluto, ac libero incitarentur, uno furente, altero ſomniante: furoris divinationem Sibyllinis maxime verſibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos ex civitate eſſe voluerunt. Ex quo genere ſæpe ariolorum etiam, & vatum furibundas prædictiones, ut Octaviano bello Cornelii Culleoli, audiendas putaverunt*.

v. 18. *& ipſe, precor, quid canat illa, doce*] Romani, quamquam falſa religione imbuti, opus eſſe credebant divina inſpiratione non ſolum ad ſacros libros conſcribendos, verum etiam ad explicandos. Interpretes autem eſſe non poterant niſi ſacerdotes, ad id munus delecti. Hoc diligenter eos velim animadvertere quibus cor ſapit.

v. 19. *Hæc dedit Æneæ ſortes*] Vide Virgilium lib. 6. Æneidos.

v. 20. *raptos Lares*] Penates deos raptos ex mediis hoſtibus, ac ex Trojano incendio. Vulgati libri habent, *captos*, minus recte.

v. 21. *ab alto*] A puppi navis, quæ per altum mare navigabat.

v. 23. *Æternæ Urbis*] Hoc nimirum de Urbe Roma, & Romano Imperio jactabant ſuperbi Quirites. T. Livius lib. 4. in Oratione Canuleji: *Quis dubitat, quin in æternum Urbe condita, & in immenſum creſcente, nova imperia, ſacerdotia, jura gentium, hominumque inſtituantur?* Idem lib. 28. in Oratione P. Scipionis ad milites: *Quid? ſi ego morerer, mecum exſpiratura Reſpublica, mecum caſurum Imperium Populi Romani erat? Ne iſtuc Juppiter Opt. Max. ſiverit, Urbem auſpicato diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem eſſe*. Virgilius 1. Æneidos v. 280. verbis Jovis ad Venerem:

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi.

Auſonius in Præfat. ad Faſtos ſuos:

Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ.

Rutilius quoque Numatianus in Itinerario v. 133. ipſam urbem Romam allocutus:

Porrige victuras Romana in ſæcula leges,
Solaque fatales non vereare colos.

Ad quem locum vide quid adnotet Caſpar Barthius. Sed æternitatis vocabulum pro diuturno tempore nonnumquam uſurpari, præter ceteros animadvertit vir doctiſſimus, & πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, Dionyſius Petavius Theologicorum Dogmatum lib. 3. cap. 3. num. 4. idque Auguſtinum indicare ſcribit lib. 22. cap. 1. de Civitate Dei: vel pro eo *cujus finis non conſtituitur*. Sic autem *æternam* dictam fuiſſe *Urbem Romam*, & *æ*-

A a ter-

Digitized by Google

ternos Imperatores. Tametſi quidam & æternos hos, adulaodo; & ſe illi, adulatoribus fidem adhibendo, vera & proprie dicta æternitate nomioarent. Sic Conſtantius, ut refert Ammianus Marcellious initio lib. 5. Hiſt. aſſentatorum blanditiis, & ſecundarum curſu rerum inflatus, *immunem ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim a juſtitia declinavit ita intemperanter, ut ÆTERNITATEM MEAM aliquoties ſubſereret ipſe dictando*. Quantopere autem falſi fuerint Romani, & quantum ſua ſpes illos fruſtrata ſit, a multis jam ſæculis experientia docuit. D. Auguſtinus lib. 20. de Civ. Dei cap. 19. quum verba D. Pauli retuliſſet ex Epiſt. 2. ad Theſſalonic. c. 2. *Jam enim myſterium iniquitatis operatur. Tantum qui modo tenet teneat, donec de medio fiat; & tunc revelabitur iniquus*, hæc ſubjungit.... *Quidam putant hoc de Imperio dictum fuiſſe Romano; & propterea Paulum Apoſtolum non id aperte ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano Imperio male optaverit, quum ſperaretur æternum*. Idem Serm. 105. cap. 7. *Habent mutationes terrena regna: Veniet ille de quo dictum eſt, Et regni ejus non erit finis. Qui hoc terrenis regnis promiſerunt, non veritate ducti ſunt, ſed adulatione mentiti ſunt*. Et paullo poſt: *Tranſient quæ fecit ipſe Deus: quanto citius quod condidit Romulus?* De Imperio Romano non ita multo poſt exſtinguendo plura ſcribit Lactantius lib. 7. D. I. cap. 15. qui verus vates fuit.

v. 23. *nondum formaverat Urbis Mœnia*] Nondum futuræ Urbis Romæ formam animo conceperat. Hinc facem lueco verbis T. Livii in Præfat. Hiſt. *Quæ ante conditam condendamve Urbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur; ea nec affirmare nec refellere, in animo eſt*. Quid ſibi vult τὸ *ante condendam Urbem?* nonne antequam Roma conderetur, ſemper eoodenda erat? Hoc verum eſt, ſi fatum, ſive, ut rectius loquar, divinam providentiam, ſpectemus: falſum autem, ſi ad Romuli conditoris mentem & coonſilium reſpiciamus. Fuit certe tempus aliquod, quum Romulus nondum de Urbe condenda coonſilium ſuſcepiſſet: id igitur tempus fuit ante condendam Urbem. Simillimus eſt locus Ariſtotelis lib. 2. Rhetoric. cap. 39. Διὰ ταῦτα, ἢ τὸ ἐν ὁρμῇ τοῦ ποιεῖν, ἢ μελλήσει, ἔσται. ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνεται μᾶλλον τὰ μέλλοντα, ἢ τὰ μὴ μέλλοντα. h. e. *Propterea ſi in procinctu eſt, ut fiat, aut ſi futurum eſt, erit; nam plerumque fiunt ea potius quæ futura erant, quam quæ non futura*. Ubi optime Majoragius: *Ita ſolet evenire, ut ea potius fiant quæ quis facere parat, & quæ aggreditur, quam ea de quibus nihil cogitat*. Propterea vocat Ariſtoteles τὰ μὴ μέλλοντα, id eſt non futura, de quibus agendis, vel faciendis nihil adhuc cogitatum eſt. Idem Livius lib. 1. ubi mortuum Romulum laudat, commemorat *condendæ Urbis conſilium*. Florus etiam lib. 1. cap. 1. H. R. *Ipſe* (Romulus) *fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia novæ Urbis agitabat*. nempe *formabat*, quod ait Tibullus. Hæc porro teſtimoniis optimorum ſcriptorum, quum de ædificiis loquuntur, illoſtrare placet. M. Tullius lib. 1. ad Attic. Epiſt. 6. *Domum Rabirianam Neapoli, quam tu jam dimenſum & exædificatum animo habebas*. Idem Epiſt. 8. lib. 2. ad Famil. *Ut ex tuis litteris quum formam reipublicæ viderim, quale ædificium futurum ſit, ſcire poſſim. formam*; Italice, *il diſegno, il modello*. Et lib. 2. de Divinat. *Quæ eſt enim forma tam inuſitata, tam nulla, quam non ſibi animus poſſit effingere? ut quæ numquam vidimus, ea tamen formata habeamus, oppidorum ſitus, hominum figuras*. D. Auguſtinus Enarrat. in Pſalmum 44. num. 4. *O homo ..... per conſilium natum ex corde tuo ædificas aliquid; & illa fabrica, antequam ſtet in opere, ſtat in conſilio; & ineſt jam quod facturus es, in eo per quod facturus es*. Philo Judæus in libro de Muodi Opificio: Οὐδὲ γὰρ ἡ νοητὴ πόλις ἕτερός τί ἐςιν, ἢ ὁ τοῦ ἀρχιτέκτονος λογισμὸς, ἤδη τὴν νοητὴν πόλιν κτίζειν διανουμένου. h. e. *Nec enim intelligibilis urbs eſt aliud quid, quam illa architecti ratiocinatio, cogitantis jam urbem mente conceptam condere*. Conſtaotious Manaſſes in poemate chronologico De Origine Romaoorum:

Τὸ σχῆμα τὸ τῆς πόλεως ἐκεῖσε διαγράφει.
Urbiſque formam mente mox delineat.

Loquitur de ipſo Romulo. Ceterum a *forma* derivantur *deformare*, atque *informare*: Italice *diſegnare*, *abbozzare*. Vitruvius lib. 1. Architect. cap. 1. *Architectus graphidis peritus ſit, ut deformare poſſit lineis imitationem*

quam

Sed tunc paſcebant herboſa Palatia vaccæ,
Et ſtabant humiles in Jovis arce caſæ.
Lacte madens illic ſuberat Pan ilicis umbræ,
Et facta agreſti lignea falce Pales.
Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
Garrula ſilveſtri fiſtula ſacra deo
Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo;
Nam calamus cera jungitur uſque minor.

At

quam velit ædificiorum. Plautus Pſeudolo a. 3. 10. *Cuncta in ordine animo ut volueram Certa, deformata habebam*. Cicero Epiſt. 1. lib. 1. ad Atticum: *Petitorum hæc eſt adhuc informata cogitatio*. Et lib. 4. Academ. Quæſt. *Sive illa cogitatione informantur*.

v. 24. *conſorti non habitanda Remo*] *Conſorti*, fratri germano ſcilicet. Ovidius Epiſt. Briſeidos v. 47.

Vidi ego conſortes pariter generiſque, neciſque
Tres cecidiſſe: tribus, quæ mihi, mater erat.

Vel, pari poteſtate & pari honore fruenti; qui eſſet Romulo *ἰσόψηφος, ϗ τιμὰς καρπούμενος τὰς ἴσας*, ut loquitur Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. Hiſtor. de Romulo ac Tatio rege Sabinorum.

v. 25. *herboſa Palatia*] Montem Palatinum, e ſeptem Romæ collibus præcipuum. Romulus in eo habitavit, eumque primum omnium muro circumdedit: ibi quum auguraretur, duodecim vultures vidit, qui regnum illi addixerunt. Fuit deinde in hoc monte ſedes Imperii Romani, & domus Auguſta.

v. 26. *Et ſtabant humiles in Jovis arce caſæ*] In rupe Tarpeja, ubi poſtea templum Jovis Capitolini, tuguria paſtorum hic illic diſperſa cernebantur; in quibus & Romuli caſa ſtramentis tecta, quam Curiam Calabram dixerunt.

v. 27. *Lacte madens i. ſ. Pan ilicis umbræ*] Pan in luco adorabatur, & ante illius ſimulacrum paſtores liba ponebant, & lac effundebant.

v. 28. *Et facta agreſti lignea falce Pales*] Quod ſolebant rudes illi homines & religioſi, qui periti artificis copiam non haberent. Vertumnus deus apud Propertium lib. 4. Eleg. 2. ita de vetere ſua ſtatua & obſoleta:

Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus.

Priapus pariter apud Horatium Sat. 8. l. 1.

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Quum faber incertus ſcamnum faceretne, Priapum
Maluit eſſe deum.

Et Carm. 9. in Obſcœnis Luſibus:

Non me Praxiteles, Scopaſve fecit:
Nec ſum Phidiaca manu politus:
Sed lignum rude villicus dolavit,
Et dixit mihi, Tu Priapus eſto.

Superſtitioſam hanc & inſanam gentium conſuetudinem graphice deſcribit, atque ob oculos ponit Iſaias Propheta cap. 44. *Artifex lignarius ...... ſuccidit cedros, tulit ilicem, & quercum quæ ſteterat inter ligna ſaltus: plantavit pinum, quam pluvia nutrivit. Et facta eſt hominibus in focum: ſumſit ex eis, & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus eſt deum, & adoravit: fecit ſculptile, & curvatus eſt ante illud.*

v. 30. *ſilveſtri deo*] Puta Pani, Pali, de quibus modo dixit, vel Fauno, Silvano, Dryaſio, Oreaſio. Hæc enim omnia numina ſilvarum fuere.

v. 31. *Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo*] Qualis fuerit veterum fiſtula, quum ex nummis, & marmoreis monumentis, tum ex Julio Polluce diſcere poſſumus, qui Onomaſtici lib. 4. cap. 9. ſect. 5. eam ita *διαγράφει*: Ἡ *μὲν οὖν* (*σύριγξ*) *καλάμων ἐστὶ συνθήκη, λίνῳ δὲ κηρῷ συνδεθεῖσα*.

At qua Velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulſa per vada linter aqua.
Illa ſæpe gregis diti placitura magiſtro
Ad juvenem feſta vecta puella die eſt.
Cum qua fœcundi redierunt munera ruris
Caſeus, & niveæ candidus agnus ovis.

Impi-

σα. ἦγε αὐτοσχέδιος, αὐλοὶ πολλοί, ἕκαστος κατὰ μικρὸν ὑφ᾽ ἑκάστῳ ὑπολήγοντες, εἰς τὸν ἐλάχιστον ἀπὸ τοῦ μεγάλου. κατὰ μὲν τὸ στόμα τῶν αὐλῶν ἀρισάμενοι, ἐκ δὲ θατέρου μέρους ὑπ᾽ ἀλλήλοις δι᾽ ἀνισότητος ὑφεστηκότες, ὡς ὄρνιθος πτέρυγι τὸ σχῆμα προσεοικέναι. h. e. *Hæc quidem* (fiſtula) *calamorum eſt compoſitio , lino ceràque colligata , & hæc inelaborata eſt , tibiæ multæ , ſingulæ poſt ſingulas paullatim deſinentes , a maxima ad minimam uſque , & juxta os quidem tibiarum diminutæ , & alteri parti propter inæqualitatem mutuam inſiſtentes , ita ut avium alæ ſimilis videatur*. Longiorem deſcriptionem & accuratiorem dabit Achilles Tatius lib. 8. de Amoribus Clitophontis ac Leucippes . Parce Ovidius l. 8. Metamorph. v. 191.

— — — ſic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paullatim ſurgit avenis.

Parem diminutionem in ramis abietum , ad verticem uſque decreſcentibus , notavit Dantes Aligherius Cantu 22. Purgatorii:

E come abete in alto ſi digrada
Di ramo in ramo.

v. 33. *Qua Velabri regio patet*] Velabrum Romæ planitiem inter Capitolium , Palatinum , & Aventinum occupabat : in qua planitie fuit & Boarium Forum . Nominis originem tradit Varro lib. 4. de L. L. *Velabrum dicitur a vehendo . Velaturam facere etiam nunc dicuntur qui id mercede faciunt* . Et in Velabro , & in proxima valle Circi Maximi inundantes olim aquæ Tiberis ſtagnavere. Propterea , ut ſcribit idem Varro libro eodem : *Ex Urbe in Aventinum a reliqua Urbe paludibus diſcluſum vehebantur ratibus* . Propertius l. 4. Eleg. 9.

Qua Velabra ſuo ſtagnabant flumine , quaque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

His vero paludibus exſiccatis & coercitis , nomen nihilominus loco manſit.

v. 34. *pulſâ aquâ*] Remi pellunt aquam : item qui natant . Noſter ſuperius lib. 1. Eleg. 4.

Hic placidam niveo pectore pellit aquam.

ibid. *linter*] σκάφη μονόξυλος . ex arbore ſcilicet cavatâ . Virg. 1. Georg. v. 136.

Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas.

v. 35. *Illâ*] Subaudi *aquâ* , ſeu *viâ* .

ibid. *gregis diti magiſtro*] Virgilius Ecl. 2. v. 33.

— — — Pan curat oves , oviumque magiſtros.

Magiſter non præceptorem ſolum ſignificat , ſed ἐπιστάτην quoque , præfectum , ad quem pertinet rem aliquam vel ſocietatem curare ; ut hoc loco . Broukhuſius legere mavult *gregis ditis* : quod aures meas offendit , & ob duas voces diſſyllabas in *ſ* deſinentes , & ob epithetum poſtpoſitum ac proxime adjunctum . *Diti magiſtro* videtur mihi elegantius dictum ; præſertim quum ita explicari poſſit , *magiſtro qui dives eſſet gregis* . Nam & Virgilius Ecloga 2. v. 20.

Quam dives pecoris , nivei quam lactis abundans.

Et Horatius lib. 4. Ode 8.

— — — divite me ſcilicet artium
Quas aut Parrhaſius protulit , aut Scopas.

v. 36. *feſtâ die*] Palilibus , niſi fallor , quæ agebantur xi. Kalendas Majas : tunc enim pecora maxime fœcunda . Ceterum de convivio hæc accipienda , non de concubitu , recte monuit ſollertiſſimus Broukhuſius .

v. 37. *Cum qua f. redierunt munera ruris*] Ait noſter , puellam lintre adductam , & convivio adhibitam magiſtri gregis , quum illi placuiſſet , accepiſſe ab eo munuſcula rutalia , & domum retuliſſe , quum rediret ad ſuos .

v. 38. *agnus ovis*] Eadem ratione dictum invenies apud ſcriptores , *pulli equarum , catuli*

Digitized by Google

Impiger Ænea volitantis frater Amoris,
Troia qui profugis ſacra vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes adſignat Juppiter agros:
Jam vocat errantes hoſpita terra Lares.
Illic ſanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda deum cælo miſerit Indigetem.

Ecce

tuli tigridum, *ſcymni leonum*, *binuli cervorum*, & alia ſimilia. Vulgatus Bibliorum Interpres Pſalmo 113. *Montes exſultaverunt ut arietes*, *&* *colles ſicut agni ovium*. De aquis Velabri, & naviculis per illas diſcurrentibus videndus Ovidius lib. 6. Faſtorum a v. 401.

v. 39. *Impiger Ænea*] μίμησις hæc eſt Sibyllæ Cumanæ prædicentis Æneæ regnum Latii, poſterorum ejus felicitatem, futuramque Romanorum magnitudinem. Superius v. 19. dixerat poeta: *Hæc dedit Æneæ ſortes*. Quænam fuerint hujuſmodi ſortes, explicant ea quæ ſequuntur. *Impiger*, eſt acer, ſtrenuus, bonus militia, laboris patiens, impavidus: hæc autem omnia conveniunt in Æneam. Salluſtius Belli Jugurth. c. 7. *Jugurtha*, *ut erat impigro & acri ingenio*. Homerus Iliados lib. 5. v. 571. vocat Æneam θεὸν πολεμιστήν. *impigrum bellatorem*.

ibid. *volitantis frater Amoris*] Eadem matre natus, nimirum Venere. Miſcet hiſtoriam fabulæ, ut ſolent poetæ, quum de temporibus heroicis loquuntur. Venus ipſa apud Maronem lib. 1. Æneid. v. 653. id teſtatur:

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, *meæ vires*, *mea magna potentia ſolus*,
Nate, *patris ſummi qui tela Typhoïa temnis;*
Ad te confugio, *& ſupplex tua numina poſco.*
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, *odiis Junonis iniquæ*,
Nota tibi: & noſtro doluiſti ſæpe dolore.

Ovidius pariter lib. 3. Amor. Eleg. 9. de Cupidine:

Fratris in Ænea ſic illum funere dicunt
Egreſſum caſtris, *pulcher Iule*, *tuis.*

Vide & Epiſt. Didonis. Ceterum Tibullus recto judicio *Amorem* appellat *volitantem*, quum *impigrum* dixerit *Æneam*, ut ſit duorum fratrum quædam ſimilitudo. Sic & Maro *Amorem* vocavit *aligerum*.

v. 40. *Troia ſacra*] Deos ipſos Trojæ patronos. Virgilius 1. Æneid. v. 5.

Multa quoque & bello paſſus, *dum conderet urbem*,
Inferretque deos Latio.

Ovidius Epiſt. Didus v. 80.

Sed neque fers tecum: nec, *quæ mihi*, *perfide*, *jactas*,
Preſſerunt humeros ſacra paterque tuos.

v. 41. *Laurentes agros*] T. Livius lib. 1. Hiſtor. *Æneam ab ſimili clade domo profugum*, *ſed ad majora initia rerum ducentibus fatis*, *primo in Macedoniam veniſſe: inde in Siciliam quærentem ſedes delatum: ab Sicilia*, *claſſe Laurentem agrum tenuiſſe.*

v. 42. *J. vocat e. hoſpita terra Lares*] Mentem, vocem, & miſerationem terræ tribuit, more poetarum. Vel hoc tribuendum eſt Genio loci. Virgilius pariter lib. 8. Æneid. v. 711.

Contra autem magno mærentem corpore Nilum,
Pandentemque ſinus, *& tota veſte vocantem*
Cæruleum in gremium latebroſaque flumina victos;

nempe Cleopatram & Antonium, eorumque copias ab Auguſto profligatas.

v. 43. *Illic ſanctus eris*] Videlicet in agro Laurente, ac terra hoſpita. Hoc diſtichum disjunxit a præcedenti Joſephus Scaliger magno flagitio, & illud perperam interpoſuit: *Troja quidem tum ſe mirabitur*, &c.

ibid. *quum te veneranda Numici Unda d. c. m. I.*] Vide Ovidium lib. 14. Metam. v. 581. In hoc flumine, quod ingens olim fuiſſe tradit Servius ad l. 7. Æneid. v. 150.

reper-

Ecce ſuper feſſas volitat Victoria puppes.
  Tandem ad Trojanos diva ſuperba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia caſtris.
  Jam tibi prædico, barbare Turne, necem.

Ante

repertum fuit cadaver Æneæ, & conſecratum. *Venerandam* vocat *undam Numicii* poeta ob eam cauſſam, ut Broukhuſius exiſtimat, quod Veſtæ libari nonniſi de hoc fluvio liceret. Sunt qui tradant, Æneam hoc flumine ſubmerſum: ferunt alii, non procul ab eo in pugna occiſum: neque deſunt qui corpus occiſi nuſquam comparuiſſe ſcribebant. Ita ſolebant veteres fœda heroum fata decoris fabulis honeſtare. Notum & pervulgatum eſt, quomodo primus Romæ rex morte obita, Quirinus e Romulo factus fuerit.

v. 44. *deum Indigetem*] Æneam conſecratum, & cælo receptum, dixerunt Latini *deum Indigetem*, *Jovem Indigetem*, *Patrem Indigetem*. Vide Livium lib. 1. & Julium Solinum Polyhiſtoris cap. 2. Heroes, quos jactu lapidum reparavit Deucalion, indigenæ, ſive indigetes appellati fuere: idem poſtea nomen conſecuti ſunt qui, mortali ſemine oriundi, ob ingentia facta inter cæleſtes collocari meruerunt. Hos & Novenſiles a novitate nuncuparunt. Græci vocant ἀνθρωποδαίμονας, nimirum ex hominibus deos: præterea θεοὺς πολίτας, ἀστυνόμους δαίμονας, ἐγγενεῖς, ἐπιχωρείους, πολιούχους, & πολισσούχους. Vide Hieronymum Columnam ad Ennii Fragmenta ex 1. Annali. Claudio Salmaſio in Exercitat. Plinianis pag. 71. hi dii ſunt ἐγχώριοι, πατρῷοι, αὐθιγενεῖς, ὑμίδιοι, κυρῖτας, τοπικοὶ, ἐντόπιοι, χθόνιοι, ἐπιχθόνιοι, ἐνναέται. Memorabile eſt quod ſcribit Servius ad illud l. 1. Georgic. v. 498.

Dii patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater:

Patrii dii ſunt, ait, *qui præſunt ſingulis civitatibus: ut Minerva Athenis, Juno Carthagini.* Indigetes *autem*, *proprie ſunt dii ex hominibus facti; quaſi in diis agentes. Abuſive autem omnes dii generaliter poſſunt dici Indigetes, tamquam nullius rei egentes. Romulum autem ideo invocat, quia ipſe jam inter deos colebatur.*

v. 45. *volitat Victoria*] Ovidius l. 8. Metamorph. v. 13.

Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.

Silius Italic. l. 15. v. 740.

-- -- -- ad Rutulos Victoria verterat alas.

Et ſane alatam nobis hanc deam exhibent veteres nummi, & antiqua monumenta. Exſtat Græcum Epigramma in Anthologia, de fulmine quod alas Victoriæ attriverat.

v. 46. *Diva ſuperba*] In bellis omnibus conſtat inſolentem eſſe Victoriam, ſed maxime in civilibus. Locus eſt inſignis M. Tullii Epiſt. 9. l. 4. ad Famil. *Omnia ſunt miſera in bellis civilibus, quæ majores noſtri ne ſemel quidem, noſtra ætas ſæpe jam ſenſit: ſed miſerius nihil quam ipſa victoria, quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioreſque reddit, ut etiamſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur.* Idem Cicero Epiſt. 4. lib. 4. *Victoriam civilibus bellis ſemper inſolentem* appellat. Huc pertinent verba D. Auguſtini lib. 4. de Civ. Dei, cap. 17. *An forte dicunt, quod deam Victoriam Juppiter mittat, atque illa tamquam regi deorum obtemperans, ad quos juſſerit veniat, & in eorum parte conſidat?* Et paullo poſt: *Nam ſi Victoria dea eſt, cur non deus eſt & triumphus, & Victoriæ jungitur vel maritus, vel frater, vel filius?* Enimvero, Triumphum ipſum aliquem deum exiſtimatum fuiſſe a Romanis, colligere poſſis ex Horatio Epodo 9.

Io Triumphe; tu moraris aureos
  Currus, & intactas boves.
Io Triumphe; nec Jugurthino parem
  Bello reportaſti ducem;
Neque Africanum.

Pro ara cultuque Victoriæ retinendo acerrime olim pugnavit Symmachus Præfectus Urbi, ſub Chriſtianis Imperatoribus: adverſus quem ſcripſit Prudentius libros duos admodum eruditos.

v. 47. *mihi lucent R. incendia c.*] Loquitur tamquam de re præſenti, ut ſolent vates. Ita Mopſum vaticinantem inducit Va-

le-

Ante oculos Laurens caſtrum, murusque Lavini eſt,
Albaque ab Aſcanio condita Longa duce.
Te quoque jam video, Marti placitura ſacerdos
Ilia, Veſtales deſeruiſſe focos:
Concubituſque tuos furtim, vittaſque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc, tauri, de ſeptem montibus herbas,
Dum licet: hic magnæ jam locus Urbis erit.

Ro-

ſerius Flaccus lib. 1. Argonauticon.

v. 48. *barbare Turne*] h. e. Italice, Latine, Rutule: nam terram Italiam barbariam olim dictam fuiſſe, teſtatur Plautus Pœnulo 3. 2. 21. Hæc denominatio a ſuperbia Græcorum duxit originem.

v. 49. *Laurens caſtrum*] Oppidum ab Ænea in Latio fundatum, ubi erant agri Laurentes.

ibid. *muruſque Lavini*] Hoc de urbe Lavinio accipiendum, quam Æneas in honorem uxoris Laviniæ excitavit, doctiſſimus Broukhuſius optime monuit. *Lavinium* apud Tibullum primam ſyllabam brevem habet: *Lavinus*, *a*, *um* apud Propertium l. 2. Eleg. ultima, primam longam:

Qui nunc Æneæ Trojani ſuſcitat arma,
Jactaque Lavinis mœnia litoribus.

v. 50. *Alba Longa*] Livius l. 1. *Is Aſcanius, ubicumque & quacumque matre genitus (certe natum Ænea conſtat) abundante Lavinii multitudine, florentem jam (ut tum res erant) atque opulentam urbem matri, ſeu novercæ, reliquit: novam ipſe aliam ſub Albano monte condidit. quæ ab ſitu porrectæ in dorſo urbis Longa Alba appellata. Inter Lavinium & Albam Longam coloniam deductam triginta ferme interfuere anni.*

v. 52. *Ilia*] Romuli matrem, Veſtæ ſacerdotem, a neſcio quo vi compreſſam, Iliam vocare ſolent poetæ, Rheam Silviam hiſtorici: ſed hoc verum puellæ nomen, dum viveret ac virginitatem ſervaret. Quum illa poſtea, ob pudorem ſtupri, ſe in Anienis, vel Tiberis profluentem miſiſſet, placuit deo fluminis: qui eam ſibi matrimonio fertur copulaſſe, & mutato nomine Iliam deinceps vocaviſſe. Corruptorem illum virginis, quiſquis fuit, Martem nuncupavere, *quia deus auctor culpæ honeſtior erat*, ut ait Livius.

ibid. *Veſtales deſeruiſſe focos*] Tibullus ita loquitur de Ilia, ut de muliere impudica, quæ non vi compreſſa fuerit, ſed ſe corrumpendam obtulerit, vel ſaltem cupido amatori non valde repugnaverit.

v. 53. *vittaſque jacentes*] Vittas inſigne virginitatis, depoſitas & abjectas; quod arguit concubitum voluntarium. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 31.

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris.

quod vel virginibus omnibus edicit, vel ſolis Veſtalibus.

v. 54. *Et cupidi ad ripas arma relicta dei*] Indicat, Martem, ut commodius voti ſui compos fieret, loricam, clipeum, arma reliqua exuiſſe, atque ad ripam Tiberis depoſuiſſe.

v. 55. *Carpite nunc, tauri, de ſ. m. herbas*] ἀποστροφὴ pulcherrima, & quæ non leve πάθος contineat.

v. 56. *hic magnæ jam locus Urbis erit*] Ovidius pariter lib. 15. Metamorph. v. 17.

Atque ita diſcedens, Ævo, dixiſſe, nepotum
Hic locus Urbis erit; promiſſaque vera fuerunt.

Idem lib. 2. Faſtorum v. 280.

Hic, ubi nunc Urbs eſt, tum locus Urbis erat.

Neque ſolum de futuris urbibus ita loquuntur, ſed etiam de dirutis, & penitus deletis. Stephanus περὶ πόλεων: Ἀγαμήδη τόπος περὶ Πύῤῥαν τῆς Λέσβου. *Agamede locus eſt circa Pyrrham in inſula Leſbo.* Fuerat enim olim, ut videtur, Agamede oppidum aliquod.

v. 58.

Roma, tuum nomen terris fatale regendis
Qua ſua de cælo proſpicit arva Ceres:
Quaque patent ortus, & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troja quidem tum ſe mirabitur, & ſibi dicet
Vos bene tam longa conſuluiſſe via.
Vera cano. ſic uſque ſacras innoxia laurus
Veſcar, & æternum ſit mihi virginitas.

Hæc

v. 58. *Qua ſ. de cælo proſpicit arva Ceres*] Significat poeta, culta omnia orbis terrarum loca, ubicumque aratur, ſeritur, & metitur, ſub Romano imperio ſutura. Quo reſpexiſſe crediderim etiam Salluſtium in Proœmio Belli Catilio. *Quæ homines*, inquit, *arant*, *navigant*, *ædificant*, *virtuti omnia parent*. Cui virtuti, niſi militari, quæ Romanorum propria fuit? Ceterum, hanc imaginem Cereris de cælo arva proſpicientis a Virgilio Tibullus fortaſſe ſumſit. Nam ille 1. Georg. v. 94.

Multum adeo, raſtris glæbas qui frangit inertis,
Vimineaſque trahit crates, juvat arva: neque illum
Flava Ceres alto necquicquam ſpectat Olympo.

Huc pertinent illa quoque Ovidii l. 1. Faſt. v. 85.

Juppiter, arce ſua quum totum ſpectet in orbem,
Nil niſi Romanum quod tueatur, habet.

v. 59. *Quaque patent ortus*] τὸ *patent* indicat Solis egreſſum e mari Eoo, tamquam ex aliqua porta: vel poeta ſignificare voluit mundi latitudinem, quæ τοῖς κοσμογράφοις ab Oriente in Occidentem porrigitur; Oriens enim & Occidens latera mundi vocantur, ut docemur ab Ariſtotele lib. 2. de Cælo cap. 2.

v. 60. *Solis anhelantes equos*] Decurſo diei ſpatio ſeſſos, & crebro anhelitu pectus quatientes. Vel ſimpliciter, ſpiritum igne mixtum naribus efflantes. Hoc enim epithetum Solis equis non veſpere tantum, ſed matutino etiam tempore convenire, oſtendit Maro l. 5. Æneid. v. 739.

Et me ſævus equis Oriens adflavit anhelis.

ibid. *abluit amnis*] Nempe Oceani fluenta. Sic & lib. 3. Eleg. 4.

Jam Nox ætherium nigris emenſa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat amne rotas.

v. 61. *Troja quidem tum ſe mirabitur*] Quum ſcilicet Urbs Roma, ex Trojæ cineribus nata, ad tantam magnitudinem & potentiam excreverit, domina effecta orbis terrarum, tunc ipſa mater Troja ſuam παλιγγενεσίαν admirabitur. Vides, lector, hoc diſtichum loco moveri non debuiſſe, quod audacter a Joſepho Scaligero factum eſt.

v. 62. *Vos bene tam longa conſuluiſſe via*] Te ſcilicet, Ænea, & comites peregrinationis tuæ. Cicero lib. 1. de Divinatione, ubi de rege Dejotaro: *Sibique eas aves, quibus auctoribus officium & fidem ſecutus eſſet, bene conſuluiſſe: antiquiorem enim ſibi fuiſſe poſſeſſionibus ſuis gloriam.*

v. 63. *ſacras innoxia laurus Veſcar*] Numquam mihi noceat, immo valde proſit, ac ſalubre ſit mordere ſeu comedere laurum. τὸ *innoxia* hic ſumitur παθητικῶς, pro ea cui non nocetur. Ita Salluſtius in Catilina cap. 40. *Ipſi innoxii, florentes, ſine metu ætatem agere*. Qui laurum comediſſent paullo frequentius, eos ad perfectam vaticinandi ſcientiam ope Phœbi perventuros, credula & vana ſibi perſuaſit antiquitas. Huc animum adhibuit Juvenalis Sat. 7. v. 19.

Nemo tamen ſtudiis indignum ferre laborem
Cogetur poſthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

Et Lycophron in Alexandra v. 6.

Δαφνηφάγων φοιβάζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα.

Lau-

Hæc cecinit vates, & te ſibi, Phœbe, vocavit,
Jactavit fuſa ſed caput ante coma.

Quid-

Laurivoro vaticinata eſt ore.

Ad quem locum ita Iſaacius Tzetzes: Ληροῦσι δὲ, ὅτι οἱ μάντεις, δάφνας ἐσθίοντες, ἐμαντεύοντο, ἵνα καὶ τῇ ὄψει καὶ τῇ ὀσφρήσει γανύμενος ὁ θεὸς, ἀντιδίδωσιν αὐτοῖς τῆς θεοπροπίας χάριν. *Nugantur* nonnulli, *vates laurum edentes vaticinari ſolitos, ut & aſpectu & olfactu exhilaratus deus, reddendis oraculis eos libenter remuneretur.* Deinde prolixam de lauro hiſtoriam ſubjungit. Sophocles prior dixerat in Caſſandra Tragœdia deperdita, ut refert Scholiaſtes Heſiodi ad Theogoniam:

Δάφνην φαγὼν ὀδόντι πρῖε τὸ στόμα.
Quum comediſſet laurum, dentes inſtar ſerræ in ore concutiebat.

Fortaſſe ad hanc Tibulli ſententiam faciunt verba Commodi apud Xiphilinum: Δάφνης φύλλα ἃ ἐπὶ τοῦ στεφάνου εἶχον αὐτὸς διέφαγον. *Edi lauri folia, qua eram coronatus.* Id enim faciebant veteres ob alias quoque cauſſas. Lepide Martialis Epigr. 4. l. 5.

Fœtere multo Myrtale ſolet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde, non aquâ miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paulle, videris contra;
Dicas licebit: Myrtale bibit laurum.

Lucianus difertis verbis ἐν δὶς κατηγορουμένῳ: Καὶ ὅλως, ἔνθα ἂν ἡ πρόμαντις πιοῦσα τοῦ ἱεροῦ νάματος, καὶ μασησαμένη τῆς δάφνης, καὶ τὸν τρίποδα διασεισαμένη, κελεύῃ παρεῖναι, ἄοκνον χρὴ αὐτίκα μάλα παρεστάναι συνείροντα τοὺς χρησμοὺς, ἢ οἴχεσθαι οἱ τὴν δόξαν τῆς τέχνης. h. e. *Denique quocumque vates ſacrum laticem pota, commanducata lauro, & tripode concuſſo, venire jubet, impigrum protinus adſiſtere oportet, oracula connectentem; aut alioqui artis gloria ipſi intercideret.* Loquitur de Apolline. Auctor etiam Geoponicorum lib. 11. c. 2. Λέγουσι δὲ καὶ τοῦτο περὶ τῆς δάφνης, ὅτι ὑγιείας ἐργαστική ἐστιν, ὅθεν καὶ φύλλα αὐτῆς ἐπεδίδοντο τοῖς ἄρχουσι παρὰ τοῦ δήμου τῇ πρώτῃ τοῦ Ἰανουαρίου μηνὸς, καὶ ἰσχάδες. h. e. *Dicunt inſuper & hoc de lauro, eam homines ſanos efficere, unde etiam folia ipſius magiſtratibus a populo prima Januarii menſis porrigebantur, itemque caricæ.* Ex quibus verbis magis intelligimus, cur Tibullus Sibyllam veſcentem lauro *innoxiam* vocaverit. Meminit præterea ſuperſtitionis hujus Aſclepiades vetus poeta Epigrammate in ſtatuam Homeri. Poſtremo Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo 2. de Hiſtoria Poetarum ita ſcribit: *Qui* (Heſiodus) *dum paterna armenta puer cuſtodiret, a Muſis amatus fuiſſe perhibetur: quæ illi guſtandam laurum dedere: eam enim lauri naturam eſſe ſcribit ipſius poetæ interpres Proclus, & Iſaacius Tzetzes, ut qui eam mandunt vates fiant.*

v. 64. *æternum ſit mihi virginitas*] Non temere hoc ſibi optat Sibylla. Narrant enim fabulæ, dilectam a Phœbo, & quum tentaretur ab amarore, ſpe immortalitatis oblata, prætuliſſe tamen perpetuæ vitæ virginitatem. Digni ſunt qui huc afferantur Ovidii verſus ex lib. 14. Metamorph. ubi Sibylla ipſa Æneam ſic alloquitur:

Lux æterna mihi, carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuiſſet amanti.
Dum tamen hanc ſperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit: Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes:
Optatis potiere tuis. ego pulveris hauſti
Oſtendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit optarem juvenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam,
Si Venerem paterer. contemto munere Phœbi
Innuba permaneo.

v. 66. *Jactavit fuſâ ſed caput ante comâ*] Vates oracula edentes comam rotabant; capite huc & illuc jactato. Id faciebant & Mænades Bacchi ſacrificulæ, item Corybantes qui Magnam Deam ſectabantur. Teſtes hujus moris producere poſſem Ovidium, Lucanum, Juvenalem, Appulejum. Sed res notiſſima eſt. Afferam verba Maronis l. 6. Æneid. v. 45.

Ventum erat ad limen, quum virgo, Poſcere fata
Tempus, ait. deus ecce deus. cui talia fanti

Quidquid Amalthea, quidquid Mermeſſia dixit,
  Herophile Phœbo grata quod admonuit:
Quaſque Albuna ſacras Tiberis per flumina ſortes
  Portarit, ſicco perlueritque ſinu.
Hæ fore dixerunt belli mala ſigna cometen,
  Multus ut in terras deplueretque lapis:

At-

Ante fores ſubito non vultus, non color unus,
Non comtæ manſere comæ.

v. 67. *Quidquid Amalthea, quidquid Mermeſſia dixit*] Ordo ſyntaxeos repetendus eſt a verſiculo hujus Elegiæ 18. *Et ipſe, precor, quid canat illa, doce*. Vult enim poeta, Meſſalinum doceri ab Apolline, non tantum quid cecinerit vates Cumæa; cujus prolixum oraculum Æneæ redditum, hactenus interſeruit; verum etiam quid prædixerint aliæ Sibyllæ, Amalthea ſcilicet, Mermeſſia, Herophile, Albuna. Quamquam enim Lactantius, & alii ſcriptores putavere, hæc plura nomina unius mulieris fuiſſe, Tibullus nihilominus aliud ſentit, plures videlicet fuiſſe Sibyllas, proprio unamquamque nomine ab aliis diſtinctam.

ibid. *Amalthea*] Sunt qui tradant, Cumanam Sibyllam vocatam fuiſſe Amaltheam, quæ Tarquinio Superbo Romæ regi ſcripta nonnulla magno pretio vendiderit, poſtea Sibyllina appellata, quæ Romani ſervaverint annos CCCCL. uſque ad tempora Belli Civilis Syllani. Ejuſdem mulieris aliud quoque nomen Suidas commemorat, Ἡροφίλην.

ibid. *Mermeſſia*] Broukhuſius ita legendum oſtendit. Fuit *Mermeſſus* oppidum in Ida monte; hinc gentile *Mermeſſius*; quod Stephanus Byzantius teſtatur in ΜΕΡΜΗΣΣΟΣ. Achilles Statius Luſitanus legi volebat *Marineſſia* vel *Marmeſſia*; quod Sibylla Helleſpontica in vico agri Trojani *Marineſſo*, vel *Marmeſſo* nata eſſet: cui ſuffragatur Lactantius Firmianus lib. 1. D. I. c. 6. μαρμισσὸν eum vicum Suidas vocavit. Aliis placet *Marpeſſia*, ab oppido Troadis *Marpeſſo*, unde Sibylla Erythræa cognomen duxit: ipſa enim apud Pauſaniam in Phocicis cap. 12. carmine affirmat, *Marpeſſum* matri ſuæ patriam eſſe.

v. 68. *Herophile Phœbo grata*] Vide modo memoratum Pauſaniam eodem loco. Hæc mulier Sminthei Apollinis ſacerdos fuit, in ejus poſtea luco ſepulta. Hermias philoſophus in altero libro Scholiorum ad Platonis Phædrum tradit, Sibyllam Erythræam dictam fuiſſe non Herophilen, ſed Eriphylen.

v. 69. *Quaſque Albuna*] Sic excudendum curavi ſententia poſtulante. Qui malunt *Quodque*, ipſi non explicaverint. *Albuna*, ſive *Albunea*, fuit Sibylla Tiburtina, ad fluvium Anienem vaticinari ſolita.

ibid. *ſortes*] Nempe volumini cuidam ſeu membranæ inſcriptas.

v. 70. *ſicco perlueritq. ſinu*] Tranſnabat Tiberim Sibylla: volumen ſinu veſtis involutum gerebat. Aqua fluminis librum alluebat: neque ipſe tamen, neque veſtis permadeſcebat. De hoc miraculo qui, præter Tibullum, verba fecerit, puto veterum ſcriptorum exſtare neminem.

v. 71. *Hæ fore dixerunt b. m. ſ. c.*] Supra, de Sibylla Cumæa: *Hæc dedit Æneæ ſortes*. Animadverte, lector, vatis illius oracula proſpera & læta fuiſſe: harum vero aliarum omnino infauſta.

ibid. *belli mala ſigna cometen*] Sic vulgo antiquis perſuaſum fuit, ſtellas crinitas, quas κομήτας Græci vocant, quum in cælo apparerent, bella, tumultus, regum mutationes, regnorum excidia portendere. Hanc etiam opinionem inter inanes retulerunt philoſophi noſtrorum temporum: jure, an injuria, quis tuto affirmare poteſt?
Periculoſum eſt credere, & non credere.

v. 72. *Multus ut in t. deplueretq. lapis*] Nimirum, *fore ut deplueret*. Male olim legebatur, *deplueritque*. Ceterum pluviæ lapidum frequentes apud T. Livium, & Julium Obſequentem in libello de Prodigiis.

v. 73.

Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia cælo
Audita, & lucos præcinuiſſe fugam.

Ipſum

v. 73. *Atque tubas, atque arma ferunt c. c. A.*] Subaudi, *ut eadem Sibyllæ prædixerant:* eventu enim vaticinium comprobatum eſt. Pluribus veterum teſtimoniis quæ attulit Broukhuſius de tubarum ſonitu prodigioſo, addendus locus Joannis Xiphilini Epitome libri 66. Hiſt. Dionis Caſſii, ubi prodigia enumerat quæ Tito imperante acciderunt. Νύξ τε ἐν ἡμέρας, καὶ σκότος ἐκ φωτὸς ἐγένετο· καὶ ἐδόκουν οἱ μὲν τοὺς γίγαντας ἐπανίστασθαι (πολλὰ γὰρ καὶ τότε εἴδωλα αὐτῶν ἐν τῷ καπνῷ διεφαίνετο, καὶ προσέτι καὶ σαλπίγγων τις βοὴ ἠκούετο) οἱ δὲ &c. *Igitur ex die nox, & tenebræ ex luce factæ erant, putantibus nonnullis, gigantes ſeditionem inter ſe facere, quod multæ imagines eorum in fumo conſpicerentur, quodque clangor tubarum audiretur. Alii vero* &c.

ibid. *arma crepitantia cælo Audita*] Hujus etiam portenti pleni ſunt libri poetarum & hiſtoricorum. Memorabile eſt quod narrat Joſephus lib. 6. de Bello Judaico c. 5. Πρὸ γὰρ ἡλίου δύσεως ὤφθη μετέωρα περὶ πᾶσαν τὴν χώραν ἅρματα καὶ φάλαγγες ἔνοπλοι διάττουσαι τῶν νεφῶν, καὶ κυκλούμεναι τὰς πόλεις. *Etenim ante Solis occaſum per univerſam regionem currus in aere ſublimes ferri, & armatæ phalanges per nubes diſcurrere, urbeſque circumvallare ſunt viſa.*

v. 74. *lucos præcinuiſſe fugam*] *Voces incertas, e lucis ac nemoribus prolatas, cladem ac fugam exercituum* prænuntiaviſſe, ait elegantiſſimus Broukhuſius. Teſtimoniis ab ipſo allatis addi poteſt illud Ciceronis lib. 1. de Divinatione: *Sæpe etiam & in præliis Fauni auditi, & in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto miſſæ eſſe dicuntur: cujus generis duo ſunt ex multis exempla, ſed maxima. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox eſt a luco Veſtæ, qui a Palatii radice in novam viam devexus eſt, ut muri & portæ reficerentur: futurum eſſe, niſi proviſum eſſet, ut Roma caperetur. Quod neglectum quum caveri poterat, poſt acceptam illam maximam cladem explicatum eſt: ara enim Ajo Loquenti, quam ſeptam videmus, adverſus eum locum conſecrata eſt. Atque etiam ſcriptum a multis eſt, quum terra motus factus eſſet, ut ſue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce exſtitiſſe: quocirca Junonem illam appellatam Monetam.* Huc pertinent *panici terrores*, quos immittere Pana ſilveſtrem deum, voce terribili edita, exiſtimabant. Locus eſt de hac re ſingularis Valerii Flacci lib. 3. Argonaut. v. 46.

— — — deus ancipitem lymphaverat urbem,
Mygdoniæ Pan juſſa ferens ſæviſſima Matris.
Pan nemorum bellique potens: quem lucis ad horas
Antra tenent: patet ad medias per devia noctes.
Setigerum latus, & torvæ coma ſibila frontis.
Vox omnes ſuper una tubas. quâ conus & enſes,
Quâ trepidis auriga rotis, nocturnaque muris
Clauſtra cadunt; taleſque metus non Martia caſſis,
Eumenidumque comæ, non triſtis ab æthere Gorgon
Sparſerit, aut tantis aciem raptaverit umbris.

Adoleſcens olim putaveram, hæc verba Tibulli referenda eſſe ad ingentes voces nemorenſium deorum, qui minarentur e ſedibus ſuis diſceſſum. Mirum eſt ſane quod narrat Cornelius Tacitus lib. 5. Hiſtor. *Expaſſæ repente delubri fores, & audita major humanâ vox: Excedere deos. Simul ingens motus excedentium.* T. Livius pariter lib. 5. ubi de Vejorum excidio: *Deinde quum quidam ſeu ſpiritu divino tactus, ſeu juvenili joco, Viſne Romam ire, Juno? annuiſſe ceteri deam conclamaverunt: inde fabulæ adjectum eſt, vocem quoque dicentis, Velle, auditam.* Symmachus etiam in relatione ſua ad A. A. A. pro reſtaurando deorum gentilium cultu: *Et obſeſſis Hieroſolymis audita vox eſt, Numen urbis alio migrare, id eſt Genium.* Corrumpit Symmachus, homo profanus, celebrem Joſephi locum lib. 6. de Bello Judaico cap. 5. Κατὰ δὲ τὴν ἑορτήν, ἣ Πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερόν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν πρὸς τὰς

 λειτουρ-

Ipſum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.
Et ſimulacra deum lacrimas fudiſſe tepentes,
Fataque vocales præmonuiſſe boves.
Hæc fuerint olim. ſed tu, jam mitis, Apollo
Prodigia indomitis merge ſub æquoribus.

Et

λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἀντιλαβέσθαι ἔφασαν καὶ κτύπου, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ φωνῆς ἀθρόας, μεταβαίνομεν ἐντεῦθεν. h. e. *Feſto autem die qui Pentecoſte appellatur, ſacerdotes noctu templum ingreſſi ad obeunda ex more miniſteria, primum quidem motum ac ſtrepitum ſe exaudiſſe dixerunt, tum deinde vocem quaſi confertæ multitudinis ſimul clamantis, Migremus hinc*. Eo tempore exeteitus Romanorum, duee Tito, Hieroſolyma obſidebat. Conſule intetpretes ad illud Maronis Æneid. 2. v. 351.

Exceſſere omnes, adytis ariſque relictis
Dii, quibus imperium hoc ſteterat.

Nunc autem video, exceſſum, ſeu diſceſſum, ſeu migrationem deorum vix *fugam* appellari poſſe. Quapropter Broukhuſio libens aſſentior.

v. 75. *Solem defectum lumine*] Broukhuſius præfert, *defectum lumina*, ut ſit ἑλληνισμός. Ego vero in Tibulli carminibus Romanas locutiones peregrinis anteponendas, probe novi.

v. 76. *Jungere pallentes nubilus annus equos*] Dictum elegantiſſime κατὰ τὴν τῶν ποιητῶν φιλοσοφίαν. Tamquam & candido, & atro colore Soli diem allaturo equi præſto ſint, ut quum libuerit, uti poſſit. Quos Tibullus *pallentes*, Propertius lib. 3. Eleg. 3. vocavit *atratos*:

Solis & atratis luxerit orbis equis.

Ceterum obſcurationem illam Solis poeta ſignificat quæ contigit occiſo Cæſare dictatote, annumque ferme integrum perduravit. Ejus φαινομένου cauſſam probabilem affert Pettus Gaſſendus Phyſicæ Sect. 2. lib. 1. cap. 4. Memorabile eſt quod narrat Xenophanes apud Galenum in Hiſtoria Philoſophica cap. 14. ἔκλειψιν ἡλίου ἐφ' ὅλον μῆνα, καὶ πάλιν ἔκλειψιν ἐντελῆ, ὥστε τὴν ἡμέραν ἀφανῆ εἶναι. *Solem aliquando integro menſe defeciſſe, & rurſus alio tempore ſic omnino defeciſſe, ut dies non appareret.*

v. 77. *Et ſimulacra deûm lacrimas ſudiſſe*] T. Livius lib. 43. cap. 13. *Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrimavit*. Hujuſmodi prodigia recenſet Appianus Alexandrinus lib. 4. Bellorum Civilium. Præterea ſudorem & ſanguinem in ſtatuis deorum aliquando apparuiſſe, famâ fertur. Cicero lib. 1. de Divinatione: *Quid? Lacedæmoniis paullo ante Leuctricam calamitatem quæ ſignificatio facta eſt, quum in Herculis fano arma ſonuerunt, Herculiſque ſimulacrum multo ſudore manavit?* Et pluribus interjectis: *Quid, quum Cumis Apollo ſudavit, Capuæ Victoriâ?* Et inferius: *Expoſitque* (Siſenna) *initio belli Marſici, & deorum ſimulacra ſudaviſſe, & ſanguinem fluxiſſe.*

v. 78. *vocales boves*] Pecudes locutas, triſte admodum habebatur. *Vocale* hoc loco ſignificat non quod qualemcumque vocem, puta mugitum, ſed quod humanæ ſimilem edit. Propertius lib. 2. Eleg. ult.

Qualis & Adraſti fuerit vocalis Arion
Triſtia ad Archemori funera victor equus.

Nam & hunc Arionem equum Adraſti locutum olim ferunt.

v. 79. *Hæc fuerint olim*] Catullus Carm. 4. *Sed hæc prius fuere.*

ibid. *jam mitis*] Jam placatus, & e ſagittario citharœdus. *Paciferi Apollinis* mentio in Inſcriptionibus Romanis.

v. 80. *Prodigia i. merge ſub æquoribus*] Cujuſmodi hoc ſit, explicat Seneca lib. 1. de Ira, cap. 15. *Portentoſos fœtus exſtinguimus, liberos quoque, ſi debiles monſtroſique editi ſunt, mergimus.* T. Livius paritet lib. 27. Hiſtor. *Id vero haruſpices ex Etruria acciti, fœdum ac turpe prodigium dicere. extorrem agro Romano, procul terræ contactu, alto mergendum.* Idem lib. 31. quum varia prodigia

Et ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis;
  Omine quo felix, & ſacer annus erit.
Laurus io bona ſigna dedit: gaudete coloni:
  Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.
Oblitus & muſto feriet pede ruſticus uvas,
  Dolia dum, magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor
  Concinet. a ſtabulis tunc procul eſte lupi.

Ille

digia & oſtenta recenſuiſſet, *Fœda*, inquit, *omnia & deformia; errantiſque in alienos fœtus naturæ viſa. Ante omnia abominati ſemimares, juſſique in mare extemplo deportari: ſicut proxime C. Claudio, M. Livio conſule deportatus ſimile prodigii fœtus erat*. Hunc ritum expiandi portenta probe noverat P. Claudius, qui, ut teſtatur Valerius Maximus lib. 1. Memorabil. cap. 4. *Bello Punico primo, quum prælium navale committere vellet, auſpiciaque more majorum petiſſet, & pullarius non exire cavea pullos nuntiaſſet, abjici eos in mare juſſit, dicens: Quia eſſe nolunt, bibant.* Noſter inferius l. 4. Carm. 4.

Et quodcumque mali eſt, & quidquid triſte timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.

Accedat his omnibus teſtimonium D. Auguſtini lib. 3. de Civ. Dei, cap. 11. *Apollo ille Cumanus, quum adverſus Achæos regemque Ariſtonicum bellaretur, quatriduo fleviſſe nuntiatus eſt: quo prodigio haruſpices territi, quum id ſimulacrum in mare putaviſſent eſſe projiciendum, Cumani ſenes interceſſerunt.*

v. 81. *crepitet bene laurea*] Corona ſcilicet ex lauro in flammas injecta. Propertius contra lib. 2. Eleg. 28.

Deficiunt magico torti ſub carmine rhombi,
Et tacet exſtincto laurus aduſta foco.

Mali ominis fuit, ſi laurus nullo crepitu deflagraviſſet; quemadmodum boni, ſi clare crepuiſſet, ut fert ejus arboris natura.

v. 82. *felix, & ſacer annus*] *Sacer*, mediæ ſignificationis vocabulum; interdum enim notat infelicem, & abominatum. Horatius Sat. 3. l. 2. v. 180.

-- -- -- uter ædilis, fueritve
Veſtrûm prætor, is inteſtabilis, & ſacer eſto.

v. 84. *Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres*] Ita Virgilius lib. 4. Georg. v. 164. de apibus mellificio operam dantibus:

-- -- -- liquido diſtendunt nectare cellas.

Idem lib. 1. ejuſdem operis v. 49. ad meſſem uberrimam ſignificandam:

Illius ingentes ruperunt horrea meſſes.

v. 86. *Dolia dum, magni deficiantq. lacus*] Tanta enim futura eſt ubertas vindemiæ, ut muſto capiendo ſuffectura vaſa non ſint. *Lacus* vas amplum, quo muſtum excipitur, prælo, aut pedibus expreſſum. Carm. in Priapum 53.

Contentus modico Bacchus ſolet eſſe racemo,
Quum capiant alti vix ſua muſta lacus.

Quinctilianus lib. 2. I. O. cap. 4. *Quare mihi ne maturitas quidem ipſa feſtinet, nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint.* *Dolium* vas aliud prægrande, in quo muſtum ebullit, ac defæcatur. Cato R. R. cap. 113. *De lacu quamprimum vinum in dolia indito. Poſt dies xl. diffundito in amphoras.* Memorabilis eſt locus Ciceronis in Bruto cap. 83. *Ut ſi quis Falerno vino delectetur, ſed eo nec ita novo, ut proximis Conſulibus natum velit; nec rurſus ita vetere, ut Opimium, aut Anicium Conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ; credo: ſed nimia vetuſtas nec habet eam quam quærimus ſuavitatem, nec eſt jam ſane tolerabilis. Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet? Minime: ſed quamdam ſequatur ætatem. Sic ego iſtis cenſuerim & novam iſtam, quaſi de muſto ac lacu fervidam, orationem fugiendam.*

v. 87. *ſua feſta Palilia paſtor Concinet*] Cantu celebrabit ſolennia in honorem Palis deæ paſtorum inſtituta. Hæc agebantur

X 2.

Digitized by Google

Ille levis ſtipulæ ſolennes potus acervos
Accendet, flammas tranſilietque ſacras.
Et fœtus matrona dabit, natuſque parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.
Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba ſenem.

Tunc

xr. Kal. Maji ad lupos arcendos, & pro feliei pecorum partu. Palilibus eonditam Urbem Romam, Varro, & alii ſcriptores tradiderunt. Dieebantur & *Parilia*.

v. 90. *flammas tranſilietque ſacras*] Eo die, combuſtâ victimâ, paſtores aquâ ſpargebantur, cœnæ apparabantur, & veſperi ſub noctem ignes ab agrieolis exeitabantur e ſtipula, quos ter tranſiliebant. Cauſſas ejus moris perſequitur Ovidius lib. 4. Faſtorum.

v. 92. *Oſcula comprenſis auribus eripiet*] Plautus quoque Aſinaria 3. 3. 78.

Prebende auriculis, compara labella cum labellis.

Idem Pœnulo 1. 2. 163.

Sine te prebendam auriculis, ſine dem ſavium.

ad quem locum vide Frid. Taubmannum. Suetonius in Auguſto eap. 94. *Ejuſque oſculum delibatum digitis ad os ſuum retuliſſet.* L. Appulejus lib. 6. Aſini Aurei: *Juppiter prenſa Cupidinis bucculæ, manuque ad os ſuum relata, conſuaviat.* Hoc genere oſculandi Græci prius uſi; quod χύτραν appellabant, nempe *ollam*. Theocritus Idyllio 5. v. 132.

Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρὰν οὐκ ἐφίλασε
Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.

Non amo Alcippen, quia me nuper non oſculata eſt
Aures prebendens, quum ipſi palumbum donarem.

Item Ariſtænetus Epiſt. 1. lib. 1. Κἀγὼ τῶν ὤτων λαβομένη τρίς σε φιλήσω. *Et ego auribus prehenſis ter te oſculabor.*

v. 93. *parvo advigilare nepoti*] Eleganter Manilius lib. 1. Aſtronomic. v. 80.

— — — & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo.

Hoc verbum proprie ſignificat vigilare apud aliquem, ut ſolent cuſtodes & exeubitores.

v. 94. *Balbaq. cum puero dicere verba ſenem*] Quæ proprie verba non ſunt, ſi Varronem audimus lib. 5. de Lingua Latina. *Loqui ab loco dictum: quod qui primo dicitur fari, & vocabula & reliqua verba dicit, ante quam ſuo quidque loco ea dicere poteſt. Hunc Chryſippus negat loqui, ſed ut loqui: quare ut imago hominis non ſit homo, ſic in corvis, cornicibus, pueris primitus incipientibus fari, verba non eſſe verba, quod non loquantur. Igitur is loquitur qui ſuo loco quodque verbum ſciens ponit.* Senem porro delicias facientem, qui pueros parvulos imitari loquendo conetur, irridet Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 274.

Quid? quum balba feris annoſo verba palato,
Ædificante caſas qui ſanior?

Idem Sat. 3. lib. 1. v. 44. ubi de indulgentia patris erga liberos, vitio aliquo corporis inſignes: *— — ſtrabonem*

Appellat pœtum pater .... at illum
Balbutit ſcaurum pravis fultum male talis.

Lucretius pariter, de rudi primorum hominum loquela, lib. 5. v. 1020.

Et pueros commendarunt, muliebreque ſæclum
Vocibus, & geſtu, quum balbe ſignificarent,
Imbecillorum eſſe æquum miſereriet omnium.

Nos quoque, ſecuti ſcriptores optimos, in Elegia quadam:

Quod ſi me caſtis foveat complexibus uxor,
Meque vocet balbo filius ore patrem, &c.

Hoc vitium ipſis naribus tribuit Perſius Sat. 1. v. 33. audaeiore catachreſi, ut ſolet:

Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypſipylas, vatum & plorabile ſi quid,

Eli-

Digitized by Google

Tunc operata deo pubes diſcumbet in herba,
  Arboris antiquæ qua levis umbra cadit.
Aut e veſte ſua tendent umbracula ſertis
  Vincta: coronatus ſtabit & ante calix.
At ſibi quiſque dapes, & feſtas exſtruet alte
  Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum.
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,
  Poſtmodo quæ votis irrita facta velit.

Nam

Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato. Rem porro qua de agimus, graphice deſcribit Minucius Felix in Octavio, non procul ab initio: *Negotii, & viſendi mei gratiâ Romam contenderat, relicta domo, conjuge, liberis; & quod eſt in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus, & adhuc dimidiata verba tentantibus, loquelam, ipſo offenſantis linguæ fragmine, dulciorem.* Item D. Auguſtinus Tractatu 7. in Joannis Evangelium num. 23. *Videmus enim & nutrices & matres deſcendere ad parvulos: & ſi norunt Latina verba dicere, decurtant illa, & quaſſant quodammodo linguam ſuam, ut poſſint de lingua diſerta fieri blandimenta puerilia: quia ſi ſic dicant, non audit infans, ſed nec proficit infans. Et diſertus aliquis pater, ſi ſit tantus orator, ut linguâ illius fora concrepent, & tribunalia concutiantur; ſi habeat parvulum filium, quum ad domum redierit, ſeponit forenſem eloquentiam quo adſcenderat, & lingua puerili deſcendit ad parvulum.* Vide eumdem l. 22. cootra Fauſt. c. 46.

v. 95. *operata deo pubes*] *Diis & ſacris operari*, eſt ſacrum facere, victimas cædere, diem feſtum agitare, religioni vacare. Frontious lib. 4. Strategemat. cap. 44. *Piſiſtratus Athenienſis, quum excepiſſet Megarenſium claſſem, qua illi ad Eleuſin noctu applicuerant, ut operatas Cereris ſacro feminas Athenienſium raperent*, &c. Vide ibi Adnotationes Samoelis Tennulii.

ibid. *diſcumbet*] Ad veſcendum ſcilicet. Virgilius 1. Æneid. v. 700.

Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.

Idem ibid. v. 708.

Convenere, toris juſſi diſcumbere pictis.

v. 96. *qua levis umbra cadit*] Nihil umbrâ levius & mobilius. Virgilius Ecloga 1. in calce:

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

v. 97. *e veſte ſuâ tendent umbracula*] Hirtius de Bello Africano, cap. 47. *Reliqui ex veſtimentis tentoriolis factis, atque arundinibus ſcopiſque contectis permanebant.* Locus eſt Ovidii lib. 3. Faſt. v. 525. huic Tibulliano ſimillimus:

Plebs venit, ac virides paſſim diſjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua.
Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus e ramo frondea facta caſa eſt.
Pars ubi pro rigidis calamos ſtatuere columnis,
Deſuper extentas impoſuere togâs.

Lege reliqua, ſi vacat: huc enim pertinent.

ibid. *ſertis Vincta*] Nempe χοινίοις, funiculis. Declinatur autem hoc vocabulum, *ſerta, ſertæ*. Funes enim & reſtes conſerendo, ſeu plectendo fiunt.

v. 100. *Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum*] Verſus antiqua & elegaoti ſimplicitate; quales iovenire neſciunt recentiores poetæ, quorum aures ad legitimos numeros Latinorum plane obſurduerunt.

v. 101. *Ingeret h. potus juvenis maledicta puellæ*] Parum abeſt quin legendum exiſtimem *mala multa*, pro *maledicta*. Certe Plautus ita loquitur Bacchid. 4. 8. 34. *Ut tibi mala multa ingeram*. Idem Pſeudolo 1. 3. 25. *Ingere mala multa*. Et Menæchmis 5. 1. 17. *Omnia mala ingerebat, quemquam conſpexerat*. Tereotius quoque Andria 4. 1. 16.

Nam ferus ille ſuæ plorabit ſobrius idem,
Et ſe jurabit mente fuiſſe mala.
Pace tua, pereant arcus, pereantque ſagittæ,
Phœbe: modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona: ſed poſtquam ſumſit ſibi tela Cupido,
Heu heu quam multis ars dedit illa malum!

Et

1. 16. *Ingeram mala multa*. Rurſus tamen Plautus Aſinar. 5. 2. 77.

Modo, quum dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.

Vulgatus etiam Bibliorum Interpres, Numerorum cap. 22. v. 6. *Novi enim quod benedictus ſit, cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris.*

v. 102. *quæ votis irrita facta velit*] Pœnitebit enim ſtultum & loquacem juvenem maledictorum quæ ſibi ebrio exciderant, quum primum crapulam exhalaverit: optabitque, illa a diis non exaudiri, & effectu carere.

v. 104. *Et ſe jurabit mente fuiſſe mala*] Puta, malum Genium ſibi convicia illa dictaviſſe. Catullus Carm. 41.

Quænam te mala mens, miſelle Ravide,
Agit præcipitem in meos Iambos?
Quis deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?

Alcumena apud Plautum Amphitr. 3. 2. 7. profitetur, ſine hujuſmodi juramento, ſe diſceſſuram a viro ſuo, qui eam probri, ſtupri, dedecoris arguerat:

-- -- -- quin ego illum aut deſeram,
Aut ſatisfaciat mihi ille, atque adjuret inſuper
Nolle eſſe dicta quæ in me inſontem protulit.

Rufus, vir ordinis ſenatorii, ut refert Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 27. jocum quemdam ebrius protulerat in reditum D. Auguſti. *Uſus* poſtea *conſilio* ſervi, *deſcendenti Cæſari occurrit, & quum malam mentem habuiſſe ſe pridie juraſſet, id ut in ſe & filios ſuos recideret, optavit: & Cæſarem, ut ignoſceret ſibi, rediretque in gratiam ſecum, rogavit*. Exemplum formulæ qua uterentur ſatisfacientes, dabit ſcriptor lepidiſſimus Petronius in Satyrico. Qua recitata, demum concludit: *In hæc verba fœderibus compoſitis arma deponimus: & ne reſidua in animis etiam poſt jusjurandum ira remaneret, præterita aboleri oſculis placet*. Conſule de veterum Romanorum & Græcorum ſatisfaciendi ritu virum doctiſſimum & nobiliſſimum SCIPIONEM MAPHÆJUM in Opere celeberrimo (*Della Scienza chiamata Cavallereſca*) l. 2. cap. 5.

v. 105. *Pace tua*] Incipit παρέκβασις ἐρωτικὴ, quales Tibullus amat etiam in re ſeria & gravi: credo, ne non ſatis Elegiacus videatur. *Pace tua, Phœbe*; Italice, *Apollo non l' abbia a male.*

v. 107. *Ars bona: ſed* &c.] Ita Sabinus Epiſt. Ulixis ad Penelopen:

Ars pia: ſed quoties oculos fruſtrabere lanâ,
Succeſſum toties ars dabit illa tibi.

Et D. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis Sermone 15. *Arbor quidem bona, & fructus quidem bonus; ſed prævaricatio mandati mala, & contemtus Dei malus: atque ita malum non in fœtu arboris eſt, ſed in voluntate hominis tranſgreſſoris*. Illud quoque Philemonis Comici in Pugione, haud diſſimile:

Καλὴ μὲν ὄψις, ἐν δὲ δειλαία φρένες.
Bonus quidem vultus, at timidus intus eſt animus.

v. 108. *dedit malum*] Male habuit, exitio fuit. Plautus Truculento 2. 1. 16. ---- *Meretricem eſſe ſimilem ſentis condecet, Quemquam hominem attigerit, profecto aut malum aut damnum dari*. Et verſus ille minax neſcio cujus veteris auctoris:

Dabunt malum Metelli Nævio poetæ.

Terentius quoque Andria 1. 1. 115.

Nam ſi illum objurges vitæ qui auxilium tulit;
Quid facias illi qui dederit damnum aut malum?

Ubi Donatus: Damnum, *rei eſt*: malum, *ipſius hominis.*

v. 109.

Digitized by Google

Et mihi præcipue, jaceo quum ſaucius annum:
  Et faveo morbo, tam juvat ipſe dolor.
Vixque cano Nemeſim, ſine qua verſus mihi nullus
  Verba poteſt, juſtos aut reperire pedes.
At tu, nam divum ſervat tutela poetas,
  Præmoneo, vati parce, puella, ſacro:
Ut Meſſalinum celebrem, quum præmia belli
  Ante ſuos currus oppida victa feret.

Ipſe

v. 109. *jaceo annum*] Ita Cicero initio libri 1. de Officiis: *Te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum*. Cœlius ad Ciceronem lib. 8. ad Famil. Epiſt. 14. *De ſumma republica ſæpe tibi ſcripſi, me annum pacem non videre*.

v. 110. *faveo morbo*] Nolim ſanus fieri: morbum ipſe meum deoſculor & amplector; *juvat* enim *dolor*, nempe delectat. Ovidius l. 2. Amor. Eleg. 5.

Ferreus eſt, nimiumque ſuo favet ille dolori,
  Cui petitur victâ palma cruenta reâ.

Lactantius lib. 7. D. I. cap. 1. *Scientes malis ſuis favent*. D. Auguſtinus Enarrat. in Pſalmum 63. num. 9. loquens de Judæis: *Nunc autem faverunt febri, repugnaverunt medico*. Petronius in Satyrico: *Favebamque vapulanti*. Afferam & Græcos. Heſiodus ἐν ἔργοις v. 57. verbis Jovis Prometheo irati:

Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες
Τέρπωνται κατὰ θυμὸν, ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.

Ipſis namque pro igni dabo malum, quo omnes
Oblectent animam, ſuum malum amplectentes.

Homerus quoque Odyſſeæ l. 4. v. 372. Καὶ τέρπεαι ἄλγεα πάσχων. *Et delectaris mala patiens*, vel *perpeſſu malorum*. Hujuſmodi animos L. Seneca Epiſt. 74. appellat *libenter ægros, & captantes cauſſas doloris*. Idem contra Conſolatione ad Marciam cap. 1. *Defeſſos exhauſtoſque oculos, ſi verum audire vis, magis jam ex conſuetudine, quam ex deſiderio fluentes continebo. ſi fieri poterit, te faveute remediis tuis; ſin minus, vel invitâ*. Et Joannes Caſa (*nel Sonetto 16.*)

Già vago non ſon' io del mio dolore.

Ceterum Broukhuſius optime animadvertit, *favere* verbum Circi ac Theatri fuiſſe, quo verbo ſignificabant populi benevolentiam in plauſus & acclamationes erumpentem. Eodem proprie pertinuit vocabulum *favor*.

v. 112. *juſtos pedes*] Qui hexametrum verſum & pentametrum expleant. *aptos numeros* dixit Ovidius lib. 4. Triſtium Elegia poſtrema:

Sponte ſua numeros carmen veniebat ad aptos:
  Et, quod tentabam dicere, verſus erat.

v. 114. *vati parce, puella, ſacro: Ut Meſſalinum celebrem*] Huc animum videtur adhibuiſſe Ludovicus Areoſtus, quum ſcripſit initio Rolandi Furentis:

Se da colei che tal quaſi m' ha fatto;
Che'l poco ingegno ad or ad or mi lima,
Me ne farà però tanto conceſſo,
Che mi baſti a finir quanto ho promeſſo.

v. 116. *Ante ſ. currus oppida victa feret*] Currum triumphalem Romani Imperatoris præcedebant ſimulacra oppidorum quæ ille ductu ſuo expugnaverat, & in ditionem redegerat. Ferculis autem imponebantur, ut ab omnibus facile ſpectari poſſent. Pulchre Ovidius l. 1. Artis Amat. v. 217.

Spectabunt læti juvenes, mixtæque puellæ:
  Diffunditque animos omnibus iſta dies.
Atque aliqua ex illis quum regum nomina quæret,
  Quæ loca, qui montes, quæve ferantur aquæ;
Omnia reſponde.

Ipſe gerens laurus, lauro devinctus agreſti
Miles io magna voce triumphe canet.
Tum Meſſala meus pia det ſpectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater.
Adnue. ſic tibi ſint intonſi, Phœbe, capilli:
Sic tua perpetuo ſit tibi caſta ſoror.

v. 117. *lauro agreſti*] Decerpebant milites triumphantem ſecuturi ramos frondentes e lauro quam in agris inveniſſent, eos manu gerebant, iiſque galeam coronabant.

v. 119. *Meſſala meus*] Subaudi *patronus*, cujus in clientela ſum, quo imperatore militavi. Sic Elegia 5. l. 1. *Huc veniet Meſſala meus*.

ibid. *pia det ſpectacula turbæ*] Ob filii triumphum exhibeat munus gladiatorium, vel amphitheatri venationem, vel certamen quadrigarum in Circo, ad favorem vulgi captandum. Plebs enim Romana hujuſmodi ſpectaculis mirifice detinebatur. Vel ipſum triumphi ſpectaculum poeta ſignificat, a patre Meſſalini adornatum. Vel, quod veriſſimum exiſtimo, pium ſpectaculum futurum erat ipſe pater, filii triumpho plaudens.

v. 121. *Adnue*] Sine te exorari, & nutu capitis exoratum te eſſe, oſtende. Hoc enim vetus illa ſuperſtitio diis ſuis tribuebat.

v. 122. *Sic tua perpetuo ſit tibi caſta ſoror*] Perpetuam virginitatem Dianæ optat; puto, quod Orion unus ex gigantibus, olim Dianæ virgini labem inferre conatus eſſet, at nullo ſucceſſu. Horatius Ode 4. l. 3.

Teſtis mearum centimanus Gyas
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus ſagitta.

ELEGIA VI.

CASTRA Macer ſequitur. tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.

Et,

ARGUMENTUM ELEGIÆ VI. LIBRI II.

Queritur de Macro militatum abeunte: ait ſe modica ſpe in amore ſuſtentari: deinde durum Nemeſis animum flectere ac mollire contendit.

VERSU I. *Caſtra Macer ſequitur*] Æmilius nempe Macer, Veronenſis, poeta illis temporibus nobilis. Eorum quæ Broukhuſius de hoc viro diligentiſſime commentatus eſt, ſummam dabo. Fuit Macer æqualis & amicus Virgilii, Ovidio natu major. Scripſit carmine Ornithogoniam, ſive opus de Avibus; Theriaca, ſive de Serpentibus; Botanica, ſeu de Herbis. Neque deſunt qui Theogoniam ejus, & Annales commemorent: ſed loca grammaticorum fortaſſe corrupta ſunt. Quinctilianus lib. 10. I. O. cap. 1. Lucretium & Macrum *in ſua quemque materia elegantes* vocat, ſed *alterum humilem, alterum difficilem*. Præterea ſcripſerat Macer Iliaca, nempe ab Homero prætermiſſa, orſus Græcorum expeditionem adverſus Trojam ab ipſo belli principio, & deducens uſque ad iram Achillis, quæ contigit obſidionis anno decimo, unde Iliadem ſuam incipit Homerus. Quod ſi in hujuſmodi παραλειπομένοις ordinem hiſtoricum, ut videtur, ſecutus fuit, contra poetarum

tarum

tarum artem inſigne flagitium commiſit: diſcrepat enim plurimum ordo narrandi poeticus ab hiſtorico. Pleraque omnia hujus poetæ ſcripta perierunt. Obiit ipſe in Aſia Anno U. C. DCCXXXVII. C. Furnio, C. Julio Silano Coſſ. quo tempore Auguſtus nepotes ſuos ex Julia filia Cajum & Lucium Agrippas adoptavit; quod teſtatur D. Hieronymus in Chronico Euſebii. Libellus de Viribus Herbarum qui hodie Macri nomen præfert, ὑποβολιμαῖος cenſeri debet, ab homine ſcilicet inepto ſuppoſitus, qui & otio & litteris intemperanter abuſus eſt. Ita cenſet Scaliger in Hypercritico, cap. 6. item alii doctrina & judicio præſtantes.

ibid. *Caſtra ſequitur*] Nomen dedit militiæ. Illud Lucani pervulgatum, & omnium ore jam tritum:

Nulla fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur.

Suſpicari quis poſſit, hæc non de vero milite accipienda, ſed potius de ſcriptore poematis Epici, quod inventum eſt ad bella præcipue celebranda. Fortaſſe quo tempore hanc Elegiam ſcripſit Tibullus, Iliaca ſua inchoaverat Macer, ſepoſitis ludicris verſibus & amatoriis. Nam etſi Aſiam perluſtravit & Siciliam, in qua peregrinatione ſocium habuit Naſonem, neceſſe non eſt eum hæc itinera ſuſcepiſſe militiæ gratia. Illuc trahere hominem potuit diſcendi cupiditas, videndi nempe ſerpentes, volucres, herbas, de quibus carmen meditabatur.

ibid. *tenero quid fiet Amori?*] Quo confugiet Amor a Macro militiæ poſthabitus, & relictus? Locutio elegans, & miſerationi apta. Cicero ad uxorem Epiſt. 1. lib. 14. ad Famil. *Et ſi nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet?* Ovidius l. 1. Artis Amat. v. 536.

Perfidus ille abiit, quid mihi fiet? ait.

Livius lib. 45. *Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ ſpoliis fiet?* Neque illa Plauti diſſimilia Amphitr. a. 2. 221. *Quid tibi æquom eſt fieri?* Moſtellaria 3. a. 88.

Alexandrum magnum, atque Agathoclem ajunt maxumas
Duo res geſſiſſe: quid mihi fiet tertio,
Qui ſolus facio facinora immortalia?

Neque abit illud Ciceronis lib. 1. Tuſcul. Quæſt. *Pompejo noſtro familiari, quum graviter ægrotaret Neapoli, melius eſt factum.*

v. 2. *Sit comes*] Comitetur Amor Macrum, & cum eo proficiſcatur ad bellum: ſit ejus armiger, ſed interea militi non parcat, urere illum pergat in caſtris, quemadmodum ſolebat domi.

ibid. *collo fortiter arma gerat*] Id erat calonis, caculæ caſtrenſis, & cujuſcumque etiam gregarii militis. Plautus Trinummo a. 4. 194.

Sed ſi alienatur, actum eſt de collo meo.

Geſtandus peregre clipeus, galea, ſarcina.

Antiquiſſimi etiam bellatores, ante lorum inventum, clipeos e collo pendentes geſtabant. Vide Herodotum in Clio. Ejus conſuetudinis Homerum teſtem produco Iliad. 3. v. 334.

Α'μφὶ δ' ἄρ' ὤμοισι βάλλετο ξίφος ἀργυρόηλον,
Χάλκεον· αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε.

Porro de humeris ſuſpendit enſem argenteis clavis diſtinctum,
Æneum: ac poſtea ſcutum magnumque, ſolidumque.

Idem lib. 2. Odyſſeæ v. 3. περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ, *acutum vero enſem circumpoſuit humero*. Verum præcipue pharetram cum telis ita collocabant. Heſiodus in Scuto Herculis v. 129. -- -- κοίλην δὲ περὶ στήθεσσι φαρέτρην Καββάλετ' ἐξόπιθεν. *cavam autem circa pectora pharetram rejecit in tergum*. Ad quem Heſiodi locum recte Gujetus animadvertit, antiquos ſolitos fuiſſe lorum ſeu faſciam ex qua pendebat pharetra, prius in collum inducere, deinde pharetram a pectore, ad quod poſita erat, in tergum rejicere. Seneca pariter Herc. Fur. v. 1115.

Et tu collo decus ac telum
Suſpenſa diu fortis arundo,
Pharetræque leves, date ſæva fero
Verbera tergo.

Propertius item l. 2. de Cupidine:

Et pharetra ex humero Gnoſia utroque jacet.

Cui concinit Virgilius in calce lib. 7. Æneid. *Lyciam ut gerat ipſa pharetram*. loquitur de Camilla, quæ armigero non utebatur. Idem lib. 11. v. 10. ubi tropæum deſcribit:

-- -- -- clipeumque ex ære ſiniſtræ
Subligat, atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Adoleſcens hunc verſum Tibulli acceperam de balteo militari, qui e collo per dex-

Et, ſeu longa virum terræ via, ſeu vaga ducent
  Æquora, cum telis ad latus ille volet.
Ure, puer, quæſo, tua qui ferus otia liquit:
  Atque iterum erronem ſub tua ſigna voca.
Quod ſi militibus parces, erit hic quoque miles,
  Ipſe levi galea qui ſibi portet aquam.

Caſtra

trum humerum ad latus oppoſitum decurrens, gladium dependentem ſuſtineret, vel pharetram cum ſagittis: attuleramque locum Virgilii ex 12. Æneid. v. 941.

— — — infelix humero quum apparuit alto
Balteus. Nos Itali dicimus, *portare il pendaglio a armacollo*.

v. 4. *cum telis ad latus ille volet*] Probo lectionem M. Antonii Mureti, elegantiſſimo judicio viri; ut nimirum *τὸ volet*, ſit a *volo, volas*; non a *volo, vis*. Cave igitur auſcultes Joſepho Scaligero, qui nodum in ſcirpo quærens, pulcherrimos verſus miſere corrupit. Omnia plana ſunt & clara, modo recte accipiantur: non enim Macrum ipſum caculam vel armigerum futurum ait poeta noſter, quod contendit Scaliger, ſed magis Cupidinem, utpote puerulum telis gerendis aptiſſimum. Similis eſt locus Valerii Flacci 1. Argonaut. v. 107.

Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat: Arcadio cujus flammata veneno
Tela puer, facileſque humeris gaudentibus arcus
Geſtat Hylas: velit ille quidem, ſed dextera nondum
Par oneri, clavæque capax.

Ait Valerius, puſionem Hylam, Herculis comitem, parem quidem fuiſſe geſtandæ pharetræ Herculeæ, quæ non admodum gravis erat; imparem vero, propter ætatem, clavæ ponderi ſuſtinendo.

v. 5. *tua qui ferus otia liquit*] Qui potuis voluptatibus, & otio quod tu Cupido amantibus facis, tam ruſtice ac nequiter valedicere.

v. 6. *erronem ſub tua ſigna voca*] *Erro* dicitur ſervus qui herili domo identidem abeſt: miles etiam qui centurionem ſuum & cohortem relinquit; cujuſmodi deſertorem dicimus. Horatius Sat. 7. l. 2. v. 112.

Non horam tecum eſſe potes, non otia recte
Ponere; teque ipſum vitas, fugitivus & erro.

Ovidius Epiſt. Sapphûs v. 53.

At vos erronem tellure remittite noſtrum,
  Niſiades matres, Niſiadeſque nurus.

Quid *erro* a *fugitivo* diſtet, docet Titus Popma de Operis Servorum, pag. mihi 163. Hunc Tibulli verſum videtur in animo habuiſſe Torquatus Taſſus, quum ita cecinit initio Gothofredi notiſſimi poematis:

Il Ciel gli diè favore, e ſotto a i ſanti
Segni ridusse i ſuoi compagni erranti.

Signorum Cupidinis mentio apud Naſonem in Remediis Amoris v. 3.

Parce tuum vatem ſceleris damnare, Cupido:
  Tradita qui toties, te duce, ſigna tuli.

Veneris autem apud Horatium Ode 1. l. 4.

Namque & nobilis, & decens,
  Et pro ſollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
  Late ſigna feret militiæ tuæ.

v. 7. *Quod ſi militibus parces*] Quod ſi, o Cupido, caſtrenſi hominum generi mitem ac placidum te præbueris, omnes qui amamus, in caſtra convolabimus, ut hoc privilegio utamur: ego præcipue, qui a te male habeor. Illud Ovidii non diſſimile lib. 1. Artis Amat. v. 131.

Romule, militibus ſciſti dare commoda ſolus.
  Hæc mihi ſi dederis commoda, miles ero.

ibid. *eris hic quoque miles*] *τὸ hic* pronuntiandum eſt δεικτικῶς: loquitur enim Tibullus de ſe ipſo. Eodem pacto ſervus Palinurus apud Plautum Curcul. 2. 1. 33. reſpondet Cappadoci lenoni:

Vah! ſolus hic homo eſt qui ſciat divinitus.
Quin conjectores a me conſilium petunt:
Quod eis reſpondi, ea omnes ſtant ſententia.

Et Epidico 1. 2. 38. ita Stratippocles adoleſcens ipſe de ſe:

— — huic

Caſtra peto: valeatque Venus, valeantque puellæ.
Et mihi ſunt vires, & mihi facta tuba eſt.
Magna loquor: ſed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clauſæ fortia verba fores.

Jura-

— — — *huic homini opus eſt quadraginta minis*
Celeriter calidis, daniſtæ quas reſolvat, & cito.

Terentius quoque Heautont. 2. 3. 115. inducit ſervum Syrum ita loquentem:
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

nempe, *mihi*. Euryalus pariter apud Maronem Æneid. 9. v. 205.
Eſt hic, eſt animus lucis contemtor: & iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

Græci hac locutione Latinis præivere. Jaſon in Euripidis Medea v. 1336.
— — — νυμφευθεῖσα δὲ
Παρ' ἀνδρὶ τῷδε, καὶ τεκοῦσά μοι τέκνα.
— — — *inde vero nupta*
Huic viro (i. e. mihi) & quum pepereris mihi liberos.

Idem poeta Alceſtide v. 1090.
Οὐκ ἔστιν ἥτις τῷδε συγκλιθήσεται.
Nulla mulier *eſt quæ cum hoc (i. e. mecum) ſit cubitura.*

v. 8. *levi galea qui ſibi portet aquam*] Nempe, *galea nulla criſta inſigni*, & iccirco leviore, ait Broukhuſius; cujuſmodi gerebantur a militibus gregariis, qui nondum ad honores militares evecti fuerant. Optime; ſi quid video. Significat enim poeta, ſe paratum militare etiam in infimis ordinibus, dummodo Amor ipſi pareat. Propertius lib. 3. Eleg. 10. hunc morem commemorat:
Potabis galea feſſus Araxis aquam.

v. 9. *Caſtra peto*] Verſus miræ rotunditatis, qualium excellens artifex Tibullus noſter.

v. 10. *Et mihi ſunt vires*] Ovidius a Tibullo, ut ſolet, Epiſt. Paridis v. 352.
Et mihi ſunt vires, & mea tela nocent.

ibid. *Et mihi facta tuba eſt*] Apta nimirum & conveniens. Ovidius lib. 1. Triſtium Eleg. 3.
Et mihi facta via eſt, & me capit ultima tellus.

Idem Epiſt. Phyllidis v. 39.
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela.

Propertius lib. 4. Eleg. 5.
Nec tibi diſpliceat miles, non factus amori.

Cornelius Tacitus lib. 14. Annal. cap. 31. *Commotis ad rebellationem Trinobantibus, & qui alii nondum ſervitio facti.*

v. 11. *Magna loquor*] Græci hoc ita efferunt: λόγους ὑπερφάνους λέγω, ἀλαζονεύομαι, μεγαληγορέω, σεμνηγορέω. Ovidius 9. Metamorph. v. 31. — — *potuit modo magna locutum Cedere.* Seneca Herc. Fur. v. 436.
Tenebræ loquentem magna tartareæ premunt.

Theocritus Idyllio 10. v. 20. μηδὲν μέγα μυθεῦ. *Ne magnifice loquaris*. T. Livius l. 21. Hiſtor. *Non vereor, ne quis me hoc veſtri adhortandi cauſſa magnifice loqui exiſtimet; ipſum aliter animo affectum eſſe.* Locutio huic affinis eſt, *magnum aliquid dicere*. Virgilius lib. 10. Æneid. v. 547. de Mezentio: *Dixerat ille aliquid magnum.* Quem locum imitatus videtur D. Auguſtinus Tractatu 27. in Evang. Joannis num. 2. *Iſti autem*, inquit, *cito defecerunt, talia loquente Domino JESU: non crediderunt aliquid magnum dicentem, & verbis illis aliquam gratiam cooperientem.* Sed eam poetæ principis locutionem fatue reprehendere non dubitavit Auctor moſteus Pſeudo-Virgilii, Operis plane inteſtabilis. *Quæ*, inquit, *ſtili humilitas!* Id opus nomen Joannis Harduini, viri [illegible], ſatis (ut certam perfamiliari meo, homini emunctæ naris perſuaſum eſt) [illegible] habet. Ejus eſſe, inquit, [illegible] *atelia*, [illegible]. Adeon' [illegible] litteris [illegible]? Quin [illegible] mihi liceat [illegible], & exiſtimare, Pſeudo-Virgilium, [illegible] Pſeudo Horatium, horum ejuſdem plane furfuris, & ineptiarum plenum, H[illegible] a nebulone quodam ſuppoſita fuiſſe, quum ipſe, quiſquis eſt, ſibi

licere

Juravi quoties rediturum ad limina numquam?
Quum bene juravi, pes tamen ipſe redit.

Acer

licere voluerit, fronte perſricta, Æneidem a Virgilio numquam fuiſſe ſcriptam, inanibus ac leviſſimis argumentis contendere? Ita quidem amicus ille meus exiſtimat; in cujus ſententiam, ſi poſſem, libenter pedibus irem; faveo enim & ego, ſi quis alius, Harduino, & nollem virum ingenio & doctrina præſtanti erroris affinem eſſe. Durum tamen eſt ſingulari huic opinioni aſſentiri; & me, quominus aſſentiar, orbis terrarum convicio impediri fateor. Notum enim eruditis omnibus, Harduinum multa in hoc genere peccaviſſe: ut propterea qui ejus nomine Pſeudo-Virgilium editum videat, jure ac merito id opus ei tribuat, tamquam vero auctori. Fingamus tamen, ſi libet, Harduini non eſſe: ac tanto nomini parcentes, de opere ipſo dicamus. Hujuſmodi ἐκτρώματα, quæ perpetuis Orci tenebris occultari ac premi oporteret, malas nihilominus obſtetrices nacta in conſpectum & lucem prodeunt: ſatis autem oſtendunt, ſeneſcere hoc tempore ac delirare litteraturam, jamque imminere barbariem alteram, prima illa multo deteriorem. Auctor ille, quiſquis eſt, cenſet, Georgica fœtum Virgilii Maronis eſſe legitimum, Æneidem ſuppoſititium: interea non pauca reprehendit in Æneide, ut minus Latina (o præclarum judicem Latinitatis!) quæ totidem verbis in Georgicis etiam leguntur, atque ita ſe imprudens gladio ſuo confodit. Sane, ut eſt ἐν παροιμίᾳ, mendacem oportet eſſe memorem. Ex his nonnulla collegi in adverſariis meis quotidianis: unum hic afferam, ut ſpecimen ceterorum. Ita ſugillat verſum 480. libri 5. Æneidos:

Fertur equis, curruque hæret reſupinus inani.

Fertur equis, *pro ab equis abripitur, ut metro ſerviat, dictum inepte a vate properante.* Sed potius ineptiſſime reprehenſum ab imperito cenſore atque obliviofo. Nam & in calce libri 1. Georgicon, quod opus idem tantopere laudat, eodem prorſus pacto de re ſimillima ſcripſit Virgilius:

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Quæ profecto elegantiſſima locutio eſt, ac mire efficax. Verum non tanti eſt liber ille, ut in eo refutando bonas horas perdamus. Ad Tibullum igitur. Linguam quæ *ſuperba loqueretur*, ut ait alicubi Propertius, *magnam* vocavit Horatius, & *Apollinem magnæ Vindicem linguæ*, Ode 6. l. 4. Ad quem locum ita commentatur doctiſſimus Dacerius: *Scaliger n' a point entendu ce* magna lingua. *Les Grecs ont dit* grand *pour* ſot, orgueilleux, temeraire, *&* une grande langue, *pour* une langue qui ne prononce que des paroles de vanité. *Sophocle dans l' Antigone:*

Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους ὑπερεχθαίρει.

Jupiter hait l' orgueil d' une langue ſuperbe.

Il y a dans le Grec, d' une grande langue, *& les Grecs avoient pris cela des Hebreux, qui diſoient* parler grandement, *&* dire des grandeurs, *pour* être orguilleux & vain dans ſes diſcours.

v. 52. *Excutiunt c. fortia verba f.*] Efficiunt per vim, ut abjiciam verborum magnificentiam. Seneca Troad. v. 575.

Magnifica verba mors prope admota excutit.

Ita Cicero dixit, *excutere voces*, *verborum jactationem*, *maledictum*, & alia id genus.

v. 53. *Juravi rediturum*] Subaudi *me*. Catullus Carm. 4.

Ait fuiſſe navium celerrimus.

Pro, *ſe fuiſſe navium celerrimum*.

v. 54. *Quum bene juravi*] Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Quum bene vir traxit vultum, rugaſque coegit,
Quod voluit fieri blanda puella, facit.

Et alibi non ſemel. Propertius Eleg. 1. l. 4. dixit, *bene quum:*

Et bene quum fixum mento decuſſeris uncum,
Nil erit hoc.. roſtro te premet anſa ſuo.

ibid. *pes tamen ipſe redit*] Hanc locutionem, & ſimiles παροιμιακὰς frequenter uſurpant boni ſcriptores. Virgilius Ecloga 9. v. 1. *Quo te, Mæri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?* Subaudi *ferunt*, *ducunt*. Horatius

Acer Amor, fractas utinam tua tela ſagittas
Ilicet, exſtinctas aſpiciamque faces.
Tu miſerum torques, tu me mihi dira precari
Cogis, & inſana mente nefanda loqui.
Jam mala finiſſem leto: ſed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit agricolas, Spes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.

Spes

ratius Epodo 11. *Ferebar incerto pede Ad non amicos, heu, mihi poſtes, &, heu, Limina dura.* Idem Ode 11. lib. 3. *I, pedes quo te rapiunt.* Varro Præfat. lib. 2. R. R. *Te emturientem in campos macros ad mercatum ſæpius adducunt pedes.* Plinius Epiſt. 5. lib. 7. ad uxorem: *Quibus horis te viſere ſolebam, ad diætam tuam ipſi me, ut veriſſime dicitur, pedes ducunt.* Neque abſtinuerunt Græci. Theocritus apud Stobæum Serm. 61. *Ὁ δ' ᾇ πόδες ἄγοι ἐχώρει μαινόμενος.* *Ille autem, quo pedes ferebant procedens, inſaniebat.* Eſt etiam phraſis Homerica, & aliorum veterum.

v. 15. *Acer Amor*] Sæve, crudelis. Ita Virgilius 3. Æneid. v. 13.

Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis,
(Thraces arant) acri quondam regnata Lycurgo.

v. 18. *inſanâ mente nefanda loqui*] Accidit enim haud ſemel, ut quæ peccata & flagitia ſani homines magno ſtudio celaverant, ea poſtea inſani effecti nullo pudore patefaciant. Lucretius l. 5. v. 1157.

Quippe ubi ſe multi per ſomnia ſæpe loquentes,
Aut morbo delirantes protraxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dediſſe.

Nefanda proprie ſunt, de quibus fari ſeu loqui non debemus.

v. 20. *melius cras fore ſemper ait*] Ita Cicero Epiſt. 28. lib. 7. ad Familiar. *Doleo, ita rem communem eſſe dilapſam, ut ne ſpes quidem melius aliquando fore relinquatur.*

v. 21. *Spes alit agricolas*] Pulchre Salvianus Maſſilienſis lib. 2. adverſus Avaritiam, cap. 12. *Omnia .... in rebus humanis ſpes futurorum agunt. Vita quoque ipſa hæc temporaria nonniſi ſpe alitur ac ſuſtinetur. Ideo enim terris frumenta credimus, ut cum uſuris credita recipiamus. Ideo in vineis labor maximus ponitur, quia homines ſpes vindemiæ conſolatur.* Lege reliqua, ſi lubet. Æmulatus eſt, ut videtur, ſcriptor graviſſimus hæc Tibulli carmina: audis enim non ſolum ſententiam, ſed & verba ipſa. Scite Philemon Comicus apud Stobæum Florilegii tit. 57.

Ἀεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος.
Semper agricola in ſequentem annum dives eſt.

v. 22. *quæ magno fœnore reddat ager*] Ovidius Remed. Amoris v. 173.

Obrue verſatâ Cerealia ſemina terrâ,
Quæ tibi cum magno fœnore reddat ager.

v. 23. *Hæc l. volucres, hæc captat a. piſces*] Hujuſmodi ſpes quum ad aucupem, & piſcatorem referri poteſt, tum ad aves ipſas, & piſces. Profecto *neceſſe eſt*, ut ait Plautus, *facere ſumtum, qui quærit lucrum.* Auceps retia, laqueos, viſcum, eſcam, illicem parat: præda incerta eſt. Eadem ratio piſcatoris. Idem Plautus Rudente 2. 2. 6.

-- -- -- quid agitis? ut peritis?
PISC. *Ut piſcatorem æquom eſt; fame, ſiti, ſpeque.*

Quod ſpectat ad aves, & piſces, & alia etiam animalia, egregia eſt Iſocratis ſententia in Oratione de Pace: Ὁρῶ μὲν γὰρ

τὰς

Digitized by Google

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum:
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.
Spes facilem Nemeſin ſpondet mihi: ſed negat illa.
Hei mihi, ne vincas, dura puella, deam.
Parce per immatura tuæ precor oſſa ſororis.
Sic bene ſub tenera parva quieſcat humo.
Illa mihi ſancta eſt: illius dona ſepulcro,
Et madefacta meis ſerta feram lacrimis.

Illius

τοὺς μὲν τὴν ἀδικίαν προτιμῶντας, καὶ τὸ λαβεῖν τι τῶν ἀλλοτρίων, μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι νομίζοντας, ὅμοια πάσχοντας τοῖς δελεαζομένοις τῶν ζώων, καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀπολαύοντας ὧν ἂν λάβωσιν, ὀλίγῳ δ' ὕστερον ἐν τοῖς μεγίστοις κακοῖς ὄντας· τοὺς δὲ μετ' εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ζῶντας, ἔν τε τοῖς πᾶσι χρόνοις ἀσφαλῶς διάγοντας, καὶ περὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχοντας. h. e. *Nam qui injuſtitiam pluris faciunt, & ſummum bonum in eo ponunt ut alienis opibus potiantur, eos ſimiles eſſe video feris quæ ineſcantur: ac initio quidem his quæ prehenderint, cum voluptate frui, ſed paullo poſt in maximis eſſe malis. Eos autem qui pietatem & juſtitiam colunt, & perpetuo in tuto eſſe, & de reliquo ævi ſpatio univerſo ſpem habere meliorem.* Breviter Seneca Epiſt. 8. *Et fera, & piſcis ſpe aliqua oblectante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis? inſidiæ ſunt.*

v. 24. *Quum tenues hamos abdidit ante cibus*] Ovidius in Remed. Amoris v. 209.

Vel, quæ piſcis edax avido male devoret ore,
Abdere ſupremis æra recurva cibis.

v. 25. *compede vinctum*] Ultimæ ac maxime abjectæ conditionis mancipium, ruri opus faciens in ergaſtulo, cum craſſis compedibus, ne facile fugeret. Lucanus lib. 7. v. 402. -- -- *vincto foſſore coluntur Heſperiæ ſegetes.*

v. 26. *Crura ſonant ferro*] Tractæ catenæ ſonitum edunt inter ambulandum. M. Seneca Rhetor Controverſia 9. *Non me delectant ignotis domino ſervorum greges, nec ſonantia laxi ruris ergaſtula.* Martialis lib. 9. Epigr. 23.

Ut Setina meos conſumat glæba ligones,
Et ſonet innumera compede Tuſcus ager.

ibid. *ſed canit inter opus*] Id teſtatur etiam Ovidius lib. 4. Triſtium Eleg. 1.

Hoc eſt, ut cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero quum grave mollit opus.

Idem poeta lib. 8. Metamorph. v. 210. de Dædalo:

Inter opus monitusque, genæ maduere ſeniles.

Et lib. 2. Amor. Eleg. 10.

-- -- -- *medium ſolvar & inter opus.*

v. 27. *Spes facilem Nemeſin ſpondet mihi; ſed negat illa*] Pari ſchemate orationis Naſo ſæpe memoratus, lib. 4. Ponticorum Elegia 6.

Quam legis, ex illis tibi venit epiſtola, Brute,
Naſonem nolles in quibus eſſe locis.
Sed, tu quod nolles, voluit miſerabile fatum.
Hei mihi, plus illud, quam tua vota, valet.

v. 28. *H. m. ne vincas, dura puella, deam*] Leporis & venuſtatis plena obſecratio.

v. 29. *immatura t. p. oſſa ſororis*] Significat, ſororem Nemeſis adoleſcentulam obiiſſe. Nam, ut ſcribit Iſidorus lib. 11. Etymolog. cap. 2. *Tria ſunt genera mortis, acerba, immatura, naturalis: acerba, infantium; immatura, juvenum; matura, id eſt naturalis, ſenum.* Quocirca poeta noſter l. 3. Eleg. 5. quum periculoſo & letali morbo in juventute correptus eſſet, aptiſſimam adhibet ſimilitudinem:

Quid fraudare juvat vitem creſcentibus uvis?
Et modo nata malá vellere poma manu?

Ego quoque, Tibullum imitatus, in Elegia quadam, ad Parcas:

Creſcentem noſte, deæ, præcidere neſſem:
Tempus erit, veſtras quam vocet illa manus.

v. 31. *Illa mihi ſancta eſt*] Manes piorum

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

Non

rum proprie vocabantur *ſancti*. Cicero in Topicis: *Atque etiam rurſus æquitas tripartita dicitur eſſe: una ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia juſtitia aut æquitas nominatur.*

ibid. *dona ſepulcro*] Inferias nimirum, quæ conſtabant capillis reciſis, vino, adipe, ſanguine, oleo, melle, liquoribus aliis. Catullus Carm. 99.

Multas per gentes, & multa per æquora vectus
Advenio has miſeras, frater, ad inferias:
Ut te ſupremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.

v. 33. *Illius ad tumulum fugiam*] Tamquam ad aſylum & refugium tutiſſimum. Id facere olim ſolebant ſervi, a crudelibus dominis male habiti. Fugiebant vero ad ſepulcra, ad fana, & aras deorum. Pollux lib. 1. Onomaſtici, cap. 1. Εἰ δὲ καὶ ἄσυλόν τι εἴη, τοῦτο καὶ καταφύγιον λέγε καὶ φύξιμον· καὶ ἱεροὺς ὅρους, ἐφ' ὅσον τοῖς ἱκέταις ἀσφάλεια. *Sed ſi aliquod aſylum fueris, latebram vocabis, & refugium. Sacros terminos, in quibus ſupplicibus ſecuritas præbetur.* Seneca Conſolatione ad Marciam, cap. 25. *Non eſt quod ad ſepulcrum filii tui curras.*

ibid. *ſupplexque ſedebo*] Graviter dolentes, veteri conſuetudine fere ſedebant. Id teſtatur Homerus lib. 16. Odyſſeæ v. 144.

— — — ἀλλὰ στοναχῇ τε γόῳ τε
Ἧσαι ὀδυρόμενος, φθινύθει δ' ἀμφ' ὀστεόφι χρώς.
— — — *Sed ſuſpirioque luctuque*
Sedet lamentans, tabetque circum oſſa cutis.

Et lib. 19. v. 118.

— — — οὐδέ τι με χρὴ
Οἴκῳ ἐν ἀλλοτρίῳ γοόωντά τε μυρόμενόν τε
Ἧσαι.
— — — *Et nihil me oportet*
Domo in aliena lugentemque flentemque
Sedere.

Herodotus pariter in Clio: Κροῖσος δὲ ἐπὶ δύο ἔτεα ἐν πένθεϊ μεγάλῳ κατῆστο, τοῦ παιδὸς ἐστερημένος. *Porro Croeſus, filio orbatus, ingenti in luctu duos annos deſedit.* Idem in Euterpe: Ἱκέται δ' ἱζόμενοι τοῦ θεοῦ. *Sedenteſque numinis ſupplices.* Longus etiam l. 3. πει-μενικῶν: καθίσας ἔκλαυσεν. *ſedens ploravit.* Addam Latinos. Plautus Rudente 2. 3. 55.
— — *I ſane Veneris fanum huc intro, Sedentem flentemque opprimes.* T. Livius l. 1. prope finem: *Lucretiam ſedentem mæſtam in cubiculo inveniunt. adventu ſuorum lacrimæ obortæ.* Cicero Act. 6. in Verrem, verbis Pamphili Lilybetani: *Quum ſederem, inquit, domi triſtis.* Virgilius lib. 9. Æneid. v. 4. de Turno avi manibus parentante: *ſacrata valle ſedebat.* Et lib. 11. v. 349. *totamque videmus Conſediſſe urbem luctu.* Quin etiam aviculis plorantibus ſeſſionem tribuit divinus poeta, ut l. 4. Georg. v. 514. philomelæ:

Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mæſtis late loca queſtibus implet.

Et buboni, funeſtæ volucri, l. 12. Æneid. v. 863.

Quæ quondam in buſtis, aut culminibus deſertis
Nocte ſedens ſerum canit importuna per umbras.

Ovidius Epiſt. Ariadnæ v. 49.

Aut mare proſpiciens, in ſaxo frigida ſedi:
Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.

Petronius in Satyrico; *Sedenſque ſuper torum meum, diu flevit.* Meminit hujus conſuetudinis & vir ſanctiſſimus Joannes Climacus, Scalæ Paradiſi Gradu 1. Μιμείσθω, inquit, ὁ τὸ ἑαυτοῦ φορτίον τῶν ἁμαρτημάτων σκορπίσαι τοῦ κόσμου ἐξεληλυθὼς, τοὺς πρὸ τῶν τάφων καθημένους ἔξω τῆς πόλεως· καὶ μὴ παυέσθω τῶν θερμῶν καὶ διαπύρων σταγόνων, καὶ ἀφώνων ὀλολυγμῶν τῆς καρδίας. h. e. interprete Matthæo Radero: *Quiſquis turbas ſæculi egreſſus eſt, onus peccatorum ſuorum poſiturus, imitetur illos qui, lamentantes, extra urbem ad mortuorum tumulos reſident, nec ..... calentium ferventiumque lacrimarum imbrem ſiſtat, nec a tacitis lamentis, ſive ejulatibus ceſſet.* Quæ verba hunc poetæ noſtri locum mirifice illuſtrant. Neſcias vero, utrum ſoli ethnici, an etiam qui Chriſto nomen dederant, id moris haberent. Divinarum quo-

Non feret uſque ſuum te propter flere clientem.
Illius ut verbis, ſis mihi lenta, veto.
Ne tibi neglecti mittant mala ſomnia manes,
Mœſtaque ſopitæ ſtet ſoror ante torum.
Qualis ab excelſa præceps delapſa feneſtra
Venit ad infernos ſanguinolenta lacus.

Deſino,

que litterarum teſtimonium afferre placet. Legimus Geneſeos cap. 23. ubi de morte Saræ: *Venitque Abraham ut plangeret & fleret eam. Quumque ſurrexiſſet ab officio funeris* &c. Sederat enim prius. Iccirco David Pſalmo 126. *Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*. Ezechiel præterea, cap. 8. *Et ecce mulieres ſedebant plangentes Adonidem*. Item Jonas cap. 3. *Et pervenit verbum ad regem Ninive, & ſurrexit a ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere*. In ſacris codicibus occurrunt ſexcenta ſimilia.

v. 35. *ſuum clientem*] Me videlicet, qui ad ejus patrocinium ſupplex confugi.

v. 36. *Illius ut verbis, ſis mihi lenta, veto*] Syntaxis ita ordinanda: *Veto verbis illius, ut ſis mihi lenta*, hoc eſt, juſſu tuæ ſororculæ, in cœtum piorum receptæ. Vel ita: *Veto, ſis mihi lenta, ut verbis illius*. *Ut*, pro *tamquam*. Cicero Epiſt. 6. lib. 9. ad Famil. *Caninius noſter me tuis verbis admonuit, ut ſcriberem ad te*. Ovidius Epiſt. Paridis v. 71.

Neve recuſarem, verbis Jovis imperat.

Lenta, hic eſt negligens amatoris, cui amator cordi non eſt. Propertius l. 2. El. 14.

Nec mihi jam faſtus opponere quæris iniquos,
Nec mihi ploranti lenta ſedere poteſt.

v. 37. *mittant mala ſomnia manes*] Eodem pacto Sophocles Electra v. 462.

Οἶμαι μὲν οὖν, οἶμαί τι κἀκείνῳ μέλον,
Πέμψαι τάδ' αὐτῇ δυσπρόσοπτ' ὀνείρατα.
Arbitror enim ipſum curâ iſtarum rerum
Miſiſſe matri hæc triſtia ſomnia.

Mortuum ſcilicet Agamemnonem Clytæmneſtræ uxori, quæ ipſum occiderat. Ita locutus & Perſius Sat. 2. v. 57.

Somnia pituitâ qui purgatiſſima mittunt.

Nova ſomnia, legit Broukhuſius, & explicat *inuſitata*. Sed vulgata lectio non eſt ſollicitanda.

v. 38. *Mœſtaq. ſopitæ ſtet ſoror ante torum*] Virgilius Æneid. 2. v. 270.

In ſomnis, ecce, ante oculos mæſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largoſque effundere fletus.

Vide Propertii Elegiam 7. libri 4.

v. 39. *ab excelſa præceps delapſa feneſtra*] Suſpicor, Nemeſin Tibulli amicam, humilis fortunæ mulierem fuiſſe, libertinam fortaſſe, quod cum ſorore in cœnaculo habitaret. Pauperes enim Romæ habitabant in cœnaculis, quæ ſupremam ædium altiſſimarum partem occupabant, ſub ipſis tegulis. Horatius Epiſtola 1. libri 1. v. 91.

Quid pauper? viden' ut mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonſores!

Juvenalis quoque Sat. 3. v. 198. ubi de frequentibus Romæ incendiis:

----- jam poſcit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon: tabulata tibi jam tertia fumant.
Tu neſcis. nam ſi gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit quem tegula ſola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.

Et verſu 268.

Reſpice nunc alia, & diverſa pericula noctis;
Quod ſpatium tectis ſublimibus:

Infinita vero civium frequentia, ut ſcribit Vitruvius lib. 2. Architecturæ, c. 8. cauſſa fuit ut ad auxilium altitudinis ædium deveniretur, quum area plana tantam inquilinorum multitudinem recipere non poſſet. Vitruvio concinit M. Tullius Oratione Agraria 2. *Romam in montibus poſitam & convallibus, cœnaculis ſublatam atque ſuſpenſam, non optimis viis, anguſtiſſimis ſemitis, præ ſua Capua, planiſſimo in loco explicata, & præ illis ſemitis irridebunt atque contemnent*. Nec

non

Deſino, ne dominæ luctus renoventur acerbi.
Non ego ſum tanti; ploret ut illa ſemel.
Nec lacrimis oculos digna eſt fœdare loquaces.
Lena nocet nobis, ipſa puella bona eſt.
Lena necat miſerum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans, itque, reditque ſinu.
Sæpe, ego quum dominæ dulces a limine duro
Agnoſco voces, hæc negat eſſe domi.
Sæpe, ubi nox promiſſa mihi eſt, languere puellam
Nuntiat, aut aliquas extimuiſſe minas.
Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
Quiſve meam teneat, quot teneatve modis.

Tunc

non M. Senecæ Controv. 9. *Tanta altitudo ædificiorum eſt, tantæque viarum anguſtiæ, ut neque adverſus ignem præſidium, neque ex ruinis ullum ullam in partem effugium ſit.* Quamobrem *feneſtras* domuum *caligantes* appellavit Aquinas poeta Sat. 6. v. 31.

Quum pateant altæ, caliganteſque feneſtræ.

oculis enim deſpicientium tenebræ offundebantur propter nimiam altitudinem. Nemeſeos igitur ſororcula e feneſtra quadam excelſa conducti cœnaculi, ubi commorabatur, in ſubjectam aream, ſeu viam, ceciderat præceps, & corpuſculum obtriverat.

v. 41. *Deſino*] Ovidius Epiſt. Leandri v. 203. *Deſino. parce queri.*

v. 43. *oculos loquaces*] Ita Meleager, vetus poeta, in Epigrammate quodam inedito apud Spanhemium pag. 697. Commentarii in Callimachum:

Ναὶ γὰρ δὴ τὰ σὰ, κῦρε, τὰ ϗ κωφοῖσι λαλεῦντα
Ὄμματα, ϗ μὰ τὸ σὸν φαιδρὸν ἐπισκύνιον.

Per tuos enim, o adoleſcens, illos qui vel mutis loquuntur
Oculos, & per tuum lætum ſupercilium. &c.

Vide Anthologiæ lib. 7. Epigr. 10.

v. 44. *Lena nocet nobis, ipſa puella bona eſt*] Contra, de matre Deliæ, prioris amicæ, dixerat libro 1. Eleg. 6.

Non ego te propter parco tibi. ſed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.

Conqueſtio ſimilis Argyrippi adoleſcentis apud Plautum Aſin. 1. 2. 20.

Nam iſti quod ſuccenſeam ipſi (puellæ nimirum amatæ) *nihil eſt: nihil quidquam meret.*
Tuo facit juſſu, tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es.

v. 45. *tabellas Occulto portans i. r. ſinu*] Nempe litteras amatorias a Tibulli rivalibus miſſas ad Nemeſin, & præterea quas ipſa ſcribentibus reſcriberet. *Sinum* hic veſtis intellige, ubi aniculæ iſtæ peſſimæ tabellas abſcondebant.

v. 47. *quum dominæ d. a l. d. Agnoſco voces*] Reſpexit fortaſſe Noſter ad illud quod de Ennio & Naſica narrat L. Cæſar apud Ciceronem lib. 2 de Oratore.

v. 49. *languere*] Subito aliquo morbo correptam eſſe.

v. 51. *morior curis*] Ob curas. Ita Cicero Act. 6. in Verrem: *Moriere virgis, niſi ſignum traditur.* Horatius Ep. 17. l. 1. v. 31. *Morietur frigore, ſi non Retuleris pannum.*

ibid. *mens perdita*] Nimirum capta, mora. Propertius lib. 1. Eleg. 3. *nondum ſenſus deperditus omnes.*

v. 52. *quot teneatve modis*] Nequitiæ plena conſideratio. *Modi*, σχήματα συνουσίας. Lucretius lib. 4. v. 1257.

Et quibus ipſa modis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert.

Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 787. *Mille modi Veneris.* Idem lib. 2. Amor. Eleg. 8. flexu Tibulliano:

Dd 2 *Quo-*

Tunc tibi, lena, precor diras. ſatis anxia vivas.
Moverit e votis pars quotacumque deos.

Quoque loco tecum fuerim, quotieſque, Cypaſſi,
Narrabo dominæ, quotque, quibuſque modis.
Et lib. 3. Elegia 7.
At quæ non tacitâ formavi gaudia mente?
Quos ego non finxi, diſpoſuique modos?
Et lib. 2. Artis Amat. v. 679.
Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.
Inveniat plures nulla tabella modos.
Caſtius autem lib. 4. Ponticorum Epiſt. 7.
Dicere difficile eſt, quid Mars tuus egerit illic,
Quotque neci dederis, quoſque, quibuſque modis.
Juvenalis denique Sat. 6. v. 405.
-- -- -- quibus verbis concumbat quæque, modis quot.

v. 53. *precor diras*] Ita Cornelius Tacitus lib. 6. Annal. cap. 24. *Mox ubi exſpes vitæ fuit* (Druſus Germanici filius) *meditatas compoſitaſque diras imprecabatur*. Dicebant etiam *diris agere*. Horatius Epodo 5. ex ore pueri veneficio pereuntis:
Diris agam vos. dira deteſtatio
Nullâ expiatur victimâ.

ibid. *ſatis anxia vivas*] Hoc loco adverbium *ſatis*, augendi atque intendendi vim habere, Fruterius & Broukhuſius recte monuerunt, & veterum teſtimoniis allatis abunde oſtenderunt.

v. 54. *Moverit e votis pars quotacumque deos*] Ovidius Epiſt. Laodamiæ v. 60.
Et ſequitur regni pars quotacumque ſui.
Quod pertinet ad ſententiam, ſimile eſt illud Virgilianum Ecloga 3. v. 73.
Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.

AL-

ALBII TIBULLI
LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

MARTIS Romani feſtæ venere Kalendæ.
Exoriens noſtris hic fuit annus avis.

Et

ARGUMENTUM ELEGIÆ I.
LIBRI III.

Feſtis Matronalibus Muſas rogat, ut ad Neæram, puellam ſperatam, perferant volumen carminum ſuorum.

VERSU I. *Martis Romani*] Hunc Tibulli verſum reprehendit Julius Cæſar Scaliger in Hypercritico, ſeu libro 6. Poetices, cap. 7. *Satis plebejum eſt*, inquit, *tertii* libri *principium*:

Martis Romani feſtæ venere Calendæ.

Tot ſpondæi, tantus ejuſdem pæne vocalis ſonus. Saltem ita diſponeret,

Romani feſtæ Martis.

Ita mutari poſſe monet cenſor confidentiſſimus, & Latinitatis dictator vitio creatus: nempe, ut fiat χρύσεα χαλκείων. Eodem pacto dixerunt veteres *Martem Romanum* ac *Jovem Romanum*. T. Livius lib. 8. *Proditur memoriæ, adverſus crebram implorationem deûm, quos teſtes fœderum ſæpius invocabant conſules, vocem Annii ſpernentis numina Jovis Romani auditam*. Utitur igitur poeta noſter ſolenni & conſecrata verborum collocatione. Martis quoque concubinam *Iliam*, *Romanam* appellaverunt. Horatius Ode 9. lib. 3. *Romana vigui clarior Ilia*. At hic præpoſuit epithetum: neque mirum. Lyrici enim eſt diſcedere ab uſitato verborum ordine: Elegiaci, quem ſimplicitas decet, ſervare ac retinere.

ibid. *feſtæ venere Kalendæ*] Pomponius, vetus Atellanarum poeta, fabulam quamdam ſuam inſcripſit Kal. Martias, teſte Macrobio lib. 6. Saturn cap. 4. qui ex illa fabula hæc recitat: *Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Jube modo afferatur munus; ego vocem reddam tenuem & tinnulam*. & infra: *Etiam nunc vocem deducam*. Martias Kalendas vocat Martialis Epigr. 84. lib. 5. *matronarum Saturnalia*: quemadmodum enim Decembri menſe, quo Saturnalia celebrari mos erat, matronæ viris mittebant munera, ita Kal. Martiis viri matronas remunerabantur. Juvenalis *femineas* appellat Sat. 9. v. 52. cinædum quemdam allocutus:

– – – ſtrata poſitus, longaque cathédra
Munera femineis tractas ſecreta Kalendis.

Paullo ante, *viridem umbellam*, & *ſuccina grandia*, nimirum pocula e ſuccino, commemorat, quæ illo die matronis loco munuſculi mitterentur.

v. 2. *Exoriens n. hic fuit annus avis*] Principio Romulus annum conſtituit menſium decem, quorum primum de parentis nomine *Martium* nuncupavit. Inde factum, ut poſt Junium ceteri menſes deinceps a numero vocarentur; nempe Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. Quod ſi Januarium reliquis omnibus præponas, nova conſuetudine id poſtulante, ratio numerorum haud amplius conſtabit. Quintilis enim ordine ſeptimus fiet, Sextilis octavus, &c. Servius Grammaticus ad lib. 1. Georgic. v. 43. *Novum Ver ideo ait, quia anni initium menſis eſt Martius*.

Affert

Google

Et vaga nunc certa diſcurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, ſeu fallor, cara Neæra tamen.
Carmine formoſæ, pretio capiuntur avaræ.
Gaudeat, ut digna eſt, verſibus illa meis.
Lutea ſed niveum involvat membrana libellum,
Pumex & canas tondeat ante comas:

Sum-

Aſſert poſtea Varronis verba in Epiſtolicis Quæſtionibus: *Inter menſem Februarium, qui tunc eſſet extremus, & inter Kalendas Martias, quæ tunc erant primæ.* *Atta*: *Annum novum voluerunt eſſe primum menſem Martium.* *& alibi: Majores Martium primum habuerunt.* Vide plura de hoc veteri more apud Ovidium lib. 3. Faſtorum. Sed & aliunde annum incœperant. Memoratu digna ſunt verba Livii lib. 3. Hiſt. *Creati conſules L. Æbutius, P. Servilius, Kal. Sextilibus, ut tunc principium anni agebatur, conſulatum ineunt.*

v. 3. *Et vaga n. certâ diſcurrunt u. pompâ*] Notavit hoc Tertullianus in libro de Idololatria: *Saturnalia, & Calendæ Januariæ, & brumæ, & matronales frequentantur, munera commeant, ſtrenæ commeant, luſus, convivia conſtrepunt.* Porro quod Tibullus, *certâ pompâ*, Itali dicimus, *in proceſſione*.

v. 6. *Seu mea, ſeu fallor, cara Neæra tamen*] Par ſententia, & flexus Elegia 6. hujus libri v. 56.

Perfida, ſed quamvis perfida, cara tamen.

De nomine *Neæræ* quædam aſſert Broukhuſius non tralatitia. Derivatum videtur a νέος, & αἴρω, quaſi νέον αἴρουσα, *juvenem capiens & auferens*.

v. 7. *C. formoſæ, p. c. avaræ*] Formoſas opponit avaris, quaſi neque in formoſas avaritia, neque rurſum in avaras forma cadere poſſit. quod non ſemper verum eſt.

v. 8. *Gaudeat, ut d. e. verſibus i. meis*] Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 165.

Pauperibus vates ego ſum, quia pauper amavi.
Quum dare non poſſem munera, verba dabam.

Ubi διλογίαν animadverte. *Verba dabam*, carmina mittebam, & amatorias epiſtolas: vel etiam decipiebam; nam id quoque ſignificat *verba dare*.

v. 9. *Lutea ſ. niveum involvat membrana libellum*] Veteres interiore tantum libri parte ſcribebant, quæ candida erat, ut litteræ ſucco loliginis ductæ magis apparerent. Tota enim libraria ſupellex, ut docet Iſaacus Voſſius ad Carmen 22. Catulli, & integræ veterum bibliothecæ e ſolis plerumque conſtiterunt voluminibus convolutis, in modum columellæ, ſeu cylindri: quæ propterea volumina forulis recondebantur. Juvenalis Sat. 3. v. 219.

Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam.

Non erant igitur apud antiquiores Græcos & Romanos libri ὀπισθόγραφοι, ſcilicet in averſa etiam chartæ facie conſcripti. Quamobrem indignatur Aquinas poeta Sat. 1. Oreſtem cujuſdam tragici poetæ, marginibus contineri non poſſe, atque in tergum chartæ damnoſa loquacitate redundare. Capiti vero ſcripturæ, hoc eſt ſummæ voluminis oræ in averſa charta, membranæ fruſtum adglutinari ſolebat, quod convoluto libro, ejus quaſi operculum ac tegumentum eſſet. Duas ob cauſſas id faciebant: & ut chartæ fragilitatem tuerentur, & ornatus quoque gratia: membrana enim illa croco, vel minio, vel purpura tingebatur, exterius tamen. Ea intus inſcriptionem voluminis, extra vero indicem ſeu titulum aureis litteris continebat. Hæc oſtendunt abunde, quid ſibi velit Tibullus hoc verſiculo: item Ovidius lib. 1. Triſtium Eleg. 1. ad volumen ſuum:

Nec

Digitized by Google

Summaque prætexat tenuis faſtigia chartæ,
  Indicet ut nomen littera facta meum.
Atque inter geminas pingantur cornua frontes.
  Sic etenim comtum mittere oportet opus.
Per vos auctores hujus mihi carminis oro,
  Caſtaliamque umbram, Pierioſque lacus;
Ite domum, cultumque illi donate libellum,
  Sicut erit: nullus defluat inde color.

Illa

Nec te purpureo velent vaccinia fuco.

v. 10. *Pumex & canas tondeat a. comas*] Abradat pilos exſtantes, læviget membranam. Catullus Carm. 22. *pumice omnia æquata*. Perſius vero Sat. 3. v. 10.

-- -- -- bicolor poſitis membrana capillis.

Nam & pilos animalium *capillos* nonnumquam dicebant. Idem poeta Veronenſis Carm. 25. *mollior cuniculi capillo*. Et Accius in Atreo (ut ſuſpicatur Hieronymus Columoa) apud Ciceroοem lib. 3. de Nat. Deor.

Addo huc, quod mihi portento cæleſtum pater
Prodigium miſit regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma.

aureo ſcilicet vellere, aurea lana.

v. 12. *littera facta*] *Facere litteras*, αντὶ τῦ *ſcribere*, dixerunt Plautus, M. Tullius, & Ovidius. Eorum teſtimonia protulit diligentiſſimus Broukhuſius. Alii malunt, *littera pacta*, nempe iofixa; a *pango*. Sic Virgilius in Epigrammate ad Venerem:

Non ego ture modo, aut pictâ tua templa tabellâ
Ornabo.

Neque aliter accipiendum reor illud Propertii lib. 3. Eleg. 20.

Ergo qui pactas in fœdera ruperit aras.

v. 13. *inter geminas pingantur cornua frontes*] Umbiliei videlicet, ſeu bacilli, circa quem liber coovolvebatur, cornua eburnea. Hæc exſtabant, inter doas oras voluminis, ſuperiorem atque inferiorem, quæ *frontes* dicebantur. Ebur vero ipſum pingebant veteres. Teſtis Maro lib. 12. Æneid. v. 67.

Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur.

Item Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Aut quod, ne longis flaveſcere poſſit ab annis,
Mæonis Aſſyrium femina tinxit ebur.

Sumſit Ovidius ab Homero lib. 4. Iliados v. 141. Et Claudianus lib. 1. de Raptu Proſerpinæ v. 273.

-- -- -- non ſic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod femina tinxerit oſtro.

v. 15. *auctores hujus mihi carminis*] *Muſæ auctores*, quemadmodum *aves auctores*. Propertius lib. 4. Eleg. 3.

Lucis & auctores non dare carmen aves.

v. 16. *Caſtaliamque umbram*] In ripis enim fontis Caſtalii multæ lauri & iogentes. Poeta Umber l. 3. Eleg. 3.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi.

Deinde *umbra* ſæpius uſurpatur pro otio. Diximus ad eum locum Propertii.

ibid. *Pierioſque lacus*] Puta Hippocrenen, Aganippen, Permeſſum, Libethrum, Pimpleam.

v. 17. *cultumq. illi donate libellum*] Prior Catullus Carm. 1.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi.

v. 18. *Sicut erit*] Non explicitum, ſed loris & obſtrigillis elauſum, & ſigillo munitum. Italice, *ben condizionato*. Animadverſione digna ſuot quæ ſequuntur: *nullus defluat inde color*. Dum enim volumen temere aperitur, color paullatim atteritur & diluitur. Horatius pariter Epiſt. 13.

Ut proficiſcentem docui te ſæpe, diuque,

Au-

Digitized by Google

Illa mihi referet, ſi noſtri mutua cura eſt,
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum nympham longa donate ſalute,
Atque hæc ſubmiſſo dicite verba ſono:
Hæc tibi vir quondam, nunc frater, caſta Neæra,
Mittit, & accipias munera parva, rogat.

Teque

Auguſto reddes ſignata volumina, Vinni.
Hac locutione utuntur auctores quum in rebus aliis, tum præcipue de libris & epiſtolis. Cornelius Nepos Pelopida: *Quæ* (epiſtola) *quum jam accubanti in convivio eſſet data, ſicut erat ſignata, in pulvinum ſubjiciens, In craſtinum, inquit, differo res ſeveras.* Livius quoque lib. 27. *Cum iis litteris, ſicut erant, ſignatis, L. Virginio tribuno militum ducendi ad Claudium conſulem traduntur.* Inde Cicero in Lucullo: *Quale igitur viſum? Tum illum ita definiviſſe, ex eo quod eſſet, ſicut eſſet impreſſum, & ſignatum, & effictum.* Pergo ad res alias. Suetonius Othone c. 8 *Sicut erant, cruenti.... perruperunt in triclinium.* Valerius Flaccus lib. 7. v. 211.

Sicut erat mutata deam, mentitaque pictis
Veſtibus, & magica Circeu Titanida virga.

Ovidius Epiſt. Paridis v. 119.

Et ſoror effuſis, ut erat, Caſſandra capillis,
Quum vellent noſtræ jam dare vela rates,
Quo ruis? exclamat.

Idem lib. 11. Metamorph. v. 60.

- - - patulos, ut erant, indurat hiatus.

Denique Silius Italicus lib. 8. v. 188.

Tunc, ut erat tenui corpus velamine tecta,
Proſiluit ſtratis.

v. 19. *Illa mihi referet*] Miſsâ videlicet epiſtolâ.

ibid. *Si*] Pro *an*. Ita Propertius l. 2. El. 29.

Mane erat, & volui, ſi ſola quieſceret illa,
Viſere.

ibid. *noſtri mutua cura*] Par voluntas, idem amor. Ovidius lib. 2. Faſtor. v. 729.

Ecquid in officio torus eſt ſocialis? & ecquid
Conjugibus noſtris mutua cura ſumus?

Et l. 7. Metamorph. v. 800.

Mutua cura duos, & amor ſocialis habebat.

Pedo Albinovanus ad Liviam v. 301.

Par bene compoſitum: juvenum fortiſſimus alter,
Altera tam forti mutua cura viro.

Martialis Epigram. 20. l. 10.

Si tibi mens eadem, ſi noſtri mutua cura eſt,
In quocumque loco Roma duobus erit.

v. 20. *an toto pectore deciderim*] Memoria noſtri apud te oblivione penitus deleta fuerit. Fons elegantiæ omnis Homerus dixerat lib. 23. v. 595. ἐκ θυμοῦ πεσέειν. *animo decidiſſe.* Variavit M. Tullius Epiſt. 14. l. 7. ad Trebatium: *Sin noſtri oblitus es, dabo operam ut iſtuc veniam antequam plane ex animo tuo effluo.* Sed & hanc locutionem Græci occupavere. ἀποῤῥεῖ μνῆστις, dixit Sophocles in Ajace, *effluit memoria.* Ejuſdem fere ſignificationis illa ſunt, *excidere animo, deſcendere ex animo, defluere ac perfluere ex animo, labi pectore, de medullis emigrare, mutari ſub pectore.* activo autem ſignificatu, *abolere ac delere ex animo.* unde Broukhuſius recte colligit copiam & ubertatem Latini ſermonis.

v. 21. *nympham*] Græciſſat hoc loco Tibullus: nam Græcis νύμφη *nupta* eſt. Hæc lectio præferenda videtur vulgatæ *meritam*, quum proxime fiat mentio conjugii. Eodem certe pacto locutus Ovidius Epiſt. Penelopes v. 27.

Grata ferunt nymphæ pro ſalvis dona maritis.

Neque enim legerim *nuptæ* contra fidem codicum, quod mavult Broukhuſius. Multa ſunt in auctoribus rara & ſingularia, quæ non propterea mutanda ſunt. Idem Epiſt. Paridis, v. 126. *Oebali nympha*, nempe *Helena.*

v. 22. *ſubmiſſo ſono*] Veteres timidiſſimo, tenuique murmure ſolitos fuiſſe vota concipere, ſatis oſtendimus ad Catullum Carm. 63. v. 104. Bene igitur Tibullus, qui Neæræ matrimonium optabat, mandat Muſis, ut ſubmiſſa voce de hoc puellæ, tamquam deæ alicui, verba faciant.

v. 23. *vir quondam, nunc frater*] *Vir quondam*, ſubaudi *futurus, deſtinatus:* nunc tantum

tum

Teque ſuis jurat caram magis eſſe medullis:
Sive ſibi conjunx, ſive futura ſoror.
Sed potius conjunx. hujus ſpem nominis illi
Auferet exſtincto pallida Ditis aqua.

ELE-

tum *concubinus*; quales ab antiquis interdum vocabantur *fratres*, κατ' εὐφημίαν. honeſto ſcilicet nomine rem turpem obtegebant. Τὸ *quondam* hoc loco ad futurum tempus, non ad præteritum pertinere, exiſtimat Juſtus Lipſius; qui quum recte, ut videtur, hane Tibulli ſententiam explicaverit lib. 2. Var. Lect. cap. 1. non tamen curioſorum hominum linguas penitus obſtruxit. Quomodo, inquiunt, τὸ *frater* concubinum ſignificet, ſi poeta vocat Neæram *caſtam*? profecto quæ cum mare concumbit, caſta vocari nequit. Næ illi oſcitanter Tibullum legerunt, qui ſuperius Eleg. 6. lib. 1. auream illam aniculam, cujus filià potiebatur, hoc pacto alloqui non dubitavit:

Sit modo caſta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Caſta Noſtro eſt quæ, ceteris amatoribus excluſis, uni ſibi noctis copiam facit. Eadem Elegia: *Ne ſævo ſis caſta metu*. Et Elegia 3. ejuſdem libri: *At tu caſta, precor, maneas*. Nihilominus *frater* accipi etiam poteſt de homine cujus affectio pudica ſit, qualis eſſe debet fratris & ſororis inter ſe; atque ita hunc locum interpretatur vir doctus Vincentius Contarenus in libro Var. Lect. cap. 23. Denique Tibullus, aut Lygdamus (nam hæc nomine Lygdami ſcripta ſunt, ut liquet ex Elegiis inſequentibus) eſſe potuit frater patruelis Neæræ; quod ſuſpicatus fuit Jacobus Mazzonius lib. 3. Defenſionis Comœdiæ Dantis, cap. 80.

v. 26. *Sive ſ. c. ſ. f. ſ. Sed potius conjunx*] Pari lepore ac flexu Ovidius lib. 9. Metamorph. v. 597.

Nonne vel illa dies fuerat, vel tota voluntas,
Sed potius mutanda dies?

ibid. *futura ſoror*] Concubina tantum. Quo ſpectat Martialis Epigr. 21. l. 12.

Quare non habeat, Fabulle, quæris
Uxorem Themiſon? habet ſororem.

Niſi forte inceſtum quempiam hominem ac neſarium hoc diſticho arguit Hiſpanus poeta.

v. 27. *hujus ſpem nominis*] Antiqui *ſperatas* vocabant puellas quarum affectabant nuptias, non ſine aſſequendi ſpe: ſic & juvenes *ſperatos*. Ovidius Epiſt. Cydippes v. 59.

-- -- -- -- -- tibi jam nulla eſt ſperatæ cura puellæ.

& Epiſt. Canaces v. 121.

Tu tamen o fruſtra miſeræ ſperate ſorori.

Papinius Statius lib. 1. Achilleid. v. 241.

Et ſperata diu plorant connubia Nymphæ.

Quid ſit diſcriminis inter deſponſatam, pactam, & ſperatam, explicat Samuel Pitiſcus ad Suetonii Julium cap. 1. num. 14. Animadverſione dignum illud Hygini Fab. 33. *Hercules intervenit, & Centauros interfecit, ſuam ſperatam abduxit*. *Speratam* vocat Hyginus quæ jam pacta & deſponſa erat; adverſus diſtinctionem Nonii Marcelli, qui cap. 3. inquit: *Virge, antequam petitur, ſperata dicitur*. &c. Id notavit Thomas Munckerus. Alia omnino ſignificatione dictum eſt a Plauto Amphitr. 1. 1. 44.

Amphitruo uxorem ſalutat lætus ſperatam ſuam.

Nempe quam ſperavit ſe reviſurum, quum abeſſet patria & domo, militiæ cauſsâ. Ceterum amatores quoque puellas amatas, ſuaviter admodum, *ſpem ſuam* appellare ſolebant. Id liquet ex diſticho Rufini, veteris poetæ, quod affert Zinzerlingus ad lib. 1. Argonaut. Valerii Flacci v. 130.

Ῥουφῖνος τῇ μῇ γλυκερωτάτῃ ἐλπίδι, πολλὰ
Χαίρειν, εἰ χαίρειν χωρὶς ἐμοῦ δύνασαι.

Rufinus meæ dulciſſimæ ſpei, multum
Gaudere, ſi gaudere ſine me potes.

Joannes Boccatius ἐν δεκαμέρῳ Fab. 8. Diei 3. *Fate adunque, dolce ſperanza mia, per me quello che io fo per voi volentieri*.

v. 28. *Auferet exſtincto pallida Ditis aqua*] Hoc eſt, ſperare non deſinet conjugium tuum, niſi prius eum Orcus abſtulerit.

Nam, ut ait ſcriptor Liberi Carminis, Epigr. 82. *Dum vivis, ſperare decet*. Eleganter Plautus Baechid. 3. 1. 1.

Pandite, atque aperite januam banc Orci, obſecro.

Nam equidem haud aliter eſſe duco, quippe quo nemo advenit,
Niſi quem ſpes reliquere omnes.

ibid. *pallida aqua*] Cœnoſa, turpis, livida, ut inferorum omnia.

ELEGIA II.

QUI primus caram juveni, carumque puellæ
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit qui tantum ferre dolorem,
Vivere & erepta conjuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc; non hæc patientia noſtro
Ingenio. frangit fortia corda dolor.

Nec

ARGUMENTUM ELEGIÆ II. LIBRI III.

Conjugio Neæræ fraudatus, graviter dolet: mandat, quomodo mortuus condi ſepulcro velit; ubi elegantiſſime ὀστολογίαν deſcribit.

VERSU I. *Qui primus c. j. c. p. E. j. ferreus ille fuit*] Hujus Elegiæ initium preſſius imitati ſunt duo nobiles Etruſci poetæ, Franciſcus Bernius, & Joannes Caſa. Ille (*nel Libro 2. dell' Orlando Innamorato*, Canto 14. *Stanza* 1.)

Fu di ferro colui che prima tolſe
La cara donna al giovanetto amante;
E quel che lei dal dolce nodo ſciolſe
Del caro amante ſuo fu di diamante:
Chi fu sì duro, credo ch' anche volſe
Da terra l' erbe ſvegliere, e le piante, ec.

Hic vero (*nel Sonetto* 14.)

Signor fuggito più turbato aggiunge:
E chi dal giogo ſuo ſervo ſecuro
Prima partìo, di ferro ebbe 'l cor cinto
Veracemente: e quegli anco fu duro,
Che viſſe un dì dalla ſua donna lunge,
E di sì grave duol non cadde vinto.

Legerunt in hoc Tibulli verſu Bernius & Caſa, *Qui primum*.

v. 2. *ferreus ille fuit*] Homines immites, immanes, crudeles, non poetæ ſolum, ſed etiam ſcriptores alii *ferreos* appellant. Cicero in Orat. pro M. Cœlio: *Ferrei ſunt iſti patres*.

v. 3. *qui tantum ferre dolorem*] Ita Virgilius Æneid. 9. v. 425.

— — — nec ſe celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem.

Et Valerius Flaccus lib. 1. Argonautic. v. 765.

— — — ſat cæli patiens, quum prima per altum
Vela dedit, potui quæ tantum ferre dolorem.

v. 4. *erepta conjuge*] Seu prærepta & occupata. Neæram enim rivalis aliquis abſtulerat pactam quidem Lygdamo & ſperatam, ſed antequam ipſi nuberet.

v. 6. *Ingenio*] Nativam cujuſque indolem & facultatem Latini ſcriptores *ingenium* appellant. Plautus Truculento 4. 3. 57.

— — — qui improbus eſt, ſive ſubbibit,
Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio eſt improbus.

Cicero pro Quintio: *Fit magna mutatio loci, non ingenii*. Ovidius Epiſt. Hypſipyles v. 40.

Detegit ingenio vulnera facta tuo.

hoc eſt, indolem tuam, o Jaſon, Medeæ lenociniis corruptam. Idem Epiſt. Herûs v. 6.

Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.

Quod etiam ad res anima carentes transfertur.

Digitized by Google

Nec mihi vera loqui pudor eſt, vitæque fateri
  Tot mala perpeſſæ tædia nata meæ.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,
  Candidaque oſſa ſuper nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incomta capillos,
  Et fleat ante meum mœſta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore.
  Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animamque precatæ,
  Perfuſæque pias ante liquore manus:
Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa
  Incinctæ nigra candida veſte legant.

Et

tur. Petronius Satyrico: *Crines ingenio ſuo flexi, per totos ſe ſe humeros effuderant*. nempe, criſpi ſuapte natura. Item Appulejus lib. 9. Aſini Aurei: *Interdum acerrimo gravique odore ſulphuris juvenis inefcatus atque obnubilatus, intercluſo ſpiritu diffluebat: utque eſt ingenium vivacis metalli, crebras ei ſternutationes commovebat*. Propterea Naſo l. 3. Metamorph. v. 158. *ingenium* tribuit naturæ ipſi -- -- -- *ſimulaverat artem Ingenio natura ſuo*.

ibid. *fortia corda*] Ita Valerius Flaccus 1. Argonautic. v. 315.

-- -- -- *fortia languent Corda patrum*.

v. 7. *Nec mihi vera loqui pudor eſt*] Ita legi jubet Broukhuſius, libris auctoribus: & ſententia quidem videtur poſtulare. In vulgatis erat: *Hæc mihi verba loqui*. quemadmodum Salluſtius Catilina cap. 49. *Cæſar .... rogatus ſententiam a conſule, hujuſcemodi verba locutus eſt*. Propertius item l. 2. Eleg. 22.

Quid juvat in nullo pondere verba loqui?

ibid. *vitæ Tot mala perpeſſæ*] A Tibullo Silius Italicus lib. 2. v. 619.

-- -- -- *hic, turbidus ira,*
Et rabie cladum, perpeſſaque ultima vitæ,
Obliquos verſat materna per ubera viſus.

v. 8. *tædia vitæ*] Non obſcure ſignificat, ſe, quod vita jam ipſi moleſta ſit, mortem ſibi ſua manu conſciſcere velle. Olim qui tædio vitæ, vel impatientia infortunii, violentas manus ſibi intuliſſet, bona ad hæredes tranſmittebat. Docet id Lex 1. & 3. tituli 50. lib. 9. Codicis Juſtinianei.

v. 10. *ſuper nigra favilla teget*] τμῆσις eſt, pro *ſuperteget*, quo verbo utitur L. Columella lib. 9. R. R. cap. 14. *Et quamvis porticu protecta vaſa, nihilo minus congeſtu culmorum & frondium ſupertegemus*. Hujuſmodi τμήσεις frequentes apud Lucretium.

v. 14. *Mœreat hæc genero, m. i. viro*] Verſus elegantiſſimæ ſimplicitatis; quales fieri deſierunt jampridem. *genero*, & *viro* poſſunt eſſe tertii caſus: dicebant enim *mœrere alicui*, nempe alicujus gratia. Cicero pro Sextio: *Quis umquam tam crudelis fuit, qui probiberet quemquam aut ſibi mœrere, aut ceteris ſupplicare?*

v. 15. *Præfatæ meos manes*] Simile eſt illud Propertii lib. 1. Eleg. 17.

Illa meum extremo clamaſſet pulvere nomen.

v. 16. *Perfuſæq. pias a. liquore manus*] Lotis aqua manibus. Lucretius lib. 2. v. 389.

-- -- -- *niſi luminis illa minora*
Corpora ſunt, quam de quibus eſt liquor almus aquarum.

In re ſacra & religioſa antiqui ſemper manus lavabant.

v. 17. *Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa*] Etiam in hoc verſu concinne admodum collocata ſunt verba. *Superabit*, pro *ſupererit*, *reliqua erit*. Propertius lib. 4.

Eleg.

Et primum annoſo ſpargant collecta Lyæo,
  Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Poſt hæc carbaſeis humorem tollere velis,
  Atque in marmorea ponere ſicca domo.

Illuc

Eleg. 2. *Sex ſuperant verſus*. Ovidius in calce l. 1. Artis Amat.

Pars ſuperat cœpti, pars eſt exhauſta, laboris.

v. 18. *Incinctæ*]. Suetonius Octavio, cap. 101. *Reliquias* (Auguſti) *legerunt primores equeſtris ordinis, tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis. Incinctæ* igitur hoc loco ſunt non cinctæ, diſcinctæ.

ibid. *nigra veſte*] Cæruleis & atris veſtibus antiquos in funeribus uſos fuiſſe, ſtante Romana republica, docet Broukhuſius. Quum albus poſtea veſtium color viluiſſet, albas in luctu ſumſerunt. Verum prior ille ritus demum revocatus eſt.

ibid. *legant*] Hoc munus ad conſanguineos & cariſſimos pertinebat. L. Seneca Conſolatione ad Helviam matrem, cap. 2. *In eumdem ſinum, ex quo tres nepotes emiſeras, oſſa trium nepotum recepiſti*. Noſter Eleg. 3. lib. 1.

— — — non hic mihi mater,
Quæ legat in mœſtos oſſa peruſta ſinus.

Hanc ὀστολογίαν Græci συλλογὴν τῶν λειψάνων appellant. Plutarchus in Marcello: Οὐκ ἔτι δὲ κομιδῆς ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισεν. *Non amplius portari, vel colligi reliquias curavit*.

v. 19. *annoſo ſpargant collecta Lyæo*] Ritus ab heroicis uſque temporibus quaſi per manus traditus. Teſtem Homerum profero l. 24. Odyſſeæ v. 72.

Ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λεύκ' ὀστέ' Ἀχιλλεῦ
Οἴνῳ ἐν ἀκρήτῳ καὶ ἀλείφατι.
Mane ſcilicet tibi collegimus alba oſſa, Achilles,
In vino mero & unguento.

v. 21. *Poſt hæc*] Pro *poſtea*.

ibid. *carbaſeis humorem tollere velis*] Hanc lectionem prætulit Broukhuſius vulgatæ *ventis*, rectiſſimo judicio. Quamquam enim dixit Publius Syrus Mimographus apud Petronium Arbitrum:

Æquum eſt induere nuptam ventum textilem?
Palam proſtare nudam nebula linea!

hujuſmodi tamen argutæ ac nimis exquiſitæ locutiones mimo & ſcenæ relinquendæ ſunt, neque Tibullum, poetarum Elegiacorum principem, decent; cujus ſermo ſimplex, ac minime coactus. Ceterum, etiam Ovidius lib. 6. Metamorph. v. 20. de Arachne:

— — — repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu.

Nimirum excellentem artificem laudare voluit in ſubtemine tenuiſſimo. Homerus quoque, multo antea, Hymno in Solem: καλὸν δὲ περὶ χροῒ λάμπεται ἐσθος Λεπτουργὲς πνοιῇ ἀνέμων. h. e. *Pulchraque circa corpus fulget veſtis Tenuiter contexta flatu ventorum*. Genus item retis maxime ſubtilis dixerunt περίλλω. Sed nihil ad Tibullum. *Vela* igitur *carbaſea*, ſunt vela linea, ſeu lintea miræ tenuitatis.

v. 22. *in marmorea domo*] Hoc loco domus marmorea vel urnam ſepulcralem de marmore ſignificat, vel ſepulcrum ipſum in quo urna cum oſſibus & cineribus condebatur. Pertinet huc vetus Inſcriptio elegans, quæ legitur apud Reineſium claſſe 14. num. 16.

V. F.
M. AMNOLVS. PONTICVS
SIBI. ET. SABINAE
DOCTA. LYRA. GRATA. ET. GESTV. FORMOSA. PVELLA
HIC. IACET. AETERNA. SABIS. HVMATA. DOMO
CVIVS. FATALES. PENSARE. OPTAVERAT. HORAS
PONTICVS. HVIC. CONIVX. VLTIMA. DONA. TVLIT

Domum æternam, ſepulcrum pariter vocat Petronius Hilarus in quodam Epigrammate:

Hæc domus æterna eſt: hic ſum ſitus, hic ero ſemper.

Viri

Illuc quas mittit pinguis Panchaia merces,
 Eoique Arabes, dives & Aſſyria,
Et noſtri memores lacrimæ fundantur eodem.
 Sic ego componi verſus in oſſa velim.
Sed triſtem mortis demonſtret littera cauſſam,
 Atque hæc in celebri carmina fronte notet:

Lygda-

Viri quidam eruditi accipiunt tamquam de ſepulcro dictum illud Horatii Ode 4. l. 1. *Et domus exilis Plutonia*. Vide Jo. Georgii Grævii Lectiones Heſiodeas. Bentlejus tamen, Criticus acutiſſimus, abit in alia omnia. Neſcio, an Pedo Albinovanus Elegia de morte Druſi *domum* hac ipſa ſignificatione uſurpaverit, v. 73.

Claudite jam, Parcæ, nimium reſerata ſepulcra:
Claudite. plus juſto jam domus iſta patet.

Sed & de familia ipſa Auguſti, Parcis nimium obnoxia, recte accipi poſſe, lubens fateor.

v. 23. *quas mittit pinguis Panchaïa, merces*] Tus puta, myrrha, ſtacte, aromata alia odorifera, quorum ferax Panchaïa, regio Arabiæ Felicis, vel Troglodyticæ, vel inferioris Ægypti, vel denique inſula Oceani auſtralis: nam de illa omnia incerta & fabuloſa. Interea poetæ mire celebrant. Virgilius Georg. 2. v. 139.

Totaque turiferis Panchaïa pinguis arenis.

Vide & Ovidium lib 10. Metamorph. a v. 307. *Pinguis* dicitur, quod ferat arbores & frutices reſinam & gummi ſtillantes.

v. 24. *dives & Aſſyria*] Opulenta, vel ob amplitudinem regionum & nobilitatem urbium, vel ob imperium orbis terrarum, quo primi omnium Aſſyrii potiti ſunt. Vera, & proprie dicta Aſſyria, ut oſtendit Chriſtophorus Cellarius Geographiæ Antiquæ lib. 3. cap. 17. habuit a ſeptemtrionibus partem Armeniæ ac Niphatem montem; ab occaſu Meſopotamiam ſeu Tigrin fluvium; a meridie Suſianam; ab ortu partem Mediæ, Choatren & Zagrum montes. Ævo poſteriore dicta fuit etiam Adiabene, κατ᾽ ἐξοχὴν, a partis nobilioris vocabulo.

v. 25. *noſtri memores lacrimæ*] Quas elicuerit & expreſſerit noſtri memoria. Horatius Ode 11. lib. 3.

— — — i ſecundo
Omine, & noſtri memorem ſepulcro
Scalpe querelam.

Atque ita fere Propertius l. 1. Eleg. 6.

Tum tibi ſi qua mei veniet non immemor hora.

ibid. *fundantur eodem*] In oſſa & cineres meos, in urnam ſepulcralem, vel in vaſculum vitreum eadem urna condendum; quæ vaſcula vocabant *lacrimatoria*, ſive δακρυοθήκας: qualia multa in urnis veteribus effoſſis inventa ſunt.

v. 26. *componi*] Verbum pertinens ad funus & ſepulturam. Horatius Sat. 9. lib. 1. v. 26.

— — — Eſt tibi mater,
Cognati, queis te ſalvo eſt opus? Haud mihi quiſquam:
Omnes compoſui.

Perſius vero, de cadavere in lecto funereo collocato, & jam jam efferendo, Sat. 3. v. 103.

— — — tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

ibid. *verſus in oſſa*] Ita ſuperius, v. 9. hujus Elegiæ: *mutatus in umbram.*

v. 27. *Sed triſtem mortis demonſtret littera cauſſam*] Ovidius l. 10. Metamorph. v. 380. verbis Myrrhæ:

Care vale Cynira, cauſſamque intellige mortis.

In cippo autem ſepulcrali ſolebant cauſſam incidere, cur quis diem ſupremum obiiſſet. Pedo Albinovanus ad Liviam v. 269.

Stabit & in roſtris tituli ſpecioſus honore;
Cauſſaque dicemur nos tibi, Druſe, necis:

Verum ibi de titulo ſtatuæ ſuppoſito loquitur poeta. Vide Theocritum Idyllio 23. v. 46.

Digitized by Google

Lygdamus hic ſitus eſt. dolor huic, & cura Neæræ,
Conjugis ereptæ, cauſſa perire fuit.

46. Ciceronem Philippica 14. Ovidium ſub finem Epiſt. Phyllidis, & lib. 3. Faſt. a v. 145. quorum loca produxit diligentiſſimus Broukhuſius.

v. 28. *in celebri fronte*] Prope viam publicam, ubi ſepeliri ſolebant reliquiæ mortuorum; ut prætereuntes legere poſſint nullo negotio. *Frontem* ſignificat agri religioſi, nimirum ſepulcro deſtinati. Horatius Sat. 8. lib. 1. v. 12.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne ſequeretur.

Hanc ſepulcri celebritatem a ſe deprecatur ſuaviſſimus Propertius lib. 3. Eleg. 16.

Dii faciant, mea ne terrâ locet oſſa frequenti,
Qua facit aſſiduo tramite vulgus iter.
Poſt mortem tumuli ſic infamantur amantum.
Me tegat arboreâ devia terra comâ.

Vide eumdem de ſepulcro Cynthiæ lib. 4. Eleg. 7.

v. 30. *cauſſa perire fuit*] Cauſſa pereundi. Modus infinitus pro gerundio. Sic vero locuti non poetæ ſolum, ſed & hiſtorici, & oratores. Cœlius Antipater Annalium lib. 1. apud Soſipatrum Cariſium lib. 2. *Sempronius Lilybæo celocem in Africam mittit, viſere locum ubi exercitum exponat.* Salluſtius Catilina cap. 17. *Quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat.* & Jugurtha cap. 3. *Ita lubido gratificari.* Cicero lib. 3. de Nat. Deor. *Magnam moleſtiam ſuſcepit, & minime neceſſariam, primus Zeno, poſt Cleanthes, deinde Chryſippus, commentitiarum fabularum reddere rationem.* Idem Epiſt. 28. lib. 7. ad Famil. *Spes melius fore.* M. Varro R. R. lib. 3. c. 2. *Aut quum inde venio hieme noctu ponere caſtra.* Cornelius Nepos Lyſandro: *Quo dolore incenſus iniit conſilia reges Lacedæmoniorum tollere.* Virgilius Æneid. 2. v. 10.

Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et breviter Trojæ ſupremum audire laborem.

Propertius l. 1. Eleg. 1.

Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui.

Ovidius Epiſt. Penelopes v. 109.

Nec mihi ſunt vires inimicos pellere tectis.

Conſule Macrobium in libello de differentiis & ſocietatibus Græci Latinique verbi, pag. 689. Editionis Jacobi Gronovii.

ELEGIA III.

Quid prodeſt cælum votis impleſſe, Neæra?
Blandaque cum multa tura dediſſe prece?

Non,

Argumentum Elegiæ III. Libri III.

Ad Neæram: Se nihil aliud umquam optaviſſe niſi ut ejus conjugio poti retur & frueretur; ſed vota perdidiſſe.

Versu I. *cælum votis impleſſe*] καθ' ὑπερβολὴν. Afferam huic ſimiles auctorum locutiones. Ovidius lib. 7. Metamorph. v. 427. de Ægeo: *fovet ignibus aras, Muneribusque deos implet.* Pedo Albinovanus ad Liviam v. 23.

Gradivumque patrem donis implere parabas.

Virgilius 9. Æneid. v. 24. -- -- *oneravitque æthera votis.* Ludovicus Areoſtus Cantu 41. Rolandi Furentis, ſtrophe 34. preſſe Tibullum imitatus:

Fiordiligi col cor di timor punto
Empiendo il ciel di voti e di querele,
Quanto con viſta ſeguitar le puote,
Segue le vele in alto mar remote.

Sic *implere meritis*, & *onerare promiſſis.* Ovidius

Digitized by Google

Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,
Inſignis clara conſpicuuſque domo:
Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
Et magnas meſſes terra benigna daret:

Sed

vidius Epiſt. Dejaniræ v. 16.
Impleſti meritis Solis utramque domum.
Idem lib. 12. Metamorph. v. 545.
Ille quidem majora fide (DI!) geſſit; & orbem
Implevit meritis.
Et lib. 2. Triſtium v. 323.
Denique, quum meritis impleveris omnia, Cæſar,
Pars mihi de multis una canenda fuit.
Et lib. 2. Amor. Eleg. 3.
Hanc imple meritis: hujus tibi gratia proſit.
Salluſtius B. Jugnrth. cap. 12. *Quem ille caſu miniſtrum oblatum promiſſis onerat.*

v. 2. *blanda tura*] Vel ſuavi odore ac blando; vel, quod verum exiſtimo, ſupplicem animum, & adulationem quamdam præferentia. Propertius lib. 4. Eleg. 6.
Coſtum molle date, & blandi mihi turis honores.
Eodem pacto hoſtias, quibus deos placare conſueverant, *blandas* vocabant. Naſo lib. 5. Faſt. v. 299.
Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hoſtia blanda fuit.
Horatius quoque Ode 23. lib. 3.
Immunis aram ſi tetigit manus;
Non ſumtuoſa blandior hoſtia
Mollivit averſos Penates
Farre pio, & ſaliente mica.
Quos verſus optime omnium explicavit Richardus Bentlejus, Criticus ingenioſiſſimus, monuitque, τὸ *ſumtuoſa hoſtia* caſum eſſe rectum. poſtrema enim ſyllaba in *ſumtuoſa*, quæ brevis eſt naturâ ſuâ, producitur ob inſequentem poſitionem, *bl*, ut conſtet ratio verſus Alcaici. *Blandos* etiam dicebant qui deos aſſidue precarentur. Ovidius Epiſt. Œnones v. 59.
Votis ergo meis alii rediture redîſti?
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui.
Et Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 134.
Poſcit opem chorus, & præſentia numina ſentit:
Cæleſtes implorat aquas, docta prece blandus.
Idem *precem* ipſam *blandam* appellat Epiſt. ad Piſones v. 395.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.
Eorum qui precibus & ſacrificiis putabant ſe diis aſſentari poſſe, meminit Plato lib. 12. de Legibus.

ibid. *cum multa prece*] Horatius Epiſt. 13. v. 18. *Oratus multa prece.*

v. 3. *marmorei p. e limine tecti*] Idem poeta Venuſinus Epiſt. 18. v. 72.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici.

ibid. *prodirem e limine*] Pulchra περίφρα-σις & poetica, ad nobilitatem & fortunarum amplitudinem ſignificandam. Ita Silius Italicus lib. 6. v. 442. verbis Marciæ ad maritum Regulum:
— — — tua (reſpice) ſedes
Hæc eſt, unde ingens humerîs fulgentibus oſtro
Vidiſti Latios Conſul procedere faſces.
Contra, de domo pauperis, poeta Venuſinus Sat. 7. l. 2.
Ædibus ex magnis ſubito ſe conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeſte.
Proprie vero, ut ſemper, locutus eſt noſter Eqnes: nam, ut docet Varro lib. 6. de L. L. *Qui exit in veſtibulum; quod eſt ante domum, prodire & procedere dicitur. Prodire* & *exire* affinem ſignificationem habent. Perſius Prologo Satyr. v. 2.
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic poeta prodirem.
Idem Sat. 5. v. 78.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama.
Hæc dno verba utrobique apud Perſium ſignificant *evadere.*

v. 4. *conſpicuuſq.*] Græci ἔνδηλοι dicunt.

v. 5. *renovarent jugera tauri*] Inverterent

ad

Digitized by Google

Sed tecum ut longæ ſociarem gaudia vitæ,
  Inque tuo caderet noſtra ſenecta ſinu;
Tunc quum præmenſæ defunctus tempora lucis
  Nudus Lethea cogerer ire rate.
Nam grave quid prodeſt pondus mihi divitis auri?
  Arvaque ſi findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodeſt Phrygiis innixa columnis,
  Tænare ſive tuis, ſive Caryſte tuis?

Et

ad novam ſationem. Ovidius 1. Metam. v. 110.

Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis.

v. 6. *terra benigna*] Fertilis, ἄφθονος. Vide Adnotationem noſtram ad verſum 62. Elegiæ tertiæ libri primi.

v. 8. *Inque t. caderet noſtra ſenecta ſinu*] Sententia maxime παθητικὴ, quales amat Tibullus. Nos ita olim imitabamur:

Quum, tota ingenuas conſumta ætate per artes,
Inter Pieridas noſtra ſenecta cadet.

v. 9. *præmenſæ defunctus tempora lucis*] Putabantur enim Parcæ tempus vitæ præmetiri & præfinire in ipſo vivendi exordio. Porro *fungi aliquid* Lucretius & Cicero dixerunt; ut oſtendit Broukhuſius.

v. 10. *Nudus Lethea cogerer ire rate*] Propertius lib. 3. Eleg. 5.

Nudus ab inferna, ſtulte, vehere rate.

Ceterum poeta noſter hoc loco uſus eſt numeris paullo aſperioribus: iteratur enim ſæpius littera canina. Non temere tamen id fecisse putandus eſt: voluit enim exprimere indignationem & rabiem umbrarum, quæ vitæ prioris dulcedine amiſſa, coguntur loca mortuorum adire, Charontis navicula tranſvectæ. Syllaba *re*, quater, continua ſerie, repetita occurrit apud Naſonem Epiſt. Ariadnæ v. 71.

Quum tibi, ne victor tecto morerere recurvo,
Quæ regerent paſſus, pro duce fila dedi.

Cicero quoque lib. 1. ad Atticum Epiſt. 1. r litteram inculcavit: *Ut opinio eſt hominum, non aliena rationi noſtræ fuit illius hæc præpropera prenſatio.*

v. 11. *grave pondus auri*] Aurum (quod experientia docet) metallorum omnium graviſſimum. Ita vero Nepos Epaminonda: *Hic magno cum pondere auri Thebas venit.* Aſinius Pollio in Epiſtola, quæ trigeſima ſecunda eſt libro 10. Epiſt. Ciceronis ad Famil. *Balbus quæſtor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, majore argenti coacto de publicis exactionibus ...... duxit ſe a Gadibus.* Livius lib. 24. Hiſt. *Catenis ligatus traditur & ipſe & comites: & auri ſatis magnum pondus, quod ſecum tum attulerat, ei ſervari juſſum.* Juſtinus l. 11. Hiſt. Trogi cap. 2. *Nuntiatur ..... auctorem ejus defectionis, magno auri pondere a Perſis corruptum, Demoſthenem oratorem exſtitiſſe.* Vide & cap. 10. Ovidius Epiſt. Helenæ v. 224.

Congeſtoque auri pondere dives ero.

ibid. *divitis auri*] Manilius quoque lib. 5. Aſtronom. v. 16.

Heſperidumque vigil cuſtos, & divitis auri.

v. 13. *Phrygiis innixa columnis*] Marmor Phrygium temporibus Auguſti permagno æſtimatum fuiſſe, indicant illa Horatii Ode 1. lib. 3.

Quod ſi dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum ſidere clarior
  Delenit uſus.

v. 14. *Tænare ſive tuis*] Viride marmor Lacedæmonium, quod in laudatiſſimis numerabatur, teſtibus Plinio, Propertio, Papinio Statio, Martiale, Tænarium etiam dicitur a poetis; Tænarus enim Laconiæ promontorium fuit.

ibid. *ſive Caryſte tuis*] Caryſtio quoque marmori locus erat inter pretioſa. Nomen dedit Caryſtos, oppidum inſulæ Eubœæ. Virebat porro hic lapis, & maculis fluctus marinos referentibus diſtinctum erat. Hujus marmoris mentionem facit Epictetus philoſophus Sententia 77. Μὴ τοῖς ἐξ ἀλλοίας

ἐκ ανακ-

Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos?
Aurateque trabes, marmoreumque ſolum?

ἐξ σπαρτης λίθοις τὰς τοίχους τῇ κατασκευῇ ποικίλλε, Ne lapidibus, ex Eubœa & Sparta advectis, parietum ſtructuram variato.

v. 15. *nemora in domibus*] Romani, corruptiſſima republica, quum otio atque inertiæ ſe dediſſent, veros Epicuri diſcipulos voluptatibus undique perquirendis ſe probantes, hortos etiam, pomaria, nemora in ædibus habebant, ut olim Epicurus Athenis habuerat. Id teſtatur Plinius H. N. l. 19. cap. 4. *Jam quidem*, inquit, *hortorum nomine in ipſa urbe delicias, agros, villaſque poſſident. Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus otii magiſter: Uſque ad eum, moris non fuerat in oppidis habitari rura.* Atque ita locupletes, quorum erant domus ampliſſimæ, in receſſu dormiebant, procul a ſtrepitu viarum frequentium, qui Romæ tolerari vix poterat. Iccirco Juvenalis Sat. 3. v. 232.

Plurimus hic æger moritur vigilando: ſed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti ſtomacho. nam quæ meritoria ſomnum
Admittunt? magnis opibus dormitur in Urbe.

Meritoria (ut obiter explicem poetam Aquinatem) hic ſunt anguſta & humilia ædificia, tabernæ puta vel officinæ, a pauperibus inquilinis annuâ mercede conducta, quæ domino fundi æra merebant: ubi opifices illi miſeri, neque in ipſo morbo neceſſariam quietem capere poterant. Hunc locum Juvenalis pulchre imitatus eſt Boileavius, Gallus poeta celeberrimus, Sat. 6. ubi de incommodis Lutetiæ Pariſiorum, v. 115.

Je fais pour repoſer un effort inutile:
Ce n'eſt qu'à prix d'argent qu'on dort en cette Ville.
Il faudroit, dans l'enclos d'un vaſte logement,
Avoir loin de la ruë un autre apartement.
Paris eſt pour un Riche un païs de Cocagne:
Sans ſortir de la Ville, il trouve la campagne:
Il peut dans ſon jardin, tout peuplé d'arbres verds,
Receler le printems au milieu des hivers,
Et foulant le parfum de ſes plantes fleuries,
Aller entretenir ſes douces rêveries.

Porro in hortis domeſticis erant fiſtulæ, ſeu tubi, quos appellabant ſilanos, unde aqua proſiliebat, utiles ad ſomnum conciliandum. Meminit Cornelius Celſus lib. 3. Medicinæ cap. 18. *Confert etiam*, inquit, *aliquid ad ſomnum ſilanus juxta cadens.* Cæſar ipſe Auguſtus, qui lare modico ſatis beatus erat, nihilominus nemora in domo ſua ſeri & diſponi curavit. Suetonius id teſtatur in ejus Vita cap. 72. *Prætoria ſua*, inquit, *quamvis modica, non tam ſtatuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xyſtis & nemoribus excoluit.* Ceterum fidem excedunt quæ narrat idem Tranquillus in Nerone, cap. 13. Poſtquam enim de veſtibulo immenſæ domus, & amplitudine ſtagni multa verba fecit, hæc addit: *Rura inſuper arvis atque vinetis, & paſcuis, ſilviſque, varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum.* ſubaudi *fuerunt.*

ibid. *ſacros lucos*] *Lucus* enim, teſte Servio ad lib. 1. Æneid. v. 314., *eſt arborum multitudo cum religione.* Ovidius lib. 3. Amorum Elegia 13.

Stat vetus, & denſa prænubilus arbore lucus.
Adſpice; concedas numen ineſſe loco.

Idem lib. 3. Faſt. v. 295.

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra,
Quo poſſis viſo dicere, Numen ineſt.

In his porro lucis non licebat conſecratas arbores ſecuri dejicere. Illos propterea vocabant *ſilvas incæduas.* Naſo rurſus Elegia 1. lib. 3. Amorum:

Stat vetus, & multos incædua ſilva per annos.
Credibile eſt illi numen ineſſe loco.

v. 16. *Aurateq. trabes, marmoreumque ſolum*] In ædium lacunaribus auro tegendis mira fuit veterum luxuria. Propertius lib. 3. Eleg. 2.

— — — non Tænariis domus eſt mihi fulta columnis,

Digitized by Google

Quidve, in Erythræo legitur quæ litore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?

Et

Nec camera auratas inter eburna trabes.

Papinius Statius lib. 1. Silvarum, Carm. 3. v. 34.

Quid primum, mediumve canam? quo fine quieſcam?
Auratasne trabes, an Mauros undique poſtes
Mirer?

Mauri poſtes, nimirum de marmore Numidico. Seneca Thyeſte v. 231. *Regem non faciunt opes .... Non auro nitidæ trabes*. Et v. 646.

— — — fulget hic turba capax
Immane tectum, cujus auratas trabes
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.

L. Appulejus lib. 3. Floridorum: *Sed & medici quum intraverint ad ægrum uti viſant, nemo eorum quod tabulina perpulchra in ædibus cernant, & lacunaria auro oblita ...... ægrum jubet uti ſit animo bono*. Hactenus de privatorum domibus: deinceps de templis afferamus teſtimonia. T. Livius lib. 41. Hiſtor. *Perſeus Antiochiæ Jovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantum, ſed parietibus totis lamina inauratum; & alia multa in aliis locis pollicitus, non perfecit*. Ovidius l. 8. Metamorph. v. 699.

Illa vetus dominis etiam caſa parva duobus,
Vertitur in templum: furcas ſubiere columnæ:
Stramina flaveſcunt; adopertaque marmore tellus,
Cælatæque fores, aurataque tecta videntur.

Prudentius quoque Hymno 11. περὶ στεφάνων, de Sancto Hippolyto, v. 219.

Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Suſtinet, auratis ſuppoſitus trabibus.

Nolim vero lectores putare, aurum illud quo potentiorum lacunaria, & interdum etiam parietes operiebantur, tenue fuiſſe, quemadmodum apud nos folia ſunt auri & bracteolæ, quibus ligna inauramus: nam ſolidis aureis laminis ad id opus veteres uti ſolebant. Lucanus l. 10. Pharſ. v. 112.

— — — laquea taque tecta ferebant
Divitias, craſſumque trabes abſconderat aurum.

Item Statius l. 1. Thebaid. v. 144. *Craſſo laquearia fulva metallo*. *Lacunaria auro gravia* memorat Seneca Epiſt. 90. *Infuſum tectis aurum*, M. Seneca Rhetor Controverſ. 9. Hujuſmodi laminæ propterea minutis clavis trabi ſuffigebantur. Locus eſt memorabilis apud Senecam Hippolyto v. 494. qui id teſtetur:

— — — mille non quærit tegi
Dives columnis; nec trabes multo inſolens
Suffigit auro.

Nihilominus non negaverim, etiam veteres aliquando uſos fuiſſe tenui bractea ad inaurandum. Fatetur Ovidius lib. 3. Artis Amat. v. 231.

Aurea quæ pendent ornato ſigna theatro;
Inſpice, quam tenuis bractea ligna tegat.

Leviſſimum auri folium, & in ſummam ſubtilitatem productum, quo caryotides muneri dandæ Kal. Januariis tegebantur, Martialis appellat ſputum Epigr. 33. lib. 8. v. 11.

Hoc linitur ſputo Jani caryota Calendis,
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.

Lege, ſi lubet, Epiſtolam Antonii Mariæ Salvinii, viri doctiſſimi, ad Carolum Thomam Strozzium (*nella Raccolta di Proſe Fiorentine Parte 4. Volume 2. p. 247.*) ubi nonnulla invenies ad hanc rem pertinentia.

ibid. *marmoreumq. ſolum*] Pavimentum teſſellatum, ſeu vermiculatum cruſtis varii marmoris; quod tamen Auguſtus, princeps moderatione, modeſtiaque inſignis, aſpernatus fuit. Suetonius id teſtatur in ejus Vita, cap. 72. *Habitavit*, inquit, *poſtea in Palatio; ſed nihilominus ædibus modicis Hortenſianis, & neque laxitate neque cultu conſpicuis: ut in quibus porticus breves eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore ullo aut inſigni pavimento conclavia.*

v. 17. *concha*] Conchylium, in quo bacca pretioſa, ſeu margarita.

v. 18. *Sidonio m.*] Alteram ſyllabam hujus vocis producit Propertius l. 2. Eleg. 16.

Quare ne tibi ſit tanti Sidonia veſtis,
Ut timeas, quoties nubilus Auſter erit.

Nec

Et quæ præterea populus miratur? in illis
Invidia eſt. falſo plurima vulgus amat.

Non

Nec non Silius Italicus lib. 1. Punic. v. 444. -- -- *non hæc Sidonia tecta*. ut propterea ſuſpicer, hoc loco Tibulli τὸ *Sidonio* triſyllabum eſſe κατὰ συναίρεσιν. Papinius tamen l. 1. Thebaid. *Sidonios raptus*.

v. 19. *Et quæ p. populus miratur? in illis Invidia eſt*] Seneca pariter libro de Vita Beata, cap. 2. *Quam magnus mirantium, tam magnus invidentium populus eſt*. Ariſtoteles autem lib. 1. Rhetoric. Ὅλως δὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν ἐστιν ἀπὸ τύχης, ἐφ' οἷς ἐστιν ὁ φθόνος. *Omnino hujuſmodi bona ſunt a fortuna, in quibus eſt invidia*. Sic & Sophocles Œdipode Tyranno v. 388.

Ὦ πλοῦτε, καὶ τυραννί, καὶ τέχνη τέχνης
Ὑπερφέρουσα τῷ πολυζήλῳ βίῳ,
Ὅσος παρ' ὑμῖν ὁ φθόνος φυλάσσεται.
O divitiæ, & regnum, & ars arti
Præſtans in invidioſa vita,
Quantum vobis invidiæ ſubeſt!

Salluſtius Catilina: *Sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta eſt*. Contra, paupertas a Secundo philoſopho vocatur ἄφθονον πρᾶγμα, *res abſque invidia*. Porro *invidia* dicta eſt ab *invidendo*, hoc eſt ab inſpicienda accuratius alterius fortuna. Huc pertinet effatum illud: *Nemo curioſus quin ſit malevolus*. Ita Heſiodus ἐν ἔργοις v. 21. pauperem deſcribit opes divitis intuentem, eumque labore & induſtria æmulari ſtudentem:

Εἰς ἕτερον γάρ τίς τε ἰδὼν ἔργοιο χατίζων
Πλούσιον, ὃς σπεύδει μὲν ἀρόμμεναι ἠδὲ φυτεύειν.
Alium enim quiſpiam intuens opere vacans
Divitem, & ipſe feſtinat arare atque plantare.

Ubi diligenter animadvertenda ſunt verba illa, Εἰς ἕτερον ἰδὼν, *videns*, ſive *inſpiciens in alium*: quaſi dicat, *invidens alteri*. Quum aliquando Neapoli in conventu medicorum, Actio Syncero Sannazario præſente, quæſitum eſſet, quid præcipue oculorum ſenſum acuere poſſet, aliudque ab aliis magis idoneum judicaretur, ipſe *invidiam* aptiſſimum collyrium eſſe dixit, protulitque Ovidii verſus ex libro 1. Artis Amat. v. 349.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Ovidio præiverat Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 108.

-- -- -- nemon' ut avarus
Se probet, ac potius laudet diverſa ſequentes?
Quodque aliena capella gerat diſtentius uber,
Tabeſcat?

Secutus autem eſt Juvenalis Sat. 14. v. 142. -- -- *majorque videtur Et melior vicina ſeges*. Invidia tamen quam deſcribit Heſiodus, eſt æmulatio laudabilis: contra, illa vituperabilis, de qua poeta Venuſinus Epiſt. 2. v. 57.

Invidus alterius macreſcit rebus opimis.

Et Virgilius 1. Georg. v. 158.

Heu, magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum;
Concuſſaque famem in ſilvis ſolabere quercu.

v. 20. *falſo plurima vulgus amat*] *Falſo*, id eſt injuria, immerito. Non enim honores aut divitiæ bona ſunt ab hominibus tantopere expetenda; ſiquidem fortunæ imperio ſubjecta, horæ momento ſæpe dilabuntur. Adde metus, inſomnia, ſatietatem, quæ potentibus & locupletibus propiora ſunt quam pauperibus & humilibus. Nota vim & proprietatem adverbii. Salluſtius pariter initio Belli Jugurthini: *Falſo queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecille, atque ævi brevis, forte potius, quam virtute regatur*. Italice reddas: *A torto ſi lamenta*, &c. Seneca Thyeſte v. 447.

Mihi crede, falſis magna nominibus placent.

Sic apud Ciceronem Orat. Verrina 7. *falſa damnatio* eſt injuſta & crudelis. Ovidius quoque lib. 2. Amor. Eleg. 4.

Non ego mendoſos auſim defendere mores,
Falſaque pro vitiis arma movere meis.

hoc eſt, injuſta.

v. 21. *Non opibus mentes hominum curæq. levantur*] Leviores non fiunt mentes, quaſi detracto vel ſaltem imminuto pondere ac faſce curarum. Similis eſt ſententia Lucretii, non uſquequaque inſanientis, lib. 2. de R. N. v. 47.

Non opibus mentes hominum curæque levantur.
  Nam Fortuna ſua tempora lege gerit.
Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neæra.
  At ſine te, regum munera nulla volo.
O niveam, quæ te poterit mihi reddere, lucem!
  O mihi felicem terque, quaterque diem!
At ſi pro dulci reditu quæcumque voventur,
  Audiat averſa non meus aure deus:
Nec me regna juvant, nec Lydius aurifer amnis,
  Nec quas terrarum ſuſtinet orbis opes.

Hæc

Re veraque metus hominum, curæque ſequaces,
Nec metuunt ſonitus armorum, nec fera tela:
Audacterque inter reges, rerumque potentes
Verſantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum veſtis ſplendorem purpureaî.

v. 22. *N. Fortuna ſuâ tempora lege gerit*] Cndices MSS. miro conſenſu; qund Broukhuſius teſtatur; item editin anni 1472. nmnium princeps, cujus exemplum domi ſervn, & Aldinæ duæ, altera anni 15nt. altera anni 1515. præferunt *gerit*. Hæc lectio prnbatur a Broukhuſin, qui affirmat, hoc loco Tibulli, *gerere* idem eſſe ac *gubernare*, profertque verſum e Publii Syri Mimiambis:

Male geritur, quidquid geritur Fortunæ fide. *tempora* vero hie eſſe dicit ſtatus diverſos, cnnditiones, ac viciſſitudines rerum humanarum; quæ omnia gubernentur & mutentur nutu Fortunæ. Sunt nihilominus editinnes in quibus compáret *regit*. Utrumque bnnum. Salluſtius Bello Jugurth. c. 109. *Humanarum rerum Fortuna pleraque regit*. Quam ſententiam ita variavit idem ſcriptnr in Orat. ſive Epiſtola 2. ad C. Cæſarem: *Sæpe prava magis quam bona conſilia proſpere eveniunt: quia pleraſque res Fortuna ex lubidine ſua agitat*. Et infra: *Ea res cunctas ex lubidine quam ex vero celebrat, obſcuratque*. Ita *regere ſilentium*, ſeu tempus nocturnum. Horatius Epodo 5. v. 51.

Nox, & Diana, quæ ſilentium regis,
Arcana quum fiunt ſacra.

v. 27. *reditu*] Reeonciliatinne concordiæ, reditu in gratiam. Ita M. Tullius Orat. de Haruſpicum reſponſis: *Quid exiſtimatis eum, ſi reditus ei gratiæ patuerit, eſſe facturum?* Olim animadverſum fuit ab Joanne Ludovicn de Lacerda, viro doctiſſimn, ad illud Virgilii verſu 414. lib. 1. Georg. *dulceſque reviſere nidos*, apud Græcos νόστον & reditum & dulcedinem ſignificare: quippe omnis reditus ad nota dulcis eſt. præterea νόστιμον ab iiſdem vocari & qui redit, & qui ſuavis eſt.

v. 28. *audiat averſa aure*] Livius lib. 38. *Quum averſis auribus pauca locuti eſſent, damnati omnes: & traditi ſunt ad ſupplicium*. Ceterum, quomodo dii audiant vota mortalium, explicat Cicero ſub finem libri 1. de Divinatione: *Deorum animi, ſine oculis, ſine auribus, ſine lingua ſentiunt inter ſe quid quiſque ſentiat: ex quo fit ut homines etiam quum taciti optent aliquid, aut voveant, haud dubitent quin dii illud exaudiant.*

ibid. *non meus deus*] Iratus videlicet. Contra, *dii ſui*, ſunt prnpitii, faventes. Ovidius lib. 4. Metam. v. 373. *Vota ſuos habuere deos*. Idem Epiſt. Medeæ v. 84.

Sed mihi tam faciles unde, meoſque deos?

v. 29. *Lydius aurifer amnis*] Pactnlus, Lydiæ fluvius, aureis arenis illuſtris. Propertius l. 1. Eleg. 6.

-- -- -- ſeu mollis qua tendit Ionia, ſeu qua
Lydia Pactoli tinguit arata liquor.

v. 30. *Nec quas terrarum ſuſtinet orbis opes*] Venit in mentem generoſæ illius vncis Epaminondæ apud Cornelium Nepotem: *Orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ caritate.*

v. 31.

Hæc alii cupiant . liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge poſſe frui .
Adſis , & timidis faveas , Saturnia , votis ,
Et faveas, concha Cypria vecta tua .
Aut ſi fata negant reditum , triſteſque ſorores
Stamina quæ ducunt , quæque futura canunt :
Me vocet in vaſtos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua .

ELE-

v. 31. *paupere cultu*] Qui pauperem doceat. *Victum & cultum humanum* ſæpe conjungit M. Tullius.

v. 33. *timidis votis*] De metu & ſilentio ſuperſtitioſo, cum quo antiqui ſolebant vota concipere, dixi non ſemel ad Catullum & ad Tibullum.

ibid. *Saturnia*] Junonem Lucinam invocat, matrimonii præſidem.

v. 34. *concha Cypria vecta tua*] Venerem e mari emergentem, ſive *ἀναδυομένην*, ad litora Cypri appuliſſe primum, concha marina vectam, referunt Fabulæ.

v. 35. *triſteſque ſorores*] Parcæ , deæ ſeveræ, triſtes, inexorabiles, fronte nubila , caperata, ſupercilio ſubducto. Hinc *triſtitia* pro ſeveritate. Horatius Ode 7. lib. 2.

--- finire memento
Triſtitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero.

v. 36. *futura canunt*] Certiſſima Nicolai Heinſii emendatio, quum antea legeretur *neunt*, inſolenti verbo.

v. 37. *vaſtos amnes*] Interpres fuerit Virgilius lib. 6. Æneid. v. 295.

Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas :
Turbidus hic cœno , vaſtaque voragine gurges
Æſtuat , atque omnem Cocyto eructat arenam.

Lucretius Virgilio prior, de R. N. l. 3. v. 116.

An tenebras Orci viſat, vaſtaſque lacunas .

v. 38. *Dives Orcus*] Quem appellabant etiam Ditem Patrem; vel quod in ejus ditionem mortalia omnia tandem reciderent, vel quod theſauris terra defoſſis , metallis item auri, & argenti , ac ſubterraneis divitiis omnibus præeſſet . *Πλούτων* a Græcis dictus eſt, *ἀπὸ τοῦ πλούτου*, a divitiis.

ibid. *in ignava aqua*] Tarde fluente . *Ignava Orci aqua* videtur eſſe pix ; de qua Virgilius Æneid. lib. 9. v. 104.

--- idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas
Adnuit.

Et Claudianus lib. 1. in Rufinum v. 120. de Furia loquens :

--- Phlegethonta ſonorum
Poſcit, & ambuſto flagrantis ab aggere ripæ
Ingentem piceo ſuccendit gurgite pinum.

ibid. *luridus Orcus*] Horatius pariter Ode 4. lib. 3.

Injecta monſtris terra dolet ſuis ,
Mæretque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum.

Luridus eſt valde pallidus , cum quodam virore. Ovidius lib. 4. Metamorph. v. 266.

Membra ferunt hæſiſſe ſolo : partemque coloris
Luridus exſangues pallor convertit in herbas.

Luror eſt ſummus pallor . Teſtis locuples Lucretius lib. 4. de R. N. v. 333. ubi cauſſam affert quare *ἰκτερικοὶ* videant omnia pallida :

Lurida præterea fiunt quæcumque tuentur
Arquati : quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt ſimulacris obvia rerum ;
Multaque ſunt oculis in eorum denique miſta ,
Quæ contage ſua palloribus omnia pingunt.

Auctor Ceiris, poematis elegantiſſimi , v. 255. lurorem ita circumlocutus eſt:

Non tibi nequicquam viridis per viſcera pallor

Ægro-

Digitized by Google

Ægrotas tenui ſuffudit ſanguine venas.
Horatius vero ita Epodo 10.
O quantus inſtat navitis ſudor tuis,
Tibique pallor luteus!
Idem Ode 10. lib. 3.
Et tinctus viola pallor amantium.

Quum vero violæ ſint non unius coloris, liquet eo verſu ſignificari ξανθὸν ἴον, *luteam violam*. Ceterum, Orcum; quem *luridum* Horatius ac Tibullus; *pallidum* vocavit Maro lib. 1. Georg. v. 277.
— — — *pallidus Orcus, Eumenideſque ſatæ.*

ELEGIA IV.

DI meliora ferant, nec ſint inſomnia vera,
Quæ tulit extrema peſſima nocte quies.
Ite procul. vanum, falſumque avertite viſum.
Deſinite in vobis quærere velle fidem.

Divi

ARGUMENTUM ELEGIÆ IV. LIBRI III.

Narrat, ſe per quietem ab ipſo Apolline admonitum de Neæræ pactæ ſibi conjugis perfidia: itemque doctum, quibus artibus eam flectere, ac ſibi reconciliare poſſet.

VERSU I. *Di meliora ferant*] Oracula ſcilicet deorum; quæ tamquam veriora & certiora, opponit paullo poſt ſomniorum temeritati. Ovidius lib. 7. Metam. v. 37.
Di meliora velint. quamquam non iſta precanda,
Sed facienda mihi.
Dicebant etiam ἁπλῶς, *Di meliora*, quum aliquid abominarentur, & a ſe deprecarentur. Virgilius 1. Georg. v. 513.
Di meliora piis, erroremque hoſtibus illum.
Et Valerius Maximus lib. 4. Memorabil. cap. 3. *Sophocles ætate jam ſenior, quum ab eo quidam quæreret, an etiamnum rebus Venereis uteretur: Di meliora, inquit; libenter enim iſtinc tamquam ex aliqua furioſa profugi dominatione.* Vide Barnabam Briſſonium l. 1. Formularum.

ibid. *nec ſint inſomnia vera*] Uti docet Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. 3. quinque ſunt genera ſomniorum: ὄνειρος, ὅραμα, χρηματισμὸς, ἐνύπνιον, φάντασμα; quæ Latini appellant, ſomnium proprie dictum, viſionem, oraculum, inſomnium, viſum. Inſomnio *nomen eſt, non quia per ſomnium videtur (hoc enim eſt huic generi commune cum ceteris) ſed quia in ipſo ſomnio tantummodo eſſe creditur, dum videtur; poſt ſomnium nullam ſui utilitatem vel ſignificationem relinquit.* Sed apud ſcriptores hæc duo vocabula *ſomnium* & *inſomnium* promiſcue uſurpata ſæpius occurrunt. Noſter ipſe inferius, v. 7.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.

v. 2. *tulit*] Reſpondet ſuperiori *ferant*.

ibid. *extrema nocte*] Quum, cibo concocto, abeunt atque evaneſcunt craſſiores imagines, nihil ſolidi aut veri portendentes, & *ſomnia* videntur *pituitâ purgatiſſima*, ut ait Perſius Sat. 2. v. 57. Hanc veterum opinionem de ſomniis matutinis attigit Tertullianus libro de Anima, cap. 48. *Certiora*, inquit, *& colatiora ſomniari affirmant ſub extimis noctibus.* Lege ibi ſequentia, ſi vacat.

ibid. *peſſima quies*] Quod ſcilicet in ea quiete res peſſimæ, ſiniſtræ, adverſæ a Phœbo ipſi prænuntiatæ fuerint.

v. 3. *Ite procul*] Convertit ſermonem ad ſomnia ipſa quæ viderat.

ibid. *viſum*] φάντασμα, quod Cicero ſæpe *viſum* appellat.

v. 4. *in vobis quærere velle fidem*] Subaudi *me*; quod eleganter ſubticetur.

v. 5.

Digitized by Google

Divi vera monent. venturæ nuntia ſortis
  Vera monent Tuſcis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
  Et pavidas mentes falſa timere jubent.

Et

v. 5. *Divi vera monent*] Nihilominus, etiam aliqua illorum quæ in ſomniis viderent, a Deo mitti exiſtimabant. Cicero in Lucullo: *Nam, quum dicatis, inquiunt, viſa quædam mitti a Deo, velut ea quæ in ſomniis videantur, quæque oraculis, auſpiciis, extis declarentur (hæc enim ajunt probari a Stoicis, quos contra diſputant) quærunt, quonam modo, falſa viſa quæ ſint, ea Deus efficere poſſit probabilia: quæ autem plane proxime ad verum accedant, efficere non poſſit.* *Monere, monitus*, voces ſunt ad oracula, & prædictiones deorum pertinentes. Silius Italicus lib. 4. Punic. v. 120. -- -- *huic ſuperos ſentire monentes Ars fuit.* -- -- Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 231.

Cui genitor tribuit monitu prænoſcere divûm Omina.

v. 6. *Tuſcis viris*] Etruſci omni ſuperſtitione olim laboravere; ſed in primis haruſpicina maxime illuſtres fuere. Tanaquil vocatur a Livio lib. 1. Hiſt. *perita, ut vulgo Etruſci, cæleſtium prodigiorum mulier.* Sed audiendus M. Tullius lib. 1. de Divinatione: *Etruſci autem, quod, religione imbuti, ſtudioſius & crebrius hoſtias immolabant, extorum cognitioni ſe maxime dediderunt: quodque propter aeris craſſitudinem de cælo apud eos multa fiebant, & quod ob eamdem cauſſam multa inuſitata partim ex cælo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum, pecudumve conceptu & ſtatu, portentorum exercitatiſſimi interpretes exſtiterunt.* Porro (ut id obiter moneam) niſi urbes Etruriæ mediterraneas, quæ prope Apenninum ſitæ ſunt, ab iis diſtinguamus quæ mare attingunt, locus hic Ciceronis calumniam continebit. Illæ enim cælo puro ac tenui potius fruuntur: quo fit ut ſubtilia etiam & præclara hominum ingenia ferant; Florentia præcipue, quæ multorum judicio cum Athenis Atticis non injuria comparatur: Piſtorium præterea, Senæ, atque aliæ nonnullæ. Oppida contra non procul a Tyrrheni litoribus exædificata, quin cælo turbidiore & craſſiore utantur, haud equidem dubitaverim.

ibid. *exta*] Paullus ex Feſto Pompejo: *Exta dicta, quod ea diis proſecentur quæ maxime exſtant, eminentque.* Vide Briſſonium lib. 1. Formularum.

v. 7. *Somnia f. ludunt temeraria n.*] Temerarium eſt quod temere fit, vel accidit: nullo nempe conſilio aut providentia. *Ludere* dicuntur ſomnia, vel ἁπλῶς, quod quaſi jocentur, & nugas agant, inaniter diſcurrendo, leveſque & confuſas imagines in animis dormientium excitando; vel quod iis illudant, eoſque decipiant. De ſomniorum vanitate ac temeritate plura dabit Thomas Dempſterus Paralipom. ad caput 2. libri 2. Antiquitat. Romanarum Joannis Roſini. Homerus tamen Iliados 1. v. 62. verbis Achillis:

Α'λλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα,
Η" καὶ ὀνειροπόλον (καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός
  ἐςιν)
*Quare age, aliquem vatem conſulamus, vel
  ſacerdotem,*
Vel & conjectorem (etenim ſomnium quoque ab Jove eſt)

Homero Stoici ſuffragabantur. Vellejus Epicureus apud Ciceronem in calce lib. 3. de Nat. Deor. Lucilium Balbum Stoicum ſugillans: *Quippe qui etiam ſomnia putet ad nos mitti ab Jove.* Sed memorabilis plane eſt locus ejuſdem Romani Oratoris lib. 1. de Divinatione: *Sed ſint*, ait, *falſa quædam* (ſomnia). *contra vera quid dicimus? quæ quidem multo plura evenirent, ſi ad quietem integri iremus: nunc onuſti cibo, & vino, perturbata, & confuſa cernimus.* Lege reliqua; ſunt enim digniſſima quæ legantur. Ea non prætermittam quæ ad hunc Tibulli verſum proxime pertinent. *Tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compreſſis, ut illa tertia pars rationis, & mentis eluceat, & ſe vegetam ad ſomniandum, acremque præbeat: tum ei viſa quietis occurrent tranquilla atque veracia.*

v. 9.

Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & ſaliente ſale.
Et tamen, utcumque eſt, ſive illi vera moneri,
Mendaci ſomno credere ſive volent:
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et fruſtra immeritum prætimuiſſe velit.

Si

v. 9. *Et vanum ventura hominum genus omina noctis*] Probo lectionem Broukhuſii, quam præferunt multi codices mss. Cur autem poeta vocat *omina noctis*, nempe ſomnia, *ventura*? Quod ſeilieet donis & ſacrificiis oumioa illa potiſſimum placari ſolerent, quæ ſomnia mittere erederentur, ne ſcilicet mala mitterent atque iofelicia, ſed optabilia potius, & fauſtæ ſignificationis. Fueruot nihilominus Critici qui legerent, *Et*, vel *At*, *natum in curas hominum genus*. Quæ lectio elegans & arguta, ſed fortaſſe a Tibulli ſimplicitate aliquantum aliena, ex Platonieis fontibus hauſta videri poteſt. Plato enim Dialogo 2. de Legibus, non proeul ab initio, ſic ſcribit: *Οἱ Θεοὶ οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπίπονον πεφυκὸς γένος, ἀναπαύλας αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο. Dii genus humanum, ad labores ac miſerias natum, miſerati, laborum intermiſſiones ac relaxationes conſtituerunt*. Diverſam omnino ſententiam, ſed pari flexu protulit Silius Italicus lib. 15. Punic. v. 88.

Ad laudes genitum, capiat ſi munera divûm
Felix, ad laudes hominum genus.

v. 10. *Farre pio*] Nempe mola ſalſa, quæ inter cornua victimæ ponebatur; unde *immolare*. *Far pium* appellat etiam Virgilius lib. 5. Æneid. v. 747. præterea Horatius Ode 23. lib. 3. & Aſconius Pædianus in Accuſationem 1. in Verrem, cap. 2. Antequam enim Roma & Latium turis uſum in ſacrificiis recepiſſent, far ſolum pro ture, Etruſeo atque Albaoo more, adhibebant.

ibid. *& ſaliente ſale*] Attigit *ſalis* etymologiam; videtur enim *ſal* ita dictum, quod in igne *ſaliat*. *Saliente mica* dixit Horatius Ode 23. l. 3.

v. 11. *ſive illi vera moneri*] Hoc nullo modo pertinet ad ſomoium. Sententia eſt, ſi quid video: Sive homioes mihi auſcultare velint vera monenti, ac docenti, nullam inſomniis fidem habendam eſſe; ſive eontra deſpiciant monita mea, & amplectantur mendaeia ſomniorum, tamquam veritatem ipſam.

v. 13. *noctis timores*] Nox enim pavorem adducere, ſicuti dies & Sol ſpem reducere videtur. Legimus in Pſalmo 91. *οὐ φοβηθήσῃ ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ. non timebis a timore nocturno*. Et in divino Salomonis Cantico, eap. 3. v. 8. *Uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos*. ubi Symmaehus, *διὰ φόβους νυκτερινούς*: Septuaginta vero interpretes: *ἀπὸ θάμβους ἐν νυξί*. Sed hic apud Tibullum, *noctis timores* ſunt ſomnia terribilia, formidoloſa.

ibid. *Lucina*] Lueinam hoc loeo Junonem eſſe, quæ lueis auctor credita fuerit, optime docet Broukhuſius, ex Pompejo Feſto, & Varrone lib. 4. de L. L. Plinius tamen lib. 16. H. N. cap. 44. tradit, a *luco* appellatam. Sed *lucus* ipſe a *luce* denominatus fuit; quod lumina e ſacris arboribus, ſuperſtitionis eauſſa, ſuſpendi ſolerent. Sunt qui Lunam intelligant; puto Ciceroοem ſecuti, qui lib. 2. de Nat. Deor. *Luna a lucendo nominata eſt. eadem eſt enim Lucina*. Immo *Luna* videtur factum a *Lucina*, *κατὰ συγκοπήν*. Hos interpretes juvare poteſt illud Propertii l. 4. Eleg. 4.

Sæpe illa immeritæ cauſſata eſt omina Lunæ.

Quæ Tibullus vocat *omina noctis*, poeta Umber *omina Lunæ* mavult appellare. Alia ſignifieatio oe dixit Seneca Tragicus Thyeſte v. 839.

Non Phœbeis æmula flammis
Demet nocti Luna timores.

Hoſtium puta, graſſatorum, furum, ferarum, & mille perieulorum.

v. 14. *immeritum*] Significat, ſe nullo modo meruiſſe perfidiam & diſſidium Neæræ,

Digitized by Google

Si mea nec turpi mens eſt obnoxia facto,
Nec læſit magnos impia lingua deos.
Jam Nox ætherium nigris emenſa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat amne rotas:
Nec me ſopierat menti deus utilis ægræ
Somnus. ſollicitas deficit ante domos.
Tandem quum ſummo Phœbus proſpexit ab ortu,
Preſſit languentis lumina ſera quies.
Hic juvenis caſta redimitus tempora lauru
Eſt viſus noſtra ponere ſede pedem.

Non

ræ, quod ſibi minabantur inſomnia.

v. 15. *turpi mens eſt obnoxia facto*] Homines qui malo & ſceleſto aliquo facinore ſe ſe obligarunt, etſi clam id perpetraverint, conſcientiæ tamen facibus, tamquam domeſticis Furiis, uruntur. Nam, ut ait Juvenalis Sat. 13.

-- -- -- prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur.

v. 16. *Nec læſit m. impia lingua deos*] Hinc *βλασφημία*; quod vocabulum originem duxit *ἀπὸ τῦ βλάπτειν τὴν φήμην*, *a lædenda fama*; ſæpius pro maledicto adverſus deos uſurpatur.

v. 17. *Nox*] A proxima & frequenti ejuſdem vocis repetitione non adeo veteres abſtinebant. Hac Elegia intra decem & octo verſus poeta noſter bis *nocte* dixit, bis *noctis*, deinde paullo poſt *nox*. Hodie ſi quis imitari vellet, aut obliviosum, aut ſegnem, aut inopem conſilii, aut parum in ſcribendo copioſum continuo diceremus.

ibid. *ætherium mundum*] Cælum videlicet, ingentia cæli ſpatia. Sed & *mundum* *ἁπλῶς* ita uſurpabant, ſine ullo adjuncto. Manilius initio libri primi Aſtronomicon:

Carmine divinas artes, & conſcia fati
Sidera diverſos hominum variantia caſus,
Cæleſtis rationis opus, deducere mundo
Aggredior.

Plinius quoque lib. 2. Hiſt. Nat. c. 1. *Mundum, & hoc, quod nomine alio cælum appellare libuit.* Et Pomponius Mela l. 1. Geographiæ cap. 1. *Omne igitur hoc quidquid eſt, cui cæli mundique nomen indidimus, unum id eſt, atque uno ambitu ſe cunctaque complectitur.* Quem Pomponii locum attulit jampridem Joannes Harduinus, vir *πολυμαθέστατος*, ad Plinium.

v. 19. *menti deus utilis ægræ Somnus*] Dictum ſuaviter, & ut res ipſa poſtulabat. *Placidiſſimum deorum* vocat *Somnum* Ovidius lib. 11. Metam. v. 623. & Papinius lib. 1. Silvarum, Carm. 4.

v. 20. *ſollicitas deficit ante domos*] Lis eſt magna Somno cum ſollicitudinibus & curis. *Deficit*, nempe evaneſcit, vires amittit ſuas. Italice, *vien meno*. Ovidius lib. 4. Metam. v. 200. ad Solem:

Deficis interdum; vitiumque in lumina mentis
Tranſit; & obſcurus mortalia pectora terres.

v. 21. *quum ſummo Phœbus proſpexit ab ortu*] Quum dies apparuit in extremo Oriente. Sed more poetarum loquitur Noſter, qui rebus omnibus vitam & animam tribuere ſolent, immo interdum divinitatem. Phœbum e cælo, tamquam e feneſtra, proſpicientem inducit Franciſcus Petrarcha (*nel Sonetto 35.*)

Il figliuol di Latona avea già nove
Volte guardato dal balcon ſovrano.

Noſter ſuperius l. 2. Eleg. 5.

Roma, tuum nomen terris fatale regendis
Qua ſua de cælo proſpicit arva Ceres.

v. 22. *languentis*] Non febri, aut morbo, ſed longa vigilia & intempeſtiva.

v. 23. *Hic*] Adverbium loci pro adverbio temporis; quum dicere debuerit *tunc*. Ita Virgilius Æneid. 2. v. 199.

G g Hic

Non illo quidquam formoſius ulla priorum 25
Ætas, humanum nec videt illud opus.

Hic aliud majus miſeris, multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.

ibid. *caſtâ lauru*] Quod in hanc arborem verſa fuerit Daphne puella caſtiſſima, quum Apollinem amantem, & inſequentem, ut ei virginitatem eriperet, perniciter fugeret: vel quod caſtorum vatum, integrorum ſcilicet, nulloque ſcelere inquinatorum, præmium & corona ſit.

v. 25. *Non illo quidquam formoſius ulla priorum Ætas*] Latet in hoc diſticho malignum ulcus, quod Chironis auxilio indigeat. Niſi enim ſubaudias *vidit*, *protulit*, vel aliud ſimile verbum, & ellipſin eſſe dicas, quales Tibullus non amat, nulla ſana ſententia ex eo elici poteſt. Scaliger difficultatem diſſimulavit: Broukhuſins etiam, quod mirere, intactum & inexplicatum reliquit, quaſi *nil intra oleam, nil extra in nuce duri eſſet*.

v. 26. *humanum nec videt illud opus*] Hæc quoque obſcura valde ſunt. Achilles Statius malebat *fuit* pro *videt*; neque tamen aliquid proficiebat. Statii lectionem olim recipiebat amicus quidam meus, horum ſtudiorum peritiſſimus, & ſic explicabat: *Non illud fuit opus humanum*. hoc eſt, nemo me decepit, falſam Apollinis imaginem præ ſe ferens: verum adfuit Apollo ipſe; & viſio illa nocturna, ſeu matutina, opus divinum fuit. Commoda explicatio; ſed ei contraria videntur quæ in hac Elegia præcedunt; contemſit enim Tibullus hoc ſomnium. Nihilominus ſententiarum inconſtantia, commune vitium amantium, priora & ſequentia inter ſe facile conciliabit. Ego vero ita interpretatus fuerim: Pulcherrimus ille juvenis qui mihi dormienti apparuit, vocari non potuit *opus humanum*, ſive forma conſueta & quotidiana, ut cum Terentio loquar: ſed potius divinum & cæleſte, ſingulare, inuſitatum. Certe Plautus Moſtellar. 1. 3. 104. mulierem formoſam appellat *opus*.

PHIL. *Tum tu igitur cedo purpuriſſum.*
SC. *non do: ſcita es tu quidem,*
Nova pictura interpolare vis opus lepidiſſimum.

Juſtinus quoque lib. 12. Hiſt. Trogi cap. 16. fere ſimiliter locutus: *Qua nocte eum* (Alexandrum Magnum) *mater Olympias concepit; viſa per quietem eſt cum ingenti ſerpente volutari: nec decepta ſomnio eſt. nam profecto majus humana mortalitate opus utero tulit*. Græci ſcriptores, quum præſtantiſſimum aliquid ſignificare volunt, voce χρῆμα utuntur. Lucianus Dialogo Tritonis, Amymones, & Neptuni: Ἐπὶ τὴν Λέρναν, ὦ Πόσειδον, παραγίγνεται καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ὑδρευσομένη παρθένος, πάγκαλόν τι χρῆμα. *Ad Lernam, Neptune, venit aquatum quotidie virgo, negotium* (vel opus) *quoddam formoſiſſimum*. Plutarchus in Antonio: Ἔστεργε ὑπερφυῶς τὴν ἀδελφήν, χρῆμα θαυμαστὸν (ὡς λέγεται) γυναικὸς γενομένην. *Diligebat mirifice ſororem, quæ rari mulier exempli perhibetur fuiſſe*. Loquitur de Auguſto, & ſorore ejus Octavia. Ceterum χρῆμα θαυμαστὸν γυναικὸς, ſi verbum verbo reddatur præter indolem Latini ſermonis, ſonat, *negotium mirabile mulieris*. Æneas Gazæus in Theophraſto: Ἐπιτετηδευμένον δέ τι χρῆμα καὶ χάριεν ἄνθρωπος. *Homo vero, cum conſilio factum, gratioſumque negotium*. Neque de viro ſolum aut muliere ita loquebantur, ſed etiam de rebus aliis. Herodotus in Clio: ὦ βασιλεῦ, ὑὸς χρῆμα μέγιστον ἀνεφάνη ἡμῖν ἐν τῇ χώρῃ. *Apparuit apud nos, o rex, maximus aper*. Xenophon lib. 1. Κύρου παιδείας: Ἀκοντίσας καταβάλλει τὴν ἔλαφον, καλόν τι χρῆμα καὶ μέγα. *Jaculo cervam dejicit, pulchram & magnam*. Quemadmodum vero Tibullus *humanum opus*, ita θεῶν δαίδαλμα, & *ſuperûm opus* dixerunt Theocritus, & Valerius Flaccus. Ille Idyllio 1. v. 32.

Ἔντοσθεν δὲ, γυνὰ, τι θεῶν δαίδαλμα, τέτυκται.
Intus autem mulier, quoddam deorum opus, ſculpta eſt.

Hic vero lib. 1. Argonautic. v. 671.

-- -- -- *ſeu volvitur axis,*
Ut ſuperûm ſic ſtaret opus.

Ita vocare videtur mundi fabricam. qui tamen Valerii locus mire vexatus ab interpretibus.

Intonſi crines longa cervice fluebant:
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.
Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.
Ut quum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia: ut autumno candida mala rubent.

Ima

v. 27. *longa cervice*] Ad pulchritudinem pertinet longior cervix, quæ gracili corpori & decoro reſpondet. Contra, cervix craſſa, brevis, obſtipa formam dedecorat. Immodica tamen colli longitudo jure ac merito improbatur, & præterea imbecillitatem arguit, minuſque bonam valetudinem. Juvenalis Sat. 3. v. 88. de Græculo adulatore:

Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis.

v. 28. *Syrio rore*] Unguento nardino, quod permagno æſtimabant. Nardus frutex naſci ſolitus in Syria Palæſtina. Noſter ſuperius Eleg. 2. lib 2.

Illius puro deſtillent tempora nardo.

ibid. *myrtea coma*] Nigra ſcilicet, quæ floris aut foliorum aut baccarum myrti colorem imitaretur. Longus lib. 1. ποιμενικῶν: Καὶ ἡ μὲν ἤκασεν αὐτοῦ τὴν κόμην, ὅτι μέλαινα, μύρτοις. *Et illa quidem cæſariem illius, utpote colore nigricantem, myrteis baccis dicebat ſimilem.* L. Junius Columella libro de Cultu Hortorum v. 238. de cardui vertice: *Myrtiolo modo crine viret.* lege *myrteolo*. Vide ibi Annotationem Baptiſtæ Pii. Ovidius l. 3. Artis Amat. v. 690.

Ros maris, & lauri, nigraque myrtus olent.

Cato nihilominus, ut eſt apud Plinium H. N. lib. 15. cap. 29. *tria genera myrti prodidit, nigram, candidam, conjugulam.* &c. Ideirco Pindarus Iſthmiorum Ode 4. de quodam victore ita ſcribit: λελευκωθεὶς κάρα μύρτοις. *dealbatus caput myrtis.* Porro nigras comas cum hyacinthis quoque ac violis comparabant. Homerus l. 6. Odyſſeæ v. 231.

Οὔλας ἧκε κόμας, ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.
Criſpas demiſit comas, hyacinthino flori ſimiles.

Pindarus autem Ode 1. Pythiorum ἰοπλοκάμους nobis deſcribit Muſas, nempe comis violaceis; quas ejus poetæ Scholiaſtes vocat μελανοπλοκάμους. *cæſarie nigricante.* Quamobrem Anacreon Ode 28. Ὑπὸ πορφυρέαισι χαίταις Ἐλεφάντινον μέτωπον. *ſub purpureis capillis Eburneam frontem.* Nempe *violaceis*. Erat enim purpura violæ colore, quæ amethyſtina etiam vocabatur. Poeta quidam vetus: -- -- *violæ ſublucet purpura nigræ.* Ceterum, color myrti pavonis tingendis etiam adhibitus. Vide Ovidium Artis Amat. l. 3. v. 181.

v. 29. *qualem præfert Latonia Luna*] Optime. nam Phœbus Lunæ, ſive Dianæ frater: oportuit ergo ſimiles eſſe.

v. 31. *virgo deducta marito*] Nova nupta ad mariti domum duci ſolebat cum pompa & comitatu: quod eſt proprie *deduci*. Plautus Caſina 3. 2. 1.

-- -- -- *hoc erat*
Ecaſtor id quod me tanto vir opere orabat meus?
Liberæ ædes ut ſibi eſſent, Caſinam quo deduceret.

Sed ibi ſermo eſt de vetitis amoribus. Idem Milite Glorioſo 3. 1. 91.

Nam bona uxor, ſi ea quidem deducta eſt uſquam gentium,
Ubi eam poſſim invenire? verum egóne eam ducam domum?

Hinc jocus ille Ciceronis quem refert Suetonius in Julio, cap. 50. *Sed ante alias*, inquit, *dilexit M. Bruti matrem Serviliam, cui & proximo ſuo conſulatu ſexagies HS. margaritam mercatus eſt: & bello civili ſu-*

G g 2 per

Ima videbatur talis inludere palla;
Namque hæc in nitido corpore veſtis erat.
Artis opus raræ fulgens teſtudine & auro
Pendebat læva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
Felices cantus ore ſonante dedit.

Sed

*per alias denationes, ampliſſimus prædia ex auctionibus haſta minimo addixit. Quum quidem pleriſque vilitatem mirantibus, faceti*ſſ*ime Cicero, Quo melius, inquit, emtum ſciatis, Tertia deducta eſt: exiſtimabatur enim Servilia, etiam filiam ſuam Tertiam Cæſari conciliare.*

v. 32. *Inficitur*] *Inficere*, hoc loco eſt *tingere*. Unde *infectores*, tinctores.

v. 33. *contexunt*] Puellæ στεφανοπλόκοι corollas plectebant de candidis floribus, & de rubris.

v. 35. *Ima videbatur talis inludere palla*] Palla uſque ad talos demiſſa deos majorum gentium ornabat: fuit enim index majeſtatis, & potentiæ. Virgilius 1. Æneid. v. 404. de Venere:

– – – pedes veſtis defluxit ad imos,
Et vera inceſſu patuit dea.

Propertius ad Bacchum, Elegia 15. l. 3.

Et feries imos veſte fluente pedes.

Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 383. induit Mopſum vatem, Apollinis filium, paterno amictu:

Hic vates, Phœbique fides non vana parentis
Mopſus, puniceo cui circumfuſa coturno
Palla imos ferit alba pedes.

Ἔνδυμα ποδήρες fuit etiam citharœdorum, ac tibicinum. Auctor ad Herennium lib. 4. *Ut citharœdus quum prodierit optime veſtitus, palla inaurata indutus*, &c. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 214.

Sic priſcæ motumque & luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita veſtem.

v. 36. *Namq. hæc in n. c. veſtis erat*] Huic verſui, aut ego valde fallor, πιεσότης, & ψυχρότης quædam ineſt. Satis enim fuerat pallam in hexametro nominaſſe, ut intelligeremus, hac veſte Apollinem indutum fuiſſe. *Nitidum corpus*, eſt pulchre lotum, atque unguento ſplendens.

v. 37. *fulgens teſtudine*] Corticibus marinæ teſtudinis in tenues laminas diſſectis varia opera & pretioſa fingebant artifices. Virgilius 2. Georgic. v. 463. ubi de ſimplici agricolarum vita:

Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes.

Lyram vero præcipue ac citharam ſic ornabant; credo, quod Mercurius e putamine teſtudinis primam citharam feciſſet, nervis ejus exſiccatis, & ſonitum edentibus more chordarum. quamobrem cithara teſtudo quoque vocata fuit. Horatius Ode 11. lib. 3.

Mercuri; nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo:
Tuque teſtudo reſonare ſeptem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum menſis, & amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Applicet aures.

v. 38. *Pendebat lævâ g. parte lyra*] Fidicines lævo humero lyram ſuſpenſam ſuſtinebant, dextra vero manu, vel inermi, vel plectro armata, ejus chordas percutiebant.

v. 39. *plectro modulatus eburno*] Plectrum, Græce πλῆκτρον, ἀπὸ τῦ πλήττειν, a *percutiendo* dictum eſt.

v. 40. *Felices cantus*] Cur felices? nonne portendebant poetæ magnas miſerias, eventuſque triſtiſſimos? Verum hi cantus, de quibus hoc verſu, προάσματα quædam, præcentiones, & præludia fuerunt, qualia Muſici hodierni vocant *ricercate*. *Felices* Tibullus appellat, non quod felicia promitterent, ſed quod facile ac feliciter provenirent, cantoris voluntati omnino reſpondeo-

Sed poſtquam fuerant digiti cum voce locuti,
  Edidit hæc dulci triſtia verba modo.
Salve cura deum: caſto nam rite poetæ
  Phœbuſque, & Bacchus, Pierideſque favent.
Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque ſorores
  Dicere non norunt, quid ferat hora ſequens.

At

dentes. Nam ſunt & cantus, & ſoni quos vocare poſſimus *infelices*. De his Horatius Epiſtola ad Piſones v. 348.

Nam neque chorda ſonum reddit quem vult manus, & mens;
Poſcentique gravem perſæpe remittit acutum.

Hoc pacto Quinctilianus lib. 10. I. O. cap. 1. eumdem Horatium dicit, *variis figuris & verbis feliciſſime audacem*. Contra idem poeta Venuſinus Arte Poetica v. 34. de ſtatuario minus perito: *Infelix operis, ſummâ*.

v. 41. *fuerant digiti cum voce locuti*] Veteres illi citharœdi alternis canebant, & citharam pulſabant. Plato Alcibiade 1. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἄδοντα δεῖ κιθαρίζειν ποτὲ πρὸς τὴν ᾠδὴν, καὶ βαίνειν. *Quia etiam & is qui canit, debet aliquando pulſare citharam, & ad cantionis etiam formulam motumque incedere*. Quinctilianus lib. 1. I. O. cap. 12. *An vero citharœdi non ſimul & memoriæ, & ſono vocis & pluribus flexibus ſerviunt, quum interim alios nervos dextra percutiunt, alios læva trahunt, continent, probant; ne pes quidem otioſus, certam legem temporum ſervat, & hæc pariter omnia?* Ex quo egregii Rhetoris loco ſatis conſtat, non ſolum alternis canere & citharam percutere ſolitos fuiſſe fidicines, verum etiam ſimul & eodem tempore. Porro, *loqui digitis* etiam geſticulatores ſeu χειρονόμοι dicebantur. Elegantiſſime Vetus quidam Poeta de pantomimo:

Tot linguæ, quot membra viro: mirabilis eſt ars,
Quæ facit articulos voce ſilente loqui.

articulos, pro *digitos*. Manilius quoque l. 5. Aſtronom. v. 326.

Et quodcumque manu loquitur, flatuque movetur.

Item Pſeudo-Cornelius Gallus, ſive Maximianus Etruſcus, Elegia 5.

Docta loqui digitis, & carmina fingere docta.

Neſcias, utrum geſticulatricem ſignificet, an potius fidicinam. Præterea Caſſiodorus Variarum lib. 4. Epiſt. 51. memorat horum hominum *loquaciſſimas manus, linguoſos digitos*. Denique Salomon ipſe Proverb. cap. 6. v. 12. *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur*.

v. 42. *dulci triſtia verba modo*] Modulatio ipſa, utpote ab excellenti artifice profecta, dulcis omnino erat: ſed verborum ſententia triſtis, ac votis Tibulli contraria.

v. 43. *caſto n. rite poetæ*] Poeta qui nullo ſcelere ſe contaminaret, qui omnia pietatis officia diis perſolveret, præcipue carminum auctoribus, *rite caſtus* habebatur. Huic autem favere credebant Apollinem, Liberum patrem, Muſas novem. Similis eſt Horatii ſententia Ode 17. lib. 1.

Dii me tuentur: diis pietas mea,
Et muſa cordi eſt.

v. 46. *Dicere non norunt, quid ferat hora ſequens*] Non omnes deos futura præſcire, veteres crediderunt (quod egregie animadvertit Broukhuſius) ſed ſolos fatidicos, quorum conſulerentur oracula. Bacchum tamen alii ſcriptores diis futurorum conſciis annumerant, ejus adyta & oracula commemorantes. Vide Pauſaniæ Bœotica, & Phocica: item Papinium Statium lib. 4. Thebaid. v. 378. ubi Baccham vaticinantem inducit: denique Macrobium l. 1. Saturnal. c. 18.

ibid. *quid ferat hora ſequens*] Inſcriptio illa Satyræ Menippeæ M. Varronis non diſſimilis: *Neſcis, quid veſper ſerus vehat*. Horatius Epiſt. 18. verſ. 110. *horam ſequentem* appellavit *dubiam*: *Ne fluitem*, inquit, *dubiæ*

Digitized by Google

At mihi fatorum leges, ævique futuri
  Eventura pater poſſe videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, vates:
  Quodque deus vero Cynthius ore ferat.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
  Quantum nec cupido bella puella viro:
Pro qua ſollicitas cæleſtia numina votis,
  Quæ tibi ſecuros non ſinit ire dies:
Et quum te fuſco Somnus velavit amictu,
  Vanum nocturnis fallit imaginibus:

Car-

biæ ſpe pendulus hora. Ævum ſequens uſurpavit Virgilius pro futuro Ecloga 8. v. 27.

Jungentur jam gryphes equis, ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

v. 47. *fatorum leges*] Eadem eſt *lex neceſſitatis*, de qua Horatius Ode 1. l. 3.

— — — æqua lege neceſſitas
Sortitur inſignes & imos.

His porro legibus Juppiter ipſe obtemperabat.

ibid. *ævique futuri Eventura*] Chiron Centaurus apud Pindarum Ode 9. Pythiorum ita Phœbum affatur:

Χῶ, τι μέλλει, χὤτι ποτ' ἔσσεται, εὖ καθορᾷς.

Quodque futurum eſt, & unde futurum ſit, bene perſpicis.

v. 48. *pater poſſe videre dedit*] Ea cernere Apollinem putabant quæ ſecretiore Jovis conſilio abdita continerentur. Id vero privilegium Apollini filio Juppiter pater lubens dederat. Phœbus ipſe ita Mercurium alloquitur apud Homerum Hymno in hunc deum, a verſu 530. *Vaticinium autem, optime Jovis alumne, quod ſciſcitaris, Neque te fas eſt diſcere, neque quemquam alium Immortalium. hoc enim novit Jovis mens: verum ego Cujus fidei commiſſum eſt, annui ac juravi forte jusjurandum, Nullum præter me deorum immortalium Alium ſciturum Jovis ſapiens conſilium.* Hanc vero futurorum ſcientiam dii reliqui Apollini non invidebant. Cicero l. 1. Tuſcul. Quæſt. *Judicaviſſe deum dicunt, & eum quidem deum cui reliqui dii conceſſiſſent ut præter ceteros divinaret, mortem eſſe optimum homini.* Lucanus propterea lib. 5. Pharſal. v. 198.

Cuſtodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
Tuque potens veri Pæan, nullumque futuri
A ſuperis celare diem.

Non quod alii ſuperi, præter Jovem, Phœbo vaticinium dediſſent, quo ipſi carebant; ſed quod conceſſiſſent.

v. 50. *ferat*] Broukhuſius mavult *feram*: ſed & vulgata lectio commoda eſt, ac retineri poteſt.

v. 51. *Tantum cara tibi*] Ut perfidiæ crimen lo puella manifeſtius appareat, commemorat Apollo, quantus Tibulli amor fuerit erga Neæram.

v. 55. *te fuſco Somnus velavit amictu*] Somni fuſcas alas *amictum* vocat. Noſter ſuperius in calce Elegiæ 1. libri 2.

Poſtque venit tacitus fuſcis circumdatus alis
Somnus.

Divinæ quoque Litteræ Pſalmo 62. commemorant *velamentum alarum.*

v. 56. *Vanum nocturnis fallit imaginibus*] *Vanas, imagines* ipſas vocat Plinius Cæcilius Epiſt. 1. lib. 2. *Virginium, ait, cogito, Virginium video, Virginium jam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio, alloquor, teneo.* Et ante Plinium Horatius Ode 27. lib. 3.

— — — vigilanſne ploro
Turpe commiſſum? an vitio carentem
Ludit imago
Vana, quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit?

Alias

Digitized by Google

Carminibus celebrata tuis formoſa Neæra
 Alterius mavult eſſe puella viri.
Diverſaſque tuis agitat mens impia curas,
 Nec gaudet caſta nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!
 Ah pereat, didicit fallere ſiqua virum!

Sed

Alias eidem poetæ *vana imago* eſt umbra, ſive anima mortui hominis. Sic enim loquitur Ode 24. lib. 1.

Non vanæ redeat ſanguis imagini,
 Quam virgâ ſemel horridâ,
Non lenis precibus fata recludere
 Nigro compulerit Mercurius gregi.

Cur autem Phœbus vocat *vanum* dormientem ipſum? an quod *qui amant, ſomnia ſibi fingere* ſolent? an levitatis & credulitatis eum accuſat? Fortaſſe *τὸ vanum* hoc loco vim habet adverbii; ut *indignum*, *infandum*, & alia multa. Ceterum Varro in Prometheo apud Nonium, imagines hujuſcemodi *ſomnurnas* appellat:

Levis mens numquam ſomnurnas imagines
Affatur, non umbrantur ſomno pupulæ.

v. 59. *Diverſaſq. tuis a. m. i. curas*] Non reddit parem voluntatem, non redamat amantem, diſſidium ac divortium cogitat; quum tu ab hujuſmodi cogitationibus quam longiſſime abſis. Legebam olim cum Douza & Mureto; *diverſaſque ſuis*, nempe conſanguineis, a quibus Neæra deſponſa fuerat poetæ; afferebamque verſus Catulli ex Carm. 61.

At tu ne pugna cum tali conjuge virgo;
Non æquum eſt pugnare, pater cui tradidit ipſe,
Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt.

At pugna de qua Catullus, non eſt diſceſſus a conjugio, ſed morſiunculæ, detrectatio *συνουσίας*, lucta illa & rixa virginea. Nunc Lipſium & Broukhuſium ſequi placet. *Mens agitat curas*, Homerico illi reſpondet Odyſſeæ 16. v. 73. *θυμὸς ἐνὶ φρεσὶ μερμηρίζει*.

v. 60. *Nec gaudet caſtâ nupta Neæra domo*] Lucanus lib. 9. v. 201.

Caſta domus, luxuque carens, corruptaque numquam
Fortunâ domini.

Oderat Neæra caſtam domum, quæ luxu careret. Sumtuoſæ enim plerumque ſunt mulieres, atque ornatui nimio ſtudent. Morum tamen integritas in anguſta re ſervatur facilius, quam in ampla & magnifica. Juvenalis Sat. 6. v. 286.

Præſtabat caſtas humilis fortuna Latinas.

De corporis & animi caſtitate locus eſt inſignis M. Tullii lib. 2. de Legibus. *Caſte*, inquit, *jubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo ſunt omnia: nec tollit caſtimoniam corporis: ſed hoc oportet intelligi, quum multum animus corpori præſtet, obſerveturque ut caſto corpore adeatur, multo eſſe in animis id ſervandum magis: nam illud vel aſperſione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vaneſcere, nec manibus ullis elui poteſt*. Præterea *caſta domus* eſt domus poetæ; hoc enim genus credebant a ſcelere maxime alienum. Quamobrem Valerius Flaccus 1. Argonaut. v. 5.

Phœbe, mone; ſi Cymeæ mihi conſcia vatis
Stat caſtâ cortina domo, ſi laurea dignâ
Fronte viret.

Virgilio etiam 6. Æneid. v. 662. boni poetæ dicuntur *pii*, *& Phœbo digna locuti*. Contra Catullus Carm. 14. malos & ineptos poetas, *impios* vocare non dubitat. Neæra igitur, mulier avara ut videtur, minus delectabatur domo poetæ, cui major cura litterarum eſſet quam pecuniæ.

v. 61. *nec fidum nomen*] Pro, *& infidum nomen*; quaſi audito nomine feminæ, ſtatim & perfidiæ meminiſſe neceſſe ſit.

v. 62. *ſi qua*] Dictum *κατ' εὐφημίαν*, ne ſcilicet maledicta & deteſtationes in Neæram

Sed flecti poterit. mens eſt mutabilis illis.
  Tu modo cum multa brachia tende prece.
Sævus Amor docuit validos tentare labores.
  Sævus Amor docuit verbera ſæva pati.
Me quondam Admeti niveos paviſſe juvencos,
  Non eſt in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere ſonora,
  Nec ſimiles chordis reddere voce ſonos.
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
  Ille ego Latonæ filius, atque Jovis.
Neſcis quid ſit Amor, juvenis, ſi ferre recuſas
  Immitem dominum, conjugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas.
  Vincuntur molli pectora dura prece.

Quod

ram cadere videantur, ſed in mulierem quamdam incertam.

v. 63. *mens eſt mutabilis illis*] Nempe feminis quibuslibet, toti generi muliebri.

v. 64. *brachia tende*] Supplica brachiis protenſis; qui geſtus erat victos ſe fatentium, dum genibus victoris advolvebantur, mortem deprecantes. Hoc pulchre illuſtravit Broukhuſius allatis poetarum teſtimoniis.

ibid. *cum multa prece*] Legunt alii, *cum multa fide*. obteſtando ſæpius fidem hominum & deorum. Propertius lib. 1. Eleg. 18.

Et non ulla meo clamat in ore fides.

v. 66. *verbera ſæva pati*] In morem ſervorum, qui ob levia interdum peccata flagello a crudelibus dominis cædebantur: vel tironum in ludo gladiatorio. Noſter Elegia 9. lib. 1. ad ἐρώμενον:

Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga ſeca.

v. 67. *Admeti juvencos*] Vide Elegiam 3. libri 2.

v. 68. *vanum*] Etiam hæc vox in hac Elegia ſæpius occurrit.

ibid. *fabula ficta*] Cicero pro Milone: *Fabulam falſam, fictam, levem perhorreſcimus.*

v. 71. *perlucenti cantus meditabar avena*] Ut paſtorem decebat ſcilicet. Citharâ enim urbani potius quam ruſtici homines delectabantur. Ejus uſus erat in templis, in theatris, in conviviis locupletum. *Perlucens avena*, eſt *tenuis*. nam quæ tenuja ſunt, perlucent. Virgilius Ecloga 1. v. 2.

Silveſtrem tenui Muſam meditaris avena.

Ex quo Maronis verſu hic Tibulli ductus videtur. *Perlucentem togam* dixit Seneca Epiſt. 114.

v. 72. *Ille ego L. f. a. J.*] ἐμφατικῶς. quaſi hoc ſibi velit: *Quod Phœbum decuit, quem non decet?* Animadverte, lector, horum verborum σεμνότητα & μεγαλοπρέπειαν, ſine ullo tumore: quæ invidenda virtus eſt ſcriptorum ævi Auguſtæi.

v. 74. *Immitem dominum*] Cupidinem ipſum deum, ſuperbe & crudeliter tibi imperantem. Nos in Elegia quadam:

Quid refert, hoſtem, an dominum patiaris Amorem?
Ille deus nullo vincitur obſequio.

ibid. *conjugiumque ferum*] Scilicet male conveniens, querelis plenum, rude, aſperum, non ſine divortii periculo.

v. 75. *blandas adhibere querelas*] Uti licet conqueſtione, ſed blanda: quæ non irritet, ſed mitiget, ac placabilem efficiat.

v. 77.

Digitized by Google

Quod ſi vera canunt ſacris oracula templis,
  Hæc illi noſtro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipſe.
  Felix hoc, alium deſine velle virum.
Dixit, & ignavus defluxit pectore ſomnus.
  Ah ego non poſſum tanta videre mala.

Nec .

v. 77. *ſi vera canunt ſ. oracula t.*] Veridiea enim putabant veteres Apollinis reſponſa, edita ex oraeulo ac tripode. Supra verſu 50.

Quodque deus vero Cynthius ore ferat.

v. 79 *Hoc tibi conjugium promittit Delius ipſe*] Nube igitur mihi confidenter, auctore Apolline Delio. Hoc nempe conjugium a fatis & Jove tibi deſtioatum eſſe, Delius novit, quem nihil futurorum latere poteſt. Si me conjuge uti volueris, felix omnino eris. Procos igitur alios dimitte, ac valere jube.

v. 80. *Felix hoc, alium deſine velle virum*] Nempe, felix hoc viro & eoojugio, ne alterum quæras. Ita locutus Ovidius l. 10. Metamorph. v. 422.

-- -- -- *O, dixit, felicem conjuge matrem!*

Aſſentior igitur Claudio Salmaſio, ita diſtinguenti & explieanti in Notis ad Spartianum pag. 31. Sunt nihilominus qui aliter diſtinguant: *hoc alium deſine velle virum*. nempe ab hoc diverſum. Græeam hane locutionem adhibuit Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 240.

Edicto vetuit; ne quis ſe præter Apellen
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri voltum ſimulantia.

alius Lyſippo, hoc eſt, alius præter Lyſippum. Brutus & Caſſius ad Aotonium, apud Cieeronem Epiſt. 2. lib. 11. ad Familiares: *Nos ab initio ſpectaſſe otium, nec quidquam aliud libertate communi quæſiſſe, exitus declarat*. Phædrus etiam Prologo lib. 3. Fabul. v. 41.

-- -- -- *Si accuſator alius Sejano foret.*

h. e. alius præter Sejanum. Sie ἄλλο ἐπιςήμης dixit Plato in Menone. *diverſum a ſcientia*. Ariſtoteles vero lib. 10. Ethicorum ad Nicomaehum: ὁ φίλος ἕτερος ὢν τῦ κόλακος. *Amicus quum ab adulatore ſit diverſus*. Sed noſter poeta minus amat ἑλληνισμοὺς, quos contra Propertius in deliciis habet.

v. 81. *ignavus defluxit pectore ſomnus*] Quæ formidoloſa & moleſta apparent dormientibus, vim habent exeutiendi ſomnum. Ovidius Epiſtola Ariadnes v. 13.

Excuſſere metus ſomnum. conterrita ſurgo,
  Membraque ſunt viduo præcipitata toro.

Tibullus tamen ſomnum deſeribit non eeleriter abeuntem, ſed ſenſim atque ſenſim defluentem. propterea vocat *ignavum*; quod tamen ſomni ἐπίθετον, perpetuum eſſe poteſt. Adhibuit Naſo lib. 11. Metamorph. v. 592.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni.

Ejus ignaviam paullo poſt mire ob oculos ponit ingenioſus poeta, v. 617.

— -- -- *veſtis fulgore reluxit*
Sacra domus, tardaque deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens; iterumque iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excuſſit tandem ſibi ſe.

Poeta Umber Elegia 20. lib. 1. dixit *defluere ex animo*, pro *memoria excidere*.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo.

v. 82. *Ah ego non poſſum tanta videre mala*] Horatius pariter Sat. 2. lib. 1. v. 68.

-- — -- *mutonis verbis mala tanta videntis.*

Hane locutionem alii ſeriptores parce detorſerunt, ae variaverunt. Auctor Ceiris v. 455.

Sit ſatis hoc, tantum ſolam vidiſſe malorum.

Cicero ſub finem Orat. pro Miloae: *Præclare enim vixero, ſi quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro*. Idem Philip-

Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectore ineſſe tuo.
Nam te nec vaſti genuerunt æquora Ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero.
Nec conſanguinea redimitus terga caterva,
Cui tres ſunt linguæ, tergeminumque caput.
Scyllaque virgineam canibus ſubcincta figuram:
Nec te conceptam ſæva leæna tulit.

Bar-

pica 2. *Quid autem mali non vidimus?* Et Epiſt. 4. lib. 14. ad Famil. *Quod utinam minus vitæ cupidi fuiſſemus: certe nihil aut non multum in vita mali vidiſſemus.* T. Livius Præfat. Hiſt. *Ego contra hoc quoque laboris præmium petam, uti me a conſpectu malorum, quæ noſtra tot per annos vidit ætas, tantiſper ..... avertam.* Similiter & Græci loquebantur. Callimachus Epigrammate in Cleombrotum Ambracioten apud Sex. Empiricum, libro adverſus Grammaticos cap. 2. *Ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακόν.* *Nullum qui viderat malum morte dignum*: nempe, nullam expertus calamitatem ejuſmodi, cujus remedium in ſola morte poſitum eſſet. Male quidam vertit: *Non in morte mali quid cernens.* Quomodo vertendum eſſet, vel a Cicerone diſcere poterat, qui l. 1. Tuſcul. Quæſtionum hiſtoriam commemorat: *Callimachi quidem Epigramma in Ambraciotam Cleombrotum eſt: quem ait*, quum nihil ei accidiſſet adverſi, *a muro ſe in mare abjeciſſe lecto Platonis libro.* nempe Phædone, ſive de Immortalitate Animi. Dicebant & *bona videre.* M. Tullius pro Milone: *Spero, multa vos liberoſque veſtros in republicâ bona eſſe viſuros. in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos viſuros fuiſſe.* Notum illud Pſalmi ..... *Videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.*

v. 83. *votis contraria vota*] Vel contraria votis meis, qui te mihi conjugem opto: vel ipſis votis tuis priſtinis. Fuit enim tempus quum idem ambo cuperemus, & precaremur.

v. 84. *pectore ineſſe tuo*] Broukhuſius mavult, *pectori ineſſe tuo*; quod reſpondet quidem *τῷ tibi* præcedentis hexametri, ſed omnino durius eſt quam ut conveniat Tibullianæ ſuavitati.

v. 85. *vaſti Ponti*] Scatentis tantummodo belluis & monſtris, ſed a cultu hominum vacui & deſerti. *ἐρήμης θαλάσσης*. Virgilius 1. Æneid. v. 118.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

v. 86. *Chimæra*] De Chimæra omnia vulgata. Vide tamen Indicem noſtrum.

v. 87. *N. conſanguineâ r. terga catervâ*] Subaudi, *Cerberus canis*, quem tacito nomine circumloquitur. *Conſanguinea caterva* ſunt ſerpentes cervicibus, jubæ, ac dorſo Cerberi hærentes, uno atque eodem partu procreati. Catullus pariter Elegia de Coma Berenices appellavit *comas* in capite reginæ reliquas, *ſorores*. Eodem pacto Papinius Statius de Tiſiphone, lib. 11. Thebaid. v. 61.

-- -- -- nec ſe tanta in certamina retur
Sufficere, inferna comitem ni ſede Megæram,
Et conſanguineos in prælia ſuſcitet angues.

Quem locum attulit Broukhuſius. Legunt nonnulli:

Nec canis anguineâ redimitus terga catervâ.

v. 88. *Cui tres ſunt linguæ, tergeminumq. caput*] Horatius ita deſcribit Cerberum Ode 11. lib. 3.

Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, ſanieſque manet
Ore trilingui.

Vide & Oden 19. lib. 2. Propertius item Eleg. 7. l. 4.

Juro ego fatorum nulli revolubile ſtamen,
Tergeminumque canem: ſic mihi molle ſonet.

v. 89. *Scyllaque virgineam canibus ſubcincta*

Digitized by Google

Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis:
Sed culta, & duris non habitanda domus.
Et longe ante alias omnes mitiſſima mater:
Iſque pater, quo non alter amabilior.
Hæc deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

ctas figuram] Perperam legunt alii *ſubmixta*, vel *ſubnixa*. Cicero enim, Lucretius, Virgilius, Ovidius *Scyllam canibus ſuccinctam* dixerunt; quorum teſtimonia protulit Broukhuſius.

ibid. *virgineam figuram*] *Puellarem* ſcilicet, non virginis omnino incorruptæ; præſertim quum de generatione ac partu mentio fiat. Nonnumquam enim *virgines* vocantur a Latinis auctoribus mulieres florenti ætate, quarum virginitas imminuta. Sic Paſiphaë, Minois Cretæ regis uxor, mulier impudica, *virgo* appellatur a Marone Ecl. 6. v. 47. Caſte autem poſuit Noſter *virgineam figuram*, pro γυναικείοις αἰδοίοις, & honeſtius aliquanto quam ipſe Virgilius eadem Ecloga, qui aperte ſcribere non dubitavit, de Scylla:

Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris.

v. 90. *Conceptam tulit*] Pro *concepit*. Sic Elegia 7. lib. 1. *diſſoluenda dedit*, pro *diſſolvit*. Vel pro *utero geſſit*, quod Græci vocant κυοφορεῖν.

ibid. *leæna*] Philargyrius ad illud Eclogæ 2. Virgilii v. 63. *Torva leæna*: *Hoc nomen licet veteres Latinum negent, auctoritate tamen valet. Dicebant enim leonem maſculum & feminam, ut Plautus in Vidularia: Nam audivi feminam ego leonem ſemel parere. Cicero de Gloria lib. 2. ſic ait: Statuerunt gloria leænæ. Leam vero Varro ad Ciceronem dixit lib. 3. Sicut nocet panthera, & lea.* Ovidius quoque lib. 4. Metamorph. v. 102.

Ut lea ſæva ſitim multâ compeſcuit undâ.

quam ſuperius v. 97. *leænam* vocaverat. Non erat cur Guyetus, vir κριτικώτατος, hoc Tibulli diſtichum nothum exiſtimaret.

v. 91. *horrendave Syrtis*] Duæ ſunt Syrtes apud Leptim Africæ oppidum, major & minor: ſed ambæ inhoſpitæ, deſertæ, feræ, arenis oppletæ.

v. 92. *duris non habitanda domus*] *Durus* eſt, ſi de hominis ingenio loquamur, vel patiens laboris, vel qui nulla rerum humanarum miſericordia commovetur: unde *duritia*, & *durities*.

v. 95. *Hæc deus in melius crudelia ſomnia vertat*] Ita Plinius Cæcilius Epiſt. 18. lib. 1. *Proinde diſpice, an tu quoque ſub hoc exemplo ſomnium iſtud in bonum vertas*. Huic Tibullianæ ſimillima eſt locutio Ariſtophanis ἐν νεφέλαις Actu 1. Sc. 6.

-- -- -- φασὶ γὰρ δυσβουλίαν
Τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι· ταῦτα μέντοι τοὺς θεοὺς
Ἅττ' ἂν ὑμεῖς ἐξαμάρτητ', ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν.
-- -- -- *Hoc eſt quod ferunt,*
Stulta conſilia huic ineſſe civitati; ſed tamen
Ea quæ vos peccatis, in melius deos convertere.

Neque abit Euripides in Medea v. 911.

Ἀλλ' εἰς τὸ λῷον σὸν μεθέστηκεν κέαρ.
At in melius tuum mutatum eſt cor.

v. 96. *irrita ferre Notos*] Quemadmodum & amantium perjuria, rem leviſſimam, ut veteres illi cenſebant, venti præ ſe agere, diripere, ac diſſipare dicebantur. Noſter inferius Elegia poſtrema hujus libri:

-- -- -- *Perjuria ridet amantum*
Juppiter, & ventos irrita ferre jubet.

ELEGIA V.

VOs tenet, Etruſcis manat quæ fontibus unda,
Unda ſub æſtivum non adeunda Canem.
Nunc autem ſacris Bajarum proxima lymphis,
Quum ſe purpureo vere remittit hiems.

At

ARGUMENTUM ELEGIÆ V. LIBRI III.

Ad amicos in thermis Etruſcis commorantes, ut pro ipſius valetudine vota ſuſcipiant.

VERSU I. *Etruſcis manat quæ fontibus unda*] Has aquas ut credamus fuiſſe θερμὰς, & multo ſulſure abundantes, illud ſuadet quod ſtatim ſequitur, nimirum adiri non debuiſſe æſtate jam adulta, Seirio ſæviente. In Etruria tamen frigidos etiam fuiſſe fontes, ægrotis curandis utiles, indicat Horatius Epiſt. 15. v. 5.

— — — ſane myrteta relinqui,
Dictaque ceſſantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit; invidus ægris
Qui caput & ſtomachum ſupponere fontibus audent
Cluſinis, Gabioſque petunt & frigida rura.

Cluſium vero Etruriæ oppidum. Bajanas thermas, proprie dictas, a Tibullo hic memorari exiſtimat V. C. MARCELLUS DE VENUTIS, Eques & Marchio, in libello quantivis pretii, quem inſcripſit, *Deſcrizione delle prime ſcoperte dell' antica Città d' Ercolano, ritrovata vicino a Portici*, ec. Hujus autem aquæ fontes propterea Etruſcos appellari cenſet, quod Tyrrheni ſive Etruſci veteres, ut Pauſanias teſtatur, Campaniæ Felicis imperio potiti, eam regionem incoluerint, in primis vero ejus oppida Pompejos & Herculaneum. Quam ſententiam ſi probemus, verſu tertio hujus Elegiæ, *maxima*, non *proxima*, legendum erit.

v. 2. *Unda non adeunda*] Imitatus eſt poeta undarum ſonitum ipſa litterarum & ſyllabarum ſimilium repetitione. Attulit Broukhuſius verſus L. Attii, Phinidis:

Hac ubi curvo litore latrans
Unda ſub undis labunda ſonat.

ibid. *ſub æſtivum Canem*] Ὑπὸ κύνα & πρὸ κυνὸς, ἐργώδεας φαρμακείας quoque, *operoſas* nimirum ac *difficiles medicamentorum præbitiones* eſſe, pronuntiavit Hippocrates Aphoriſmo 5. Sectionis 4.

v. 3. *Bajarum proxima lymphis*] Ita legit Caſpar Scioppius in Paradoxis Litterariis. Hæc autem lectio placuit Nicolao Heinſio in Adverſariis, & Jano Broukhuſio, qui tamen non auſus eſt illam in contextum recipere. Joſephus Scaliger vulgatæ lectioni *maxima* favere maluit, eamque teſtimonio Martialis, & Sidonii Apollinaris confirmavit: quaſi thermæ Etruſcæ, de quibus hoc loco Tibullus, inter fontes calidos, quos Bajas nominabant, ſalubritatis principatum obtinerent. Ceterum Virgilius Ecloga 2. v. 54.

Et vos, o lauri, carpam, & te, proxima myrte.
Sic poſitæ quoniam ſuaves miſcetis odores.

Ubi Servius: *Proxima myrte: vel vicina lauro: vel ad odorem proxima. poteſt enim utrumque intelligi.* Horatius quoque Ode 12. l. 1.

Proximos illi (Jovi) *tamen occupavit*
Pallas honores.

Item Propertius l. 1. Eleg. 13.

Nec mirum, quum ſit Jove digna, & proxima Ledæ,
Et Leda partu.

Addam & alios. M. Tullius Epiſt. 25. l. 10. ad Famil. *Nolo enim te ignorare, quantam laudem conſecutus ſis, mihi crede, proximam Planco.* Plinius N. H. lib. 2. cap. 7. *proximum hominem Deo* dicere non dubitavit. Memorabilia ſunt verba D. Auguſtini

Enar-

At mihi Perſephone nigram denuntiat horam.
Immerito juveni parce nocere, dea.

Non

Enarrat. in Pſalmum 34. Sermone 2. num. 6. *Nonne quum vides duas res prope ſimiles, dicis, Propinquat hæc illi? Et quando tibi diſſimilia demonſtrantur, quamvis uno loco & plerumque una manu teneantur, dicis, Longe eſt hæc ſpecies ab illa? Ambas tenes, ambas adjungis, & dicis, Longe eſt hæc res ab illa: non utique loco, ſed diſſimilitudine*. Idem l. 1. de Peccatorum meritis & remiſſione, c. 22. de morionibus, ſive fatuis homuncionibus, loquens: *Qui mentis lumen ſic amittere meruerunt, ut ſenſu vicino pecoribus naſcerentur*. Conſiderandum eſt etiam quod ſcribit Nonius Marcellus: *Proximum dicebant veteres, non ſolum adhærens & adjunctum, verum etiam longe remotum, ſi tamen inter duo diſcreta nihil medium exſtitiſſet*. Virgilius Æneid. lib. 5.

Proximus huic, longo ſed proximus intervallo,
Inſequitur Salius.

Quod tamen hoc modo vicinum eſt, *ſecundum* potius dici oportere, quam *proximum*, indicat Quinctilianus lib. 10. Inſtit. Orat. cap. 1. ubi de Antimacho: *Sed quamvis ei ſecundas fere Grammaticorum conſenſus deferat, & affectibus, & jucunditate, & diſpoſitione, & omnino arte deficitur, ut plane manifeſto appareat, quanto ſit aliud proximum eſſe, aliud ſecundum*. Idem inferius eodem capite: *Utar enim verbis iiſdem quæ ex Afro Domitio juvenis accepi: qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secundus*, inquit, *eſt Virgilius, propior tamen primo, quam tertio*.

v. 3. *ſacris lymphis*] Quoniam fonti unicuique Nympham ſuam, vel Genium præeſſe putabant, cui ſacer eſſet fons. Præcipue vero conſecratæ habebantur aquæ ſalutiferæ.

v. 4. *purpureo vere*] *Purpureum* pro candido, pulchro, ſplendenti, conſpiciendo non ſemel a Latinis uſurpatur. Virgilius Ecloga 9. v. 40. *Hic ver purpureum*. Soles enim ea tempeſtate, pulſis hibernis nubibus, melius & purius nitere incipiunt.

ibid. *ſe remittit hiems*] Liquefactâ nempe glacie, terræque duritie mollitâ.

v. 5. *nigram horam*] Scilicet, horam mortis. Eodem pacto Propertius lib. 2. Eleg. 24.

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.

Virgilius quoque lib. 6. Æneid. v. 428.

Quos dulcis vitæ exſortes, & ab ubere raptos
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

ibid. *denuntiat horam*] Optime animadvertit Broukhuſius, verbum *denuntiandi* minax & violentum eſſe: præterea, ex Macrobio lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. 7. *denuntiata numquam vaneſcere*. Cicero pro Milone: *Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, ſed præſidium denuntiant*. Propertius Eleg. 3. l. 4.

Illa dies hornis cædem denuntiat agnis.

Sed horæ præcipue *nuntiari* & *denuntiari* dicebantur. Juvenalis Sat. 10. v. 215.

- - - clamore opus eſt, ut ſentiat auris,
Quem dicat veniſſe puer, quot nuntiet horas.

Martialis l. 8. Epigr. 67.

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat.

D. Auguſtinus lib. 2. de Ordine c. 6. *Puer de domo, cui dederamus id negotii, cucurrit ad nos, & horam prandii eſſe nuntiavit*. Quamobrem Plinius lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 53. *Cn. Bæbius Tamphilus, prætura & ipſe functus, obiit quum a puero quæſiſſet horas*.

v. 6. *J. juveni parce nocere, dea*] ἐμφατικῶς. quaſi dicat: O Perſephone, quum dea ſis, & prævalida, noli abuti potentia tua ad me perdendum, qui & juvenis adhuc ſum, & iccirco morti immaturus, & nullo crimine commerui, ut mihi reliquum vivendi tempus abrumperetur tam cito. Movet πάθος ab ætate ſimul, atque integritate. Sed fruſtra; nam deorum inferorum duriſſima erant,

Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.

Ceterum ſimiles querelæ Titi Auguſti morituri, apud Suetonium in ejus Vita cap. 10. *Eripi ſibi vitam immerenti: neque enim exſtare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto dumtaxat uno. Id quale fuerit, neque*

ipſe

Digitized by Google

Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandæ ſacra docere deæ.
Nec mea mortiferis infecit pocula ſuccis
Dextera, nec cuiquam tætra venena dedit.

Nec

ipſe tunc prodidit, *neque cuiquam facile ſuccurrit*.

v. 7. *nulli temeranda virorum*] *Temerabant ſacra*, qui quo ipſis ire non licebat, temere irrumpebant; ut recte explicavit Broukhuſius.

v. 8. *laudandæ ſacra docere deæ*] De Cereris myſteriis hæc intelligenda videntur, quæ ſi quis enuntiaviſſet ac in vulgus protuliſſet, piacularis homo, & graviſſimo ſupplicio dignus habitus olim fuit. Nihilominus, quovis pignore contenderim, *deam laudandam*, Proſerpinam ſeu Perſephonen Tibullo eſſe, cui erant ſacra communia cum Cerere matre. Sane Proſerpina, eadem quæ Cotytto; quam Baptæ ſacris occultis & obſcœnis placabant. Horatius idcirco Epodo 18.

Inultus ut tu riſeris Cotyttia
Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis?

Enimvero Græci ſcriptores hanc deam vocaverunt ἐπαινήν. Homerus 9. Iliad. verſu 457.

Ζεύς τε καταχθόνιος, καὶ ἐπαινὴ Περσεφόνεια.
Et Juppiter ſubterraneus, & laudanda Proſerpina.

Sic pariter eam vocat Heſiodus in Theogonia. Cauſſam hujus cognominis affert Plutarchus in libello, *Quomodo juveni audienda ſint poemata*: Χρῆναι δὲ, inquit, καὶ τὸ τὴν χρῆσιν τῶν ὀνομάτων συνοικειοῦν τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν, ὡς οἱ γραμματικοὶ διδάσκουσιν, ἄλλην πρὸς ἄλλα δύναμιν λαμβανόντων· οἷόν ἐστι,

Νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι.

τοῦ μὲν γὰρ αἰνεῖν συμβαίνεται τὸ ἐπαινεῖν, αὐτοῦ δὲ τοῦ ἐπαινεῖν ἀντὶ τοῦ παραιτεῖσθαι νῦν κέχρηται, καθάπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ καλῶς φαμὲν ἔχειν, καὶ χαίρειν κελεύομεν, ὅταν μὴ δεώμεθα, μηδὲ λαμβάνωμεν. οὕτω δὲ καὶ τὴν ἐπαινὴν, Περσεφόνειαν ἔνιοι φασὶν, ὡς παραιτητὴν, εἰρῆσθαι. hoc eſt: *Etiam illud venuſtum eſt, uſum nominum aptare ſubjectis rebus, quum, ut Grammatici docent, alibi vim habeant aliam. quale eſt:*

Lauda equidem navim parvam, magnæ inſere merces.

Hic illud lauda *pro* recuſa *poſitum eſt, ſicut in ſermone communi valere jubemus id cujus non opus eſt nobis, quodque non libet accipere: unde & Proſerpinam dictam ſunt qui putent* ἐπαινήν, laudandam; *quod omnes eam aſpernentur*. Latinis etiam, *laudare* interdum eſt *aſpernari* & *abominari*. Huc pertinet illud Virgilii 2. Georg. v 412.

— — — laudato ingentia rura, Exiguum colito.

Nec non illud Juvenalis Sat. 1. v. 74. *Probitas laudatur, & alget*. Hac ſignificatione, vel certe ſimillimâ, dixerunt etiam, *laudare ultra placitum*, & *laudare maligne*. Virgilius Ecloga 7. v. 27.

Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 208.

Ac ne forte putes, me, quæ facere ipſe recuſem,
Quum recte tractent alii, laudare maligne.

Hujuſmodi εὐφημισμοῦ deos infernos vocaverunt *manes*, videlicet *bonos*, quamvis nihil minus eſſent. Præiverat Orpheus in Hymnis; qui θεοὺς ὑποχθονίους, μειλιχίους nominare non dubitat, nempe *mites* & *placidos*. Aut fortaſſe poetæ noſtro, *laudanda* fuerit *reverenda*. Plato in Cratylo: Φερρέφαττα δὲ (quæ Græcis eadem eſt ac Περσεφόνη) πολλοὶ μὲν καὶ φοβοῦνται τὸ ὄνομα. *Nomen autem hoc* (Φερρέφαττα) *multi reverentur*.

v. 9. *Nec mea mortiferis infecit pocula ſuccis Dextera*] Veneficus non ſum, puras habeo manus, nemini umquam obtuli mala pharmaca, nemini mortis poculum temperavi.

v. 10. *tætra venena*] Fœda ſcilicet, nocentia, crudelia. Ita Lucretius lib. 4. v. 688.

Sic aliis alius nidor datus, ad ſua quemque
Pabula ducit, & a tætro reſilire veneno
Cogit.

Et

Nec nos ſacrilegos templis admovimus ignes:
Nec cor ſollicitant facta nefanda meum.
Nec nos inſana meditantes jurgia mente
Impia in averſos ſolvimus ora deos.

Et Propertius lib. 2. Eleg. 17.

Nunc jacere e duro corpus juvat, impia, ſaxo,
Sumere & in noſtras tætra venena manus.

Idem lib. eodem Eleg. 24.

Tætra venena libens, & naufragas ebibat undas.

v. 11. *Nec nos ſacrilegos templis admovimus ignes*] Nam impii & ſacrilegi homines, ut deorum fana in turba & confuſione tutius & commodius expilare poſſent, in ea prius ignem injiciebant. Flamma igitur ipſa quodammodo *ſacrilega* vocari potuit; ſacris enim legendis adhibebatur. Hæc tamen lectio ſuſpecta eſt. Invenerat Scaliger in veteri codice:

Nec nos ſacrilegi templis admovimus egros.

unde legendum conjiciebat,

Nec nos ſacrilegi templis admovimus ergo:

nempe, *ſacrilegii ergo*, ſive cauſsâ furandi ſacra. Non ſolet vero Tibullus ita loqui. Nos levi mutatione locum ſanitati reſtituebamus:

Nec nos ſacrilegi templis admovimus ægros.

Hoc pacto autem explicabamus. In Æſculapii fano cubabant olim ægroti, ut diſcerent ſomnio moniti, an ſpes ulla reliqua eſſet convaleſcendi, & quibus medicamentis valetudinem priſtinam recipere poſſent. Eam ſuperſtitionem ridet Arnobius lib. 1. contra Gentes. *Quum Æſculapium ipſum, ait, datorem, ut prædicant, ſanitatis, quoad ipſis ſuperfuit vita, & precibus fatigarent, & miſerrimis votis invitarent, nonne alios ſcimus malis ſuis commortuos? cruciatibus alios conſenuiſſe morborum? perniciosius alios ſe ſe habere cœpiſſe, poſtquam dies noctesque in continuis precibus, & ſanitatis exſpectatione triverunt? Quid ergo prodeſt oſtendere unum aut alterum fortaſſe curatos, quum tot millibus ſubvenerit nemo, & plena ſint omnia miſerorum infeliciumque delubra?* Præcipiebat Æſculapius convalituris quædam remedia, certo, ut eo tempore exiſtimabant, profutura: id quod teſtantur M. Antoninus Imperator l. 5. τῶν εἰς ἑαυτὸν, num. 8. & Ariſtides Rhetor Orat. 1. ἱππασίαι puta, ψυχρολουσίαι, ἀνυποδησίαι, ἀλουσίαι, ἀσιτίαι. hoc eſt, *ut equitarent, frigida perlaverentur, ſine calceis incederent, illuvie aut inedia uterentur*. Audire juvat Cappadocem lenonem apud Plautum Curculione 2. 1. 1.

Migrare certum eſt jam nunc e fano foras,
Quando Æſculapii ita ſentio ſententiam:
Ut qui me nihili faciat, nec ſalvum velit.

Somnio videlicet ei denuntiata fuerat mors, vel morbus perpetuus. Hinc facile eſt colligere, a Tibullo quoque id ſuperſtitioſum remedium tentatum, cubandi nempe in fano Æſculapii, nullo tamen ſucceſſu: & propterea conqueſtus ait, ſe non ingreſſum ſacraria coinquinatum ſacrilegii labe. Fruſtra enim ſacrilegi deorum opem implorent, quorum fana compilaverunt.

Quid enim ſperare nocentibus ægris
Conceſſum? vel quæ non dignior hoſtia vitâ?

inquit Juvenalis Sat. 13. v. 234. Exſtat elegans Æſopi Apologus in hanc ſententiam: Κόραξ νοσῶν ἔφη τῇ μητρί· Μῆτερ εὔχου τῷ θεῷ, καὶ μὴ θρήνει. Ἡ δ' ὑπολαβοῦσα ἔφη· Τίς σε, ὦ τέκνον, τῶν θεῶν ἐλεήσει; τίνος γὰρ κρέας ὑπὸ σοῦ γε οὐκ ἐκλάπη; h. e. *Corvus ægrotans ait matri: Mater, precare deum, nec lamentare. Ea vero reſpondens dixit: Quis deorum, o fili, miſerebitur tui? cujus enim tu carnes non es furatus?*

v. 12. *Nec cor ſollicitant facta nefanda meum*] Sollicitum & anxium habent; flagello intimo cædunt, tamquam domeſticæ Furiæ; ut vultures Tityum, vel aquila Prometheum, rodere atque exedere pergunt. *nam ſe Judice nemo nocens abſolvitur*; ait Juvenalis Sat. 13. v. 2.

v. 14. *averſos deos*] Qui avertunt ſe a ſupplicibus, & illorum preces audire nolunt.

ibid. *ſolvimus ora*] Os enim conviciantium, & maledicentium ἀχάλινον. Ovidius non ſemel hac locutione uſus. Lib. 9. Metam. v. 425.

Et nondum cani nigros læſere capillos,
  Nec venit tardo curva ſenecta pede.
Natalem noſtri primum videre parentes
  [Quum cecidit fato conſul uterque pari]
Quid fraudare juvat vitem creſcentibus uvis?
  Et modo nata mala vellere poma manu?

Par-

Cui ſtudeat, deus omnis habet: creſcitque favore
Turbida ſeditio; donec ſua Juppiter ora Solvit.
Idem lib. 1. v. 151.
Talibus inde modis ora indignantia ſolvit.
Et lib. 15. v. 73.
— — — primus quoque talibus ora
Docta quidem ſolvit, ſed non & credita, verbis.
Denique lib. 7. v. 190.
— — — ternis ululatibus ora Solvit.

v. 15. *Et nondum cani nigros læſere capillos*] Dixerat ſuperius v. 6.
Immerito juveni parce nocere, dea.
Hactenus vero expoſuit, cur haud meritus fuerit properam mortem atque immaturam; quod ſcilicet neque deorum contemtorem, neque veneficum, neque ſacrilegum, neque alio ſcelere contaminatum ſe præſtiterit: nunc a viridi ætate ſua miſericordiæ cauſſam ducere conatur. Egregie tamen Broukhuſius colligit, Tibullum in juventute quidem ad plures abiſſe, propiorem tamen ſeniori, quam adoleſcenti. Romani enim juniores appellabant eos qui ætatis annum quadrageſimum ſextum nondum exceſſiſſent; teſte A. Gellio, & Cenſorino de Die Natali. Porro *læſere* uſurpat noſter pro *immutavere*, *variavere*. Idem verbum uſurpavit Naſo lib. 3. Artis Amat. v. 703. de frondibus autumnali frigore contactis, & decoloratis:
Palluit, ut ſeræ, lectis de vite racemis,
Palleſcunt frondes, quas nova læſit hiems.

v. 17. *Natalem noſtri primum v. p.*] Recte appellavit *natalem* ſui *primum*, diem quo natus erat: nam toto deinceps vitæ tempore, ortus uniuſcujuſque anniverſarii dies, *natales* & ipſi vocabantur. Horatius Epiſt. 2. lib. 2. v. 210. *Natales grate numeras?* pro *annos vitæ incipientes*. Ovidius quoque lib. 1. Artis Amat. v. 183. de Cajo, Agrippæ filio, Auguſti nepote:
Parcite natales, timidi, numerare deorum:
Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Cenſorinus de Die Natali cap. 16. ſic locutus eſt quemadmodum Tibullus: *Tempus hodiernum*, ait, *quo maxime flores, quam potero lucidiſſimis notis ſignabo: ex quo etiam primus ille tuus natalis liquido noſcetur*. Eſſe unum tantum hominis natalem diem, & præterea nullum in tota vita, multo minus autem poſt mortem ſingulorum, diſputat Cicero lib. 2. de Finibus, cap. 31. *Hæc ego*, inquit, *non poſſum dicere non eſſe hominis & belli & humani; ſapientis vero nullo modo, phyſici præſertim, quem ſe ille eſſe vult, putare ullum eſſe cujuſquam diem natalem. Quid? verène poteſt eſſe dies ſæpius, qui ſemel fuit? certe non poteſt. an ejuſdemmodi? ne id quidem, niſi quum multa annorum interceſſerint millia, ut omnium ſiderum eodem unde profecta ſint, fiat ad unum tempus reverſio: nullus eſt igitur cujuſquam dies natalis.*

v. 18. *Quum cecidit fato Conſul uterque pari*] Verſiculus hic uncis incluſus, Tibulli non eſt. Verum homines male feriati, quum hoc loco intercidiſſe pentametrum viderent, neque lacunam æquo animo ferre poſſent, hunc verſum ex Ovidii Elegia 10. lib. 4. Triſtium audacter ſumſerunt, ac Tibullo affinxerunt, pannum quidem ſplendidum aſſuentes, ſed ex aliena purpura. Utinam exſtaret verus pentameter ac legitimus: ejus nempe fidem ſecuti, certius aliquid de Tibulli ætate ſtatuere ac pronuntiare poſſemus. Conſule tamen, lector candide, quæ de Vita hujus poetæ Commentario huic noſtro præpoſuimus. Sed & hexameter hujus diſtichi mihi ſuſpectus eſt.

v. 19. *Quid fraudare juvat vitem creſcentibus uvis?*] Hæc ſuffuratus eſt Naſo l. 2. Amor. Eleg. 14.

Quid

Digitized by Google

Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
  Duraque ſortiti tertia regna dei.
Elyſios olim liceat cognoſcere campos,
  Letheamque ratem, Cimmerioſque lacus,
Quum mea rugoſa pallebunt ora ſenecta,
  Et referam pueris tempora priſca ſenex.
Atque utinam vano nequidquam terrear æſtu!
  Languent ter quinos ſed mea membra dies.
At vobis Tuſcæ celebrantur gramina Nymphæ,
  Et facilis lenta pellitur unda manu.

Vivi-

Quid plenam fraudas vitem creſcentibus uvis,
Pomaque crudeli vellis acerba manu?

v. 20. *modo nata poma vellere*] Suaviter M. Tullius in Catone Majore : *Quaſi poma, ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur : ſi matura & cocta, decidunt : ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.*

ibid. *mala manu*] Maligna, crudeli. Inſcriptio vetus apud Gruterum, p. DCCLXXXVI. 5. QVO TEMPORE. VIVERE. DEBVIMVS. A. MANV. MALA. DISPARATI. SVMVS. Catullus in Priapejis:

Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malaſque furis arceo manus.

v. 22. *tertia regna*] Quum Juppiter, Neptunus, Pluto, qui & Orcus, & Dis pater, Saturni patris hereditatem ſorte dividerent inter ſe, cæleſte regnum Jovi, marinum Neptuno, ſubterraneum Plutoni obtigit: quod tertium, ſeu poſtremum eſt in rerum univerſitate. Hoc autem incolunt, ſi fabulis auſcultes, & alii dii; quibus tamen omnibus Pluto imperat. Noſter Panegyrico ad Meſſalam v. 68. de Ulixe:

Vidit, ut inferno Plutonis ſubdita regno
Magna deûm proles levibus diſcurreret umbris.

v. 23. *Elyſios campos*] De quibus tam multa & magnifica Græcæ fabulæ : quos tamen aſpernantur & deprecantur omnes, differentes in ultimam ſenectutem. Celeberrimus eſt locus Virgilii Georg. l. 1. v. 36. ad Auguſtum:

– – – nam te nec ſperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elyſios miretur Græcia campos,
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem.

v. 24. *Cimmerioſque lacus*] Inferorum lacus vocat *Cimmerios*, propter obſcuritatem. Cimmerii enim Homero populi ſunt ἠέρι ἐν νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, *caliginoſo aere ac nebuloſo tecti*, apud quos denſæ ac profundæ ſilvæ Solis radios omnino excludunt. Ad hos acceſſit Ulixes, quum regionem mortuorum vellet inviſere ; tamquam inferorum aditum & januam. Proverbium eſt, *Cimmeriæ tenebræ*.

v. 26. *Et referam pueris tempora priſca ſenex*] Eamdem ſententiam expreſſit lib. 1. Elegia 10.

Sic ego ſim, liceatque caput candeſcere canis,
Temporis & priſci facta referre ſenem.

Tibullus a ſe ipſo non abit.

v. 27. *A. u. vano nequidquam terrear æſtu!*] Dii faciant, ut febris qua laboro, fruſtra me terreat æſtu ſuo : neque mortifera ſit, ſed ſanabilis.

v. 28. *Languent ter quinos ſ. mea membra dies*] Ita ſuperius Elegia 5. lib. 2.

-- -- -- jaceo quum ſaucius annum.

v. 29. *Tuſcæ c. gramina Nymphæ*] Cui nimirum aqua illa ſacra erat. Hac ipſa Elegia v. 3.

Nunc autem ſacris Bajarum proxima lymphis.

Herboſis riparum marginibus delectari creditæ Nymphæ fluviorum & fontium. Papinius Statius lib. 1. Silvarum Carm. 3. v. 43. ubi de thermis Manlii Vopiſci:

An

Vivite felices, memores & vivite noſtri,
Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mixta mero.

An quæ graminea ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quaque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas.

Porro, quum ripa ad flumen pertineat, & ſit quodammodo ejus pars, icciteo dixit Propertius lib. 1. Eleg. 3. de Baccha procumbente in Apidani ripa:

Nec minus aſſiduis Edonis feſſa choreis
Qualis in herboſo concidit Apidano.

Exiſtimat Broukhuſius, a Tibullo intelligi campum, quo exercebantur ante lavationem, & natationem. Ceterum lymphas ipſas & fontes, antiqui *Nymphas* dicebant, ut panem Cererem, & vinum Bacchum ſeu Liberum. Martialis Epigr. 47. l. 6.

Nympha, mei Stellæ quæ fonte domeſtica puro
Laberis, & domini gemmea tecta ſubis.

v. 30. *Et facilis lentâ pellitur unda manu*] Geſtus natantis expreſſus mirifice.

v. 32. *ſeu nos fata fuiſſe volent*] Sive fatales annos jam expleverimus; ut alibi loquitur: ſive mortem obiverimus. Mortui autem, *fuiſſe* dicuntur, hoc eſt *vixiſſe*. Pedo Albinovanus Elegia in obitum Mæcenatis:

Mollibus ex oculis aliquis tibi decidet humor,
Quum dicar ſubita voce fuiſſe tibi.

Vide Nic. Heinſium ad Ovid. Epiſt. Helenæ, v. 192. Abſtinet Tibullus a nominanda morte, κατ' εὐφημίαν.

v. 33. *nigras pecudes p. Diti*] Victimæ atri coloris, Plutoni & Manibus cædebantur. Inſignis eſt locus Valerii Flacci lib. 1. Argonautic. v. 774.

Ergo ſacra novat. veteris ſub nocte cupreſſi
Sordidus, & multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc: cui cæruleæ per cornua vittæ,
Et taxi frons hirta comis: ipſe æger, anhelans,
Impatienſque loci, viſaque exterritus umbra.
Hunc ſibi præcipuum, gentis de more nefandæ
Theſſalis in ſeros Ditis ſervaverat uſus.

ibid. *promittite*] Vovete, ſpondete pro capite meo ac ſalute. Infernis enim diis animas pecudum pro vita hominum, ἀμοιβῇ & compenſationem dabant. Ita Entellus apud Virgilium Æneid. lib. 5. v. 483. percuſſo cæſtibus tauro, hæc ad Erycis manes:

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Perſolvo.

Ovidius etiam lib. 6. Faſtorum v. 161. ubi de bimeſtri porca:

Cor pro corde precor, pro fibris ſumere fibras;
Hanc animam vobis pro meliore damus.

v. 34. *Et n. lactis pocula mixta mero*] Lac, mel, ſanguinem, vinum diis inferorum libabant. Vide Homerum Odyſſeæ lib. 11. ubi Ulixes occiſis hoſtiis manes evocat.

ELE-

ELEGIA VI.

CANDIDE Liber ades. ſic ſit tibi myſtica vitis
Semper; ſic hedera tempora vincta geras.
Aufer & ipſe meum pariter medicande dolorem.
Sæpe tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoſo pocula Baccho:
I, nobis prona funde Falerna manu.

Ite

ARGUMENTUM ELEGIÆ VI. LIBRI III.

Mœrore confectus, quod Neæra pactam ſibi fidem violaverit, curas ebrietate abigere ſtatuit: ſed amore impellente, ſæpius ad querelas relabitur. Eſt autem Elegia ſuaviſſima, & miris animi perturbationibus plena.

VERSU I. *Candide Liber*] Bacchum appellat candidum, vel quod pulcher tenerque effingeretur, & virginis quaſi formâ: vel quod vinum, Bacchi munus, potores efficiat candidos, & veraces. Priore ſignificatione Virgilius Ecloga 2. v. 14.

Nonne fuit ſatius, triſtes Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.

Idem Ecloga 5. v. 56.

Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes, & ſidera Daphnis.

Poſteriore, Horatius Epiſtola 4. lib. 1. ad Tibullum noſtrum data:

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex.

ibid. *myſtica vitis*] Nam in ſacris Bacchi, quæ & myſteria, & orgia, & initia dicebantur, magnus erat vitis uſus, palmitum, pampinorum, uvarum.

v. 2. *ſic hederâ tempora vincta geras*] Quare corona Liberi patris hederacea fuerit, plures cauſſæ feruntur. Quum puer a noverca Junone, eum perdere optante, quæreretur, Nymphæ Nyſiades in cunis jacentem frondibus hederæ injectis occuluere. Ciſſus quoque adoleſcentulus, quem Bacchus vehementer adamabat, in hederam mutatus perhibetur. Fabulam recitat Conſtantinus Porphyrogennetus lib. 11. Geoponicon, cap. 30. Sed & vates coronam ex hedera capiti imponebant: Bacchus autem diis fatidicis, & furorem quemdam futurorum præſcium inſpirantibus annumerabatur. Quocirca poetæ coronam eamdem ſibi ſumſerunt: id enim genus jactare ſolet vaticinandi ſcientiam. Horatius Ode 1. l. 1.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dis miſcent ſuperis.

Perſius Prologo Satyr.

Heliconiadaſque, pallidamque Pirenen
Illis remitto quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces.

Pindarus Ode 1. Olympiorum vocat Bacchum παῖδα κισσοφόρον. *puerum hederigerum.*

v. 3. *pariter medicande*] Siquidem, o Bacche, ipſe olim eodem morbo laboraviſti, quo ego nunc laboro: propterea tibi neceſſe fuit eamdem adhibere medicinam, vino ſcilicet curas pellere. *medicande* autem pro *medicandus*, dictum exiſtimat Broukhuſius.

v. 4. *cecidit*] A te victore ſupplantatus. Pari translatione, a luctatoribus deſumta, uſus eſt Horatius Epiſt. 1. lib. 2. v. 176.

Securus, cadat an recto ſtet fabula talo.

v. 5. *Care puer*] Ita Silius Italicus lib. 6. Punic. v. 537.

Tu quoque, care puer, dignum te ſanguine tanto
Fingere ne ceſſa.

Theocritus etiam Eidyllio 27. v. 51. Θάρ-

σει

Ite procul durum curæ genus, ite labores.
Fulſerit hic niveis Delius alitibus.
Vos modo propoſito dulces faveatis amici,
Neve neget quiſquam me duce ſe comitem.
Aut ſi quis vini certamen mite recuſat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus: ille ferocem
Contudit, & dominæ miſit in arbitrium.

Ar-

ετι κῶρα φίλα. *Bono animo es, cara puella.* Vernam puerum Tibullus compellat, ſeu domi ex ancilla natum, cujuſmodi proſequebantur paterno amore, quibuſque ad cyathos uti ſolebant. Ex horum numero fuiſſe crediderim Alcimum illum, quem ita Martialis mortuum alloquitur Epigr. 89. lib. 1.

Alcime, quem raptum domino creſcentibus annis
Labicana levi cæſpite velat humus.
Accipe, care puer, noſtri monumenta laboris:
Hic tibi perpetuo tempore vivet honor.

ibid. *generoſo Baccho*] Nobili vino & laudato, non Vejentano aut vappa. Horatius Epiſt. 15. v. 18.

Ad mare quum veni, generoſum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas animumque meum.

v. 6. *prona manu*] Efficax ἐπίδοτον. *Prona manus*, eſt ad pocillandum & miniſtrandum inclinata, quæ largiorem vini potum aſſidenti non invideat, ſed ἀφθόνως fundat, & lagenam invertat.

v. 7. *Ite procul durum curæ genus*] Callimachus pariter apud Euſtathium in lib. 1. Iliados: Ἔλθετε βασκανίης ὀλοὸν γένος. *Faceſſite invidia exitiale genus.*

ibid. *ite labores*] Animi angores, qui meracioribus poculis minuuntur & diſſipantur. Horatius Ode 7. lib. 1.

ſic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam vitæque labores
Molli, Plance, mero.

Triſtitiam ponit ibi Venuſinus poeta pro ſeveritate, ac vita curis exercita, qualis eſt frugi hominum & σπουδαζόντων.

v. 8. *Fulſerit*] Pro *fulgeat*.

ibid. *niveis alitibus*] Candidis avibus, & icci̇rco proſpera ac læta portendentibus.

ibid. *Delius*] Quem *augurem* vocat Horatius Ode 2. lib. 1.

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

v. 10. *Neve neget quiſquam me duce ſe comitem*] Ita locutus poeta Venuſinus Ode 35. l. 1. ad Fortunam:

Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcumque mutatâ potentes
Veſte domos inimica linquis.

Et Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut. v. 694. -- -- *an ſe ſe comitem tam triſtibus actis Abneget?* Silius Italicus variavit lib. 3. Punic. v. 109.

Me ne, oblite tua noſtram pendere ſalutem,
Abnuis inceptis comitem?

Minutius Felix quoque in Octavio: *Et quum, diſcuſſa caligine, de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ & veritatis emergerem, non reſpuit comitem* (h. e. ſe comitem non abnegavit) *ſed, quod eſt glorioſius, præcucurrit.*

v. 11. *vini certamen mite*] Sine ſanguine. Prœlia enim cruenta compotores non decent. Apposite Horatius Ode 27. l. 1.

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare, Thracum eſt. tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

v. 13. *Ille facit dites animos deus*] Vinum ſcilicet large potum ſpei reducendæ utile eſt. Porro qui ſperant, egeſtatem ſuam

ſpe

Digitized by Google

Armeniæ tigres, & fulvas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & majora valet. Sed poſcite Bacchi
Munera. quem veſtrum pocula ſicca juvant?
Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illis
Qui ſe, quique una vina jocoſa colunt.
Jam venit iratus nimium, nimiumque ſeveris.
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his pœnas qualis quantuſque minetur,
Cadmææ matris præda cruenta docet.

Sed

ſpe divitiarum ſolantur. Quamobrem Horatius Epiſt. 15. v. 19. *ſpem* appellavit *divitem*, quum de vini potu loqueretur: promiſſa enim ſpei liberalia ſunt & magnifica.

Ad mare quum veni, generoſum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas.

Idem Ode 21. lib. 3. ad amphoram vini:

Tu ſpem reducis mentibus anxiis,
Vireſque; & addis cornua pauperi.

Quod imitatus eſt Naſo lib. 1. Artis Amat. v. 239. de homine ebrio:

Tunc veniunt riſus; tunc pauper cornua ſumit.

Extollitur nimirum, aliquis ſibi videtur.

v. 14. *Contudit*] Perdomuit, viribus fractis. Ut enim ait Ovidius loco memorato:

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos.

v. 15. *Armeniæ tigres, & f. i. leænas Vicit*] In ſaltibus Armeniæ, tigres & leænæ ſtabulantur ferociſſimæ. Finxerunt autem veteres, Bacchum tigres ac leænas, quas perdomuiſſet, currui ſuo junxiſſe; ut ſignificarent, nullum eſſe hominem tam difficilis naturæ, quin emolliatur & frangatur bibendo. Ceterum tigribus leones addidit etiam Papinius lib. 2. Silvar. Carm. 1. v. 8.

citius me tigris abactis
Fœtibus, orbatique velint audire leones.

v. 17. *Hæc Amor, & majora valet*] Non equidem negaverim, ait, nonnumquam ab Amore Bacchum, rebus geſtis æquari & ſuperari. Nihilominus ne deſpondeamus animum, experiamur quid efficere poſſit vini vis, poſcamus majoribus poculis.

v. 18. *pocula ſicca*] Cyathi vacui, mero exhauſto: vel ſemipleni, vel parvi, qui ſiccos homines deceant, nempe ſobrios & abſtinentes. Horatius Ep. 19. v. 8.

Forum putealque Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris.
Hoc ſimul edixi; non ceſſavere poetæ
Nocturno certare mero, putere diurno.

v. 19. *Convenit ex æquo*] Libero patri cum libenter potantibus nulla diſcordia eſt.

ibid. *nec torvus Liber in illis*] Eos enim placidus & mitis aſpicit, non ſæve ac ſupercilio ſubducto. *in illis*, dictum elegantiſſime. Sic Propertius l. 3. Eleg. 19.

Victor erat quamvis, æquus in hoſte fuit.

v. 20. *vina jocoſa*] Huc pertinet locutio παροιμιακὴ, *in joco atque vino*. Catullus Carm. 12.

Marrucine Aſini, manu ſiniſtra
Non belle uteris in joco atque vino.

v. 21. *J. venit iratus nimium, nimiumq. ſ.*] Cicero Philip. 3. *Hac ille crudelitate imbutus, quum multo bonis omnibus veniret iratior quam illis fuerat quos trucidarat: cui tandem veſtrûm, aut cui omnino bono peperciſſet?*

ibid. *ſeveris*] A bibendo abſtinentibus. quod ante me viderunt Livinejus, & Gulielmius.

v. 22. *irati numina magna*] Deos mortalibus iratos, majore ac terribiliore ſpecie iis apparere conſueviſſe, recte animadvertit Broukhuſius, confirmatque Callimachi, Virgilii, Senecæ, ac Juvenalis teſtimoniis.

v. 23. *qualis quantuſque*] Hæc etiam iram,

Digitized by Google

Sed procul a nobis hic ſit timor: illaque, ſi qua eſt,
Quid valeat læſi, ſentiat, ira dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
Aeriæ & nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei ſupereſt tibi cura, Neæra:
Sis felix, & ſint candida fata tua.

At

ram, & ſtaturam ingentem Bacchi ultoris pulchre ſignificant. Modus loquendi optimis poetis familiaris. Virgilius Æneid. lib. 2. v. 589.

Quum mihi ſe, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulſit
Alma parens, confeſſa deam; qualiſque videri
Cælicolis, & quanta ſolet.

Idem 3. Æneid. v. 641.

qualis quantuſque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera preſſat.

Ovidius lib. 3. Metamorph. v. 284.

quantuſque & qualis ab alta
Junone excipitur; tantus taliſque rogato
Det tibi complexus: ſuaque ante inſignia ſumat.

Valerius Flaccus lib. 4. Argonautic. v. 604.

Sed qualis, ſed quanta viris inſultat Enyo,
Divaque Gorgonei geſtatrix innuba monſtri.

Sumſerunt omnes ab Homero, qui lib. 24. Iliad. v. 629.

Ἤτοι Δαρδανίδης Πρίαμος θαύμαζ' Ἀχιλῆα
Ὅσσος ἔην, οἷός τε. θεοῖσι γὰρ ἄντα ἐῴκει.
Dardanides quidem Priamus admirabatur Achillem,
Quantus erat, qualiſque: deorum enim inſtar videbatur.

v. 24. *Cadmeæ matris præda cruenta docet*] Seneca Œdipode v. 1005.

qualis attonita & furens
Cadmæa mater abſtulit gnato caput.

Pentheus Thebarum rex Bacchi orgia contemnebat. Hunc Agave mater, Cadmi filia, quum per ſilvam diſcurreret iiſdem ſacris operata, in veteri lentiſco latentem deprehendit, viſaque ſibi leonem ſive aprum cernere, caput illi gladio recidit, avulſumque circumtulit. Reliquum corpus diſcerpſerunt Ino, & Autonoë ſorores Agaves. Hoc facinus pulchre deſcribit Theocritus Idyllio 26. itemque Ovidius lib. 3. Metamorph. ſub finem.

v. 25. *illaque, ſi qua eſt Quid valeat l. ſ. i. d.*] Non hoc ad Agaven referendum, ut male Joſephus Scaliger, & Achilles Statius, quibus adſtipulatur Douza pater: ſed ad Neæram. Sequitur enim ſtatim: *Quid precor ah demens?* Maledixerat poeta puellæ infideli, ſed eum continuo pœnituit maledictorum; quod ſolent amantes. Icciroo abſtinet a nomine, utiturque oratione imperfecta, quaſi lingua non audeat aperte conviciari: *Si qua eſt*. Broukhuſius hoc ita interpretatur: *quam ego natam vix puto; quam in numero mortalium ut habeam, ægre a me ipſe impetro*. In hac explicatione non acquieſco. Quum dixiſſet Tibullus, *illaque*, ſubaudiens Neæram, addidit ſine mora, *ſi qua eſt*; nempe, ſi uſquam eſt puella iſta perfida, cui mala tanta imprecari debeam. Optat enim, cauſſam maledictorum falſam eſſe.

v. 26. *Quid valeat læſi, ſentiat, ira dei*] Hoc in verſu σύγχυσις eſt verborum, quales haud raro uſurpat Horatius. *Lædere deos* dicebant, pro majeſtatem deorum contemnere, honorem iis debitum denegare. Noſter Elegia 9. lib. 1.

Parcite, Cæleſtes: æquum eſt impune licere
Numina formoſis lædere veſtra ſemel.

Horatius Epodo 15.

Quum tu magnorum numen læſura deorum
In verba jurabas mea.

Propertius item lib. 2. Eleg. 15.

Læſerunt nullos pocula noſtra deos.

v. 28. *diripienda ferant*] Pro *diripiant*. Sic diſſolvenda *dare*, pro *diſſolvere*. Noſter Elegia 7. l. 1.

Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſolüenda dedit.

v. 31.

Digitized by Google

At nos ſecuræ reddamus tempora menſæ.
  Venit poſt multos una ſerena dies.
Hei mihi, difficile eſt imitari gaudia falſa:
  Difficile eſt triſti fingere mente jocum.
Nec bene mendaci riſus componitur ore,
  Nec bene ſollicitis ebria verba ſonant.
Quid queror infelix? turpes diſcedite curæ.
  Odit Lenæus triſtia verba pater.

Gno-

v. 31. *ſecuræ reddamus tempora menſæ*] Multis exantlatis laboribus, reliquum tempus genio, & jucundæ comeſſationi deberi videtur: quamobrem Tibullus verbo *reddendi* elegantiſſime uſus eſt. Illud Martialis non diſſimile Epigr. 49. l. 1.

Non impudenter vita, quod reliquum eſt, petit,
Quum fama, quod ſatis eſt, habet.

Reddere amorem, quaſi debitum, Ovidius pariter dixit Epiſt. Phædræ v. 53.

Forſitan hunc generis fato reddamus amorem:
Et Venus ex tota gente tributa petat.

v. 32. *poſt multos*] Subaudi *nubilos*, *triſtes*.

v. 33. *Hei mihi*] Affectionis ſubita commutatio, quarum egregius artifex poeta noſter. Inſtabiles enim amatorum animi, & facile mobiles.

ibid. *imitari gaudia falſa*] Nimirum, in dolore ita imitari gaudentem, ut ſola imitatio gaudii vera ſit, gaudium ipſum fictum.

v. 34. *Difficile eſt triſti fingere mente jocum*] Euripides Hecuba v. 663.

Ἐν κακοῖσι δὲ
Οὐ ῥᾴδιον βροτοῖσιν εὐφημεῖν στόμα.
In malis vero
Non facile hominibus læta dicere ore.

v. 35. *Nec bene mendaci riſus componitur ore*] Cicero lib. 3. Tuſcul. Quæſt. de Socrate: *Jure autem erat ſemper idem vultus, quum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio.* Seneca Conſolat. ad Helviam, c. 16. *Per ipſum tamen compoſitum fictumque vultum lacrimæ profunduntur.* Juvenalis Sat. 9. v. 18.

Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia; ſumit utrumque
Inde habitum facies.

Quibus concinit Dantes Aligherius Purgatorii Cantu 21.

Ma non può tutto la virtù che vuole.
Che riſo e pianto ſon tanto ſeguaci
Alla paſſion, da che ciaſcun ſi ſpicca,
Che men ſeguon voler ne' più veraci.

Contraria Tibulli ſententiæ loquitur M. Tullius Epiſt. 9. lib. 1. ad Famil. *Idemque non ſolum fronte atque vultu, quibus ſimulatio facillime ſuſtinetur, declarant ii qui tum noſtro illo ſtatu optimates nominabantur: ſed etiam ſenſu ſæpe jam tabellaque docuerunt.*

v. 36. *Nec bene ſollicitis ebria verba ſonant*] Hinc derivaſſe videtur Plinius Cæcilius quæ ſcribit Oratione ad Trajanum: *Aliud ſollicitudinis, aliud ſecuritatis ingenium eſt; alia triſtium inventio, alia gaudentium. Neutrum ſimulationes expreſſerint. habent ſua verba miſeri, ſua verba felices. Ebria verba*, ſunt ebriorum propria, levia nimirum, futilia, temeraria, inconſiderata. Dantes Inferni Cantu 27.

Domandommi conſiglio, ed io tacetti,
Perchè le ſue parole parvero ebbre.

v. 37. *turpes curæ*] Indecoræ, ſodalitio & convivio minus convenientes.

v. 38. *Lenæus pater*] *Lenæus*, unum e Bacchi cognominibus, ἀπὸ τῶν ληνῶν, a prælis ſeu torcularibus, quibus vinum ex uvis exprimitur. Ovidius initio l. 4. Metamorph. præcipuas Liberi patris προσαγορεύσεις eleganter complexus eſt:

Turaque dant: Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque,

Igni-

Digitized by Google

Gnoſia, Theſeæ quondam perjuria linguæ
Fleviſti ignoto, ſola relicta, mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: Felix, quicumque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo.

Nec

Ignigenamque, ſatumque iterum, ſolumque bimatrem.
Additur his Nyſeus, indetonſuſque Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis conſitor uvæ,
Nyctelíuſque, Eleleuſque parens, & Iacchus, & Evan:
Et quæ præterea per Grajas plurima gentes
Nomina, Liber, habes.

v. 39. *Gnoſia*] Convertit ſermonem ad Ariadnam, Minois Cretæ regis filiam, quam Theſeus conjugio ſibi copulatam, & a domo patris abductam, immemor beneficiorum, in inſula Naxo aſpera & deſerta dormientem reliquit. Huic miſeræ mulieri, a perjuro amatore deceptæ, ſe confert Tibullus: Neæram vero, infidelem puellam, Theſeo comparat. *Gnoſiam* vocat, quod Gnoſos fuerit una e celeberrimis Cretæ urbibus.

v. 40. *Fleviſti ignoto mari*] Nempe in litoribus & ſcopulis humano cultu vacuis, ſurdum mare allocuta. Propertius pariter lib. 1. Eleg. 15.

At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo
Deſertis olim fleverat æquoribus.
Multos illa dies incomtis mæſta capillis
Sederat, injuſto multa locuta ſalo.

v. 41. *Sic cecinit pro te doctus, Minoï, Catullus*] Te conquerentem ac diras Theſeo imprecantem induxit Veronenſis poeta in poemate quovis pretii de Nuptiis Pelei, ac Thetidos, verbaque & ſententias dolori tuo pulcherrime accommodavit.

ibid. *doctus Catullus*] *Docti* cognomen veteres Catullo tribuiſſe, quod is poeta nequitias, veneres, amores mira urbanitate ac ſingulari exprimere potuiſſet, ultraque omnes imitatorum conatus in eo genere excelleret, contendit Caſpar Barthius, vir πολυμαθέστατος, lib. 52. Adverſariorum, c. 15. Non tamen ob id ſolum præcipuæ doctrinæ famam aſſecutum fuiſſe crediderim poetam omnium elegantiſſimum; ſed quod omnia ejus de quocumque argumento, dictantibus Muſis & Gratiis lucubrata fuiſſe videantur. Norunt qui aures teretes habent, & exercitatas notandis virtutibus auctorum: pædagogos enim nihil moror, & litterariam plebeculam, cui palatum fatuum eſt, & *læva in parte papillæ Nil ſalit.*

v. 43. *Vos ego nunc moneo*] Sodales & compotores alloquitur, tamquam ſi diceret: Monuit puellas Catullus, ne virorum juramentis fidem haberent, propoſito exemplo Theſei & Ariadnæ: ego viciſſim juvenes moneo, ut ſibi caveant a muliercularum levitate, propoſito exemplo Neæræ, quæ me in amorem induxit, falſa ſpe lactavit, ac deinde prodidit. Juvenalis pariter Sat. 6. v. 628.

Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior eſt res,
Cuſtodite animas, & nulli credite menſæ.

ibid. *Felix, quicumque dolore Alterius diſces poſſe carere tuo*] Terentius Heautont. 1. 2. 35.

Hoc ſcitum eſt, periculum ex aliis facere, tibi quod ex uſu ſiet.

Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 4. cap. 9. *Ii qui ſciunt, quid aliis acciderit; facile ex aliorum eventu, ſuis rationibus poſſunt providere.* Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothecæ, non longe ab initio: Καλὸν γὰρ τὸ δύνασθαι τοῖς τῶν ἄλλων ἀγνοήμασι πρὸς διόρθωσιν χρῆσθαι παραδείγμασι. *Nam aliorum erratis ad rectam vitæ inſtitutionem pro exemplis uti poſſe, ſcitum atque pulchrum eſt.* Franciſcus Petrarcha, diligens veterum imitator, in Triumpho Caſtitatis:

Io preſi eſempio de' lor ſtati rei,
Facendomi profitto l' altrui male
In conſolare i caſi e dolor miei.

Et

Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda ſordida lingua prece.
Etſi perque ſuos fallax jurarit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem,

Nulla

Et Ludovicus Areoſtus Rolandi Furentis Cantu 10. in Olympiæ hiſtoria:

Ben' è felice quel, donne mie care,
Ch' eſſere accorto all' altrui ſpeſe impare.

v. 44. *poſſe carere tuo*] Latinè dicimus non ſolum *carere bonis rebus*, ſed *malis* etiam. *Febri carere*, legitur apud Ciceronem lib. 1. Tuſcul. Quæſt. Lucretius pariter dixit lib. 1. v. 57. *Omnis divûm natura, privata dolore omni, privata periclis*. quod reſpondet τῷ *carere*. Scaliger propterea in Hypercritico, inique reprehendit Horatium, quod nimis antique, ut ipſi quidem videtur, uſurpaverit *carere ventis & ſolibus*; item *carere laboribus*. Inepti profecto ſumus, quicumque præſtantiſſimos Latinorum docemus Latinitatem.

v. 45. *pendentia brachia collo*] Ita Propertius l. 3. Eleg. 12.

Pendebit collo Galla pudica tuo.

Et Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 257.

Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, & ingenti tendentem brachia paſſu,
Adſiluit, caraque diu cervice pependit.

v. 46. *N. f. blandâ ſordida lingua prece*] Tunc enim puellæ nequiſſimæ fallunt maxime ſuos amatores, quum iis blandiuntur maxime. Oſculo enim, amplexu, & precibus exquiſitis id ſolum agunt, ut eos argento emungant, ac ſpoliatos dimittant: quod ſane meretricium, avarum, ac ſordidum eſt. *Cupidinem ſordidum* pro avaritia poſuit Horatius Ode 16. l. 2.

v. 47. *perq. ſuos f. jurarit ocellos*] Quod juramentum amantium ſanctiſſimum olim fuiſſe, teſtantur Plautus, Propertius, Ovidius, Petronius, Appulejus, alii. Recte autem conjunxit noſter oculos & Junonem; ut enim ſcribit Varro lib. 4. de L. L. *mulieres potiſſimum ſupercilia ſua attribuerunt ei deæ. Hic enim maxime debuit collocari Juno Lucina, ubi ab diis lux datur oculis.*

v. 48. *Junonemque ſuam*] Ut viri per Genium ſuum, ita mulieres per Junonem ſuam jurare conſueverant. Quot igitur mares homines, tot Genii erant, dii ſcilicet natales ſingulorum: quot femellæ, tot etiam Junones, uniuſcujuſque ſua. Id Plinius irridet lib. 2. Hiſt. Nat. cap. 7. *Major*, inquit, *cælitum populus etiam quam hominum intelligi poteſt, quum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem deos faciant, Junones Genioſque adoptando ſibi*. Porro juramenti hujus mentio fit apud Petronium in Satyrico. Ibi enim Quartilla meretrix ait: *Junonem meam iratam habeam, ſi umquam me meminerim virginem fuiſſe*. Neque mulieres ſolum per Junonem ſuam jurabant, ſed etiam viri per Junonem mulieris. Noſter infra l. 4. Carm. 13.

Hæc tibi ſancta tuæ Junonis numina juro,
Quæ ſola ante alios eſt mihi magna deos.

Nec non per Junonem viri alicujus effeminati, qui muliebria pateretur. Juvenalis Sat. 2. v. 98.

Et per Junonem domini jurante miniſtro.

Apud Plautum Amphitr. 2. 2. 201. Alcumena ſic jurat:

Per ſupremi regis regnum juro, & matremfamilias
Junonem, quam me vereri & metuere eſt par maxume,
Ut mi, extra unum te, mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret.

Videtur ibi Alcumena Samothracum aras jurare; de quibus Juvenalis Sat. 3. v. 144.

— — jures licet & Samothracum, Et noſtrorum aras. Maximum ſcilicet juramentum habebatur, per Jovem, Junonem, Palladem & Penates, qui e Samothracia Romam advecti fuerant. Ceterum, animadverti debet epithetum *fallax*, quod Tibullus adhibet hexametro ſuperiore. Quum, inquit, fallacem puellam ſæpius experti fueritis, quid refert, utrum per unum tantum, an per plures deos juret? Cicero pro C. Rabirio Poſtumo: *Ubi ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea, etiamſi per plures deos juret, non oportet*.

Nulla fides inerit. perjuria ridet amantum
  Juppiter, & ventos irrita ferre jubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
  Conqueror? ite a me ſeria verba procul.
Quam vellem tecum longas requieſcere noctes,
  Et tecum longos pervigilare dies!
Perfida, nec merito nobis inimica merenti.
  Perfida, ſed quamvis perfida, cara tamen.

Naida

ibid. *perque ſuam Venerem*] Seneca lib. 2. de Beneficiis, cap. 28. *Ille non eſt mihi par virtutibus, nec officiis; ſed habuit ſuam Venerem.* Et Marcus ejus pater Exeerpt. Controv. lib. 6. Contr. 8. *Sacerdos raro juret, nec umquam niſi per ſuam Veſtam.*

v. 49. *perjuria ridet amantum Juppiter*] Quemadmodum & pauperum. Juvenalis Sat. 3. v. 144.

jures licet & Samothracum,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur, atque deos, diis ignoſcentibus ipſis.

v. 52. *ſeria verba*] Triſtia, & lamentabilia, quæ convivam & genio indulgentem minus decent.

v. 53. *Quam vellem*] Redit ad inſaniam, voluptatum ac deliciarum imagine ſibi objecta.

ibid. *longas noctes*] Hiemales. Catullus elegantiſſime in pulcherrima illâ ad Manlium Elegia, v. 81.

Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rurſus hiems
Noctibus in longis avidum ſaturaſſet amorem,
Poſſet ut abrupto vivere conjugio.

ibid. *requieſcere noctes*] Virgilius Ecloga 1. v. 80.

Hic tamen hanc mecum poteras requieſcere noctem.

Salluſtius Oratione 1. ad C. Cæſarem: *Ii quibus ...... nullam noctem ſine ſcorto quieſcere mos eſt.*

v. 54. *Et tecum longos pervigilare dies*] *Pervigilium*, & *pervigilare* inter nupta & obſcœna verba. Catullus Carm. 86.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque ſorore
Prurit, & abjectis pervigilat tunicis?

Longis autem diebus, nempe æſtivis, homines voluptarii poſt prandium meridiari ſolebant, hoc eſt vel dormire, vel pervigilando cum ſcortis concumbere. Idem poeta Veronenſis Carm. 32. ad Hypſitillam:

Jube ad te veniam meridiatum,

Et quæ ſequuntur profligati pudoris. Quum igitur diſticho anteeedenti noſter Eques verba ſeria procul abire juſſiſſet, nihil mirum ſi uſurpat hilaria & laſciva.

v. 55. *nobis merenti*] ἀρχαϊσμὸς, pro *mihi merenti*; ſicuti Terentius dixit *abſente nobis*, & Catullus *inſperanti nobis*. Quo tamen ſcribendi genere nimis antiquo Tibullus uti non ſolet. *Merenti*; de te optime merito.

v. 56. *ſed quamvis perfida, cara tamen*] Par ſententia Ciceronis Epiſt. 32. lib. 7. ad Famil. *Id quum ipſius cauſſa (eſt mihi, ut ſcis, in amoribus) tum mehercule etiam reipublicæ, quam quidem, quamvis in me ingrata ſit, amare non deſinam.* Et Ovidii Epiſt. Didûs v. 27.

Ille quidem male gratus, & ad mea munera ſurdus:
Et quo, ſi non ſim ſtulta, carere velim:
Non tamen Ænean, quamvis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, queſtaque pejus amo.

v. 57.

Digitized by Google

Naida Bacchus amat. ceſſas o lente miniſter?
Temperet annoſum Marcia lympha merum.
Non ego, ſi fugiat noſtræ convivia menſæ
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota ſuſpiria nocte.
Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.

Jam

v. 57. *Naida Bacchus amat*] Hoc eſt, vinum aqua miſceri ac temperari poſtulat. Bacchus enim, ut eſt in fabulis, a Nymphis Najadibus educatus fuit: quod poeticum figmentum ſignificat, merum aqua dilui ac mitigari oportere. Meleager in Anthologia.

Αἱ Νύμφαι τ' ἂν βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλατ' ὁ κοῦρος,
Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος· ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.
E cinere ut Bacchum Nymphæ cepere ſorores,
Membraque laverunt fonte perennis aquæ,
Junctus amicitia eſt Nymphis. Si forte repellas,
Natum de flammis experiere deum.

Et Phavorinus apud Stobæum Serm. 112. *Καθάπερ φησὶν ὁ Πλάτων ἐπὶ τοῦ μιγνυμένου πρὸς ὕδωρ ἀκράτου, μαινόμενον θεὸν ἑτέρῳ θεῷ νήφοντι σωφρονίζεσθαι. Quemadmodum Plato inquit de vino aqua miſcendo, inſanientem deum ab alio deo ſobrio temperari.*

ibid. *ceſſas o lente miniſter?*] Increpat puerum pocillatorem, quod piger ſit in præbendis poculis. Virgilius lib. 6. Æneid. v. 51. ex ore Sibyllæ: *Ceſſas in vota, preceſque Tros, ait, Ænea? ceſſas?*

v. 58. *Marcia lympha*] Plinius lib. 31. N. H. cap. 3. *Clariſſima aquarum omnium in toto orbe, frigoris ſalubritatiſque palma præconio Urbis, Marcia eſt, inter reliqua deûm munere Urbi tributa .... Primus eam in Urbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius, unus a regibus. Poſtea Q. Marcius Rex in prætura.* Propertius Eleg. 1. l. 3.

Nec mea Phæacas æquant pomaria ſilvas,
Non operoſa rigat Marcius antra liquor.

Idem libro eodem Eleg. 2.

Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, & æternum Marcius humor opus.

Fiſtulis plumbeis, & aquæductibus hanc aquam Romani, quo collibuiſſet, derivabant. Papinius Statius lib. 1. Silv. Carm. 3. v. 66.

Teque, per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, & audaci tranſcurris flumina plumbo.

De aquis urbanis ita Julius Frontinus in Commentario de Aquæductibus: *Nunc autem in Urbem influunt aquæ Appia, Anio vetus, Marcia, Tepula, Julia, Virgo, Alſietina, quæ eadem vocatur Auguſta, Claudia, Anio novus.* Ad quem locum vide quid adnotaverit vir illuſtris, neque ſolum de Mathematicis diſciplinis, ac de ſolidiore Philoſophia, ſed etiam de litteratura univerſa, doctiſſimis ſcriptis optime meritus, Joannes PoleNus, Marchio, & Publicus Profeſſor in Gymnaſio Patavino. Cur vero Tibullus aquæ Marciæ potiſſimum mentionem facere voluit, ubi ſermo erat de vino temperando? Nimirum, *κατ' ἀντονομασίαν*, quod hæc aqua omnium aquarum Romanis notiſſima & celebetrima eſſet. Haud aliter Virgilius 1. Georg. v. 9. aquam vocavit *pocula Acheloïa*, quod Achelous fluvius, in ipſo mundi ortu, primus fluminum apparuiſſet.

Poculaque inventis Acheloïa miſcuit uvis.

v. 60. *vana puella*] Levis, inconſtans, fluxæ fidei.

v. 61. *repetam ſuſpiria*] Horatius pariter Epodo 11.

amantem & languor & ſilentium
Arguit, & latere petitus imo ſpiritus.

v. 62. *fortius*] Strenue atque impigre magis.

Jam dudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram ſertis implicuiſſe comas.

gis. nam adverbium eſt.

v. 63. *Jam dudum*] Hac particula tempus non longum in re præſente ſignificari, animadvertit Broukhuſius, eamque pluribus veterum teſtimoniis illuſtravit. Non diſſimile huic Tibulliano illud Plauti Perſa 5. 2. 41.

Jamdiu factum eſt poſtquam bibimus: nimis diu ſicci ſumus.

v. 63. *Syrio madefactus tempora nardo*] Unctus capillos circum tempora oleo nardino, quod exprimebatur e frutice pretioſo in Syria nato. Martialis lib. 3. Epigram. 65.

Glæba quod æſtivo leviter quum ſpargitur imbre:
Quod madidis nardo ſparſa corona comis:
Hoc tua, ſæve puer Diadumene, baſia fragrant.

AL-

ALBII TIBULLI
LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

Te, Meſſala, canam. Quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmæ nequeant ſubſiſtere vires;

Inci-

ARGUMENTUM CARMINIS I. LIBRI IV.

Laudat Meſſalam, patronum ſuum, virum eximium, a civili prudentia, eloquentia, militari ſcientia, & rebus bello geſtis: eumque toto terrarum orbe illuſtrem futurum vaticinatur.

Hoc primum Carmen Libri quarti Albii Tibulli Panegyricum appellant, quemadmodum illud Lucani ad Calpurnium Piſonem. Græcis πανήγυρις, ἢ πανηγυρικὸς λόγος, ut monet Paſſeratius, ſermo fuit qui habebatur in celebri conventu atque mercatu, in maxima ſcilicet Græciæ frequentia, quinto quoque anno convenire ſolitæ. Vocabuli origo πᾶς, *omnis*, & ἀγείρω, *congrego*, quod in ejuſmodi conventibus πάντες Ἕλληνες ἠγείροντο, Græci omnes congregarentur. Ludorum etiam & ſpectaculorum celebritates πανηγύρεις dictæ fuerunt; in quibus propterea quod vel dii, vel heroes, vel imperatores, vel alii viri bene de republica meriti a ſummis oratoribus publice laudabantur, & verbis ornabantur, ἐγκωμιαστικὸν, καὶ ἐπιδεικτικὸν, *laudativum & demonſtrativum* dicendi genus, πανηγυρικὸν etiam vocari cœpit.

Porro dubitatum eſt a nonnullis, inter quos & Broukhuſius nomen ſuum profitetur, utrum hoc poema vere Tibullum habeat auctorem, an tanto poetæ ab hominibus male feriatis falſo tributum fuerit. Cauſſa dubitandi, ſtili differentia. Tibullus enim, qui ſe nitidum & cultum in Elegiis adeo præſtitit, ut, Quinctiliani judicio, ceteros omnes Elegiæ ſcriptores poſt ſe reliquerit, hoc in Carmine ſui omnino diſſimilis deprehenditur: macer eſt, jejunus, exſanguis, nec ſatis heroicum ſpirat. Sed quamvis hic Panegyricus non eam præferat dicendi vim, ſtilique ſuavitatem, quæ in Elegiis Tibullianis ubique enitet; non tamen eum Tibullo auctori temere abjudicaverim: Poetis enim recte accommodari poteſt, quod de Oratoribus ſcripſit Dionyſius Longinus ſectione 8. libelli περὶ ὕψους; eos nempe qui gravi & concitato dicendi genere ſæpius utantur, non adeo feliciter in laudationibus verſari; quæ tametſi ſublimitate & magnificentia orationis tractari debent, plerumque tamen affectibus carent. Fortaſſe vero Albius noſter, vix pueritiam egreſſus, hoc poema compoſuit, *viribus* adhuc *infirmis*, ut ait ipſe de ſe. Latina tamen omnia ſunt in hujuſmodi rudimento, (ſi rudimentum eſt) ac puriſſimæ quidem Latinitatis, quæ manifeſto clamet Auguſtæum illud ævum: nec ſane operam perdunt horum verſuum interpretes. Dolendum tamen, hoc quidquid eſt veteris monumenti, peſſime corruptum ad nos perveniſſe, neque præſidii ſatis ad id emendandum in manu exaratis codicibus contineri. Multa quæ pertinent ad Meſſalam, jam a nobis allata ſunt quum Elegiam 7. libri 1. explicaremus.

VERSU I. *Te, Meſſala, canam*] Servius

vius ad illud initio Æneidos: *Arma virumque cano*: *Sermo* πολύσημος: *nam Cano tria ſignificat*: *Laudo*, *ut*, *regemque canebant*: *Divino*, *ut*, *Ipſa canat oro*: *& Canto*, *ut hoc loco*.

ibid. *cognita virtus*] Nomen *virtutis* peculiari admodum ſignificatione hic accipitur, quamquam Latinis auctoribus maxime familiari. Itali dicimus, *il valore*. Si de Meſſalæ virtute ſermo eſt, virtus militarem fortitudinem, tum opes, potentiam, vim eloquentiæ ſignificaverit. Cæſar lib. 7. de Bello Gallico cap. 52. *Nec minus ſe in milite modeſtiam, & continentiam, quam virtutem, atque animi magnitudinem, deſiderare*. Cicero pro Quintio: *In ejuſmodi rebus vires ſuas experiuntur, in quibus quo plus propter virtutem, nobilitatemque poſſunt, eo minus, quantum poſſint, debent oſtendere*. T. Livius lib. 7. *Tum M. Curtium, juvenem bello egregium, caſtigaſſe ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam arma virtuſque eſſet*. Lactantius lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 18. *Hoc in loco refellendi ſunt etiam ii qui, deos ex hominibus eſſe factos, non tantum fatentur: ſed, ut eos laudent, etiam gloriantur, aut virtutis gratia, ut Herculem; aut munerum, ut Cererem ac Liberum; aut artium repertarum, ut Æſculapium ac Minervam*. Huc pertinet locus Ovidii memorabilis Epiſt. Paridis v. 79. ubi de tribus deabus illo judice certantibus:

Tantaque vincendi cura eſt; ingentibus ardent
Judicium donis ſollicitare meum.
Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat.
Ipſe potens dubito, fortis an, eſſe velim.

ubi *potens* refertur ad *regna*, *fortis* ad *virtutem*, nempe fortitudinem bellicam, quam Paridi Minerva pollicebatur. Publius Syrus in Mimiambis:

Virtute quod non poſſis, blanditia auferas.

nempe *viribus*. Virtutem pro viribus corporis Plato in Gorgia vocat ἀρετὴν σώματος. Sin vero Tibullus non de Meſſalæ, verum de ſua ipſe virtute loquitur, ut exiſtimat Broukhuſius, qui me conſentientem habet; *virtus* ſignificabit vires ingenii, ac dicendi facultatem, quam poeta noſter, qua erat moderatione animi, ſentiebat ſibi exiguam eſſe, atque imparem laudibus Meſſalæ celebrandis. Terrebatur igitur conſcientia imbecillitatis ſuæ. Propterea inquit *cognita*; ſcilicet, cujus probe ſum conſcius. Ita Virgilius 5. Æneidos v. 455. citatus a Nonio Marcello:

Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus.

conſcia παθητικῶς, nempe *cognita*. Quamquam ibi contraria ſententia eſt; cognoſcit enim Entellus, fortiſſimus pugil, ſe magnis viribus Dareti præſtare: Tibullus autem, ſe nervorum ſucciſorum eſſe, neque hujuſmodi, qui Meſſalam recte laudare poſſit. Utrobique tamen *virtus* pro vigore accipienda. Difficillimas eſſe præſtantium virorum laudationes, fatetur Iſocrates in Helenæ Encomio, teſtaturque, univerſos qui ad id opus aggreſſi ſunt, infra dignitatem & magnitudinem argumenti longe ſubſtitiſſe, quum facta verbis æquare nullo modo potuiſſent. Iccirco male Paſſeratius, interpres alioqui doctiſſimus, & experrectus maxime: *cognita virtus, perſpecta*, inquit, *& ſpectata omnibus*; quaſi Tibullus putide atque odioſe ſuam ipſe eloquentiam laudaret. Ceterum Græci eodem pacto uſurpant ſuum ἀρετὴν, quo Latini *virtutem*. Hippodamus Thurius Pythagoræus ἐν ἀποσπασματίῳ de Felicitate: Ἁ γὰρ ἀρετὰ τᾶς ἑκάστω φύσιος καὶ ἀκρότας καὶ τελειότας ἐντί. ἁ μὲν τῶ ὀφθαλμῶ, τᾶς τῶ ὀφθαλμῶ φύσιος ἀκρότας καὶ τελειότας. ἁ δὲ τῶ ἀνθρώπω, τᾶς τῶ ἀνθρώπω φύσιος ἀκρότας καὶ τελειότας. hoc eſt, *Virtus enim cujuſque, in cujuſque rei natura ſupremum eſt & perfectio: tum oculi, in oculi natura ſupremum & perfectio: tum hominis, in hominis natura ſupremum & perfectio.*

v. 2. *Terret*] Subaudiendum, *ita*.

ibid. *ſubſiſtere*] Excipere, ac ſuſtinere vim & pondus tanti argumenti; ut recte Paſſeratius. Virgilius 9. Æneidos v. 806.

Ergo nec clipeo juvenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet: injectis ſic undique telis
Obruitur.

Interdum hoc verbum activum eſt. Livius lib. 1. *Nec feras tantum ſubſiſtere, ſed etiam in latrones præda onuſtos impetum facere*. Loquitur de robore ac viribus Romuli & Remi. Idem lib. 9. *Præpotentem armis Romanum nec acies ſubſiſtere ullæ, nec caſtra, nec urbes poterant*. Ovidio Epiſt. Sapphûs v. 195. *ſubſiſtere* eſt hærere, ſtare, torpere, curſum interrumpere:

dolor artibus obſtat;
Ingeniumque meis ſubſtitit omne malis.

v. 3.

Incipiam tamen. At meritas ſi carmina laudes
Deficiant: humilis tantis ſim conditor actis:
Nec tua præter te chartis intexere quiſquam
Facta queat, dictis ut non majora ſuperſint:
Eſt nobis voluiſſe ſatis. Nec munera parva
Reſpueris, etiam Phœbo gratiſſima dona

Cres

v. 3. *Incipiam tamen*] Donatus in Adelphos Terentii: *Incipere, de magno & audaci facinore dicitur*. Et in Phormionem: *Incipere, de re magna dicitur*. *Tò tamen*, eſt certæ ac deliberatæ rei, nullaque habita ratione periculi. Propertius l. 2. Eleg. 8.

Quamvis iſta mihi mors eſt inboneſta futura,
Mors inboneſta quidem, tu moriere tamen.

Geminus vero huic Tibulliano eſt locus Virgilii 2. Æneidos v. 12. in longæ narrationis, & rei magnæ initio:

Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit,
Incipiam.

Sic Tibullus: *Quamquam me cognita virtus Terret, Incipiam*. PASSERAT.

ibid. *meritas ſi carmina laudes Deficiant*] Hoc eſt, ſi poeſis mea laudum quas mereris pondus ferre non poſſit, iiſque propterea deſit. *Deficere aliquem*, eſt deſtituere. Ita dicebant Latini, *dies me deficit*, *fides illum deficit*.

v. 4. *conditor*] Scriptor, auctor. Ita Ovidius lib. 5. Triſtium, Eleg. 1.

Simque argumenti conditor ipſe mei.

Et incertus poeta, bonus tamen & antiquus, in Criſpum Salluſtium:

Et verba antiqui multum furate Catonis,
Criſpe, Jugurthinæ conditor hiſtoriæ.

PASS. *Condere*, apud poetas nonnumquam eſt immortalitati conſecrare. Propertius l. 2. Eleg. 1.

Nec mea conveniunt duro præcordia verſu
Cæſaris in Phrygios condere nomen avos.

v. 5. *præter ſe*] Mira laus a facundia, & bonis artibus. Paria T. Livius de M. Tullio lib. 120. Hiſt. ab U. C. cujus deperditi libri fragmentum ſervavit nobis M. Seneca Rhetor Suaſoria 6. *Si quis tamen*, inquit, *virtutibus vitia penſarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cujus laudes perſequendas Cicerone laudatore opus fuerit*. Contra Lactantius D. I. lib. 2. cap. 8. *Nec enim ab ullo poterit Cicero, quam a Cicerone vehementius refutari*.

ibid. *chartis intexere*] Auctor Ceiris, elegantiſſimi poematii, ad hunc eumdem Meſſalam v. 36.

Tali te vellem, juvenum doctiſſime, ritu
- - - - - - - - - - - -
Naturæ rerum magnis intexere chartis.

v. 6. *dictis ut non majora ſuperſint*] Poſtumius Conſul apud Livium lib. 39. *Quidquid dixero, minus quam pro atrocitate & magnitudine rei dictum ſcitote eſſe*. Polyænus Petronianus in Satyrico, ad mulierem pulcherrimam deſcribendam ſic aggreditur: *Nulla vox eſt quæ formam ejus poſſit comprehendere; nam quidquid dixero, minus erit*. Vulgare hoc genus laudandi, & e ſcholis petitum. Auctor Rhetoric. ad Herennium lib. 3. cap. 6. *Ab rebus ipſis, incertos eſſe* (dicemus) *quid potiſſimum laudemus. vereri nos, ne quum multa dixerimus, plura prætereamus: & quæ ſimiles ſententias habebunt*.

v. 7. *Eſt nobis voluiſſe ſatis*] Hæc ſententia uſurpatur etiam a Propertio lib. 2. Eleg. 10.

Quod ſi deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Lucanus quoque in Panegyrico ad Piſonem v. 202.

Quod ſi digna tuâ minus eſt mea pagina laude,
At voluiſſe ſat eſt: animum, non carmina jacto.

PASS.

v. 8. *Reſpueris*] Rejeceris, aſpernatus fueris. Metaphora ducta a cibis palato ingratis, quos vix deguſtatos, cum faſtidio & nauſea rejicimus. Horatius Epiſt. 1. l. 2. v. 42. de poetis: *quos & præſens, & poſtera reſpuet ætas*.

ibid.

Digitized by Google

Cres tulit: & cunctis Baccho jucundior hoſpes
Icarus, ut puro teſtantur ſidera cælo,

Eri-

ibid. *etiam Phœbo gratiſſima dona Cres tulit*] Philippus Beroaldus, Joannes Ludovicus de la Cerda, Joannes Paſſeratius, Hadrianus Turnebus, Joſephus Scaliger, varie hunc locum interpretati ſunt Sed Janus Broukhuſius, vir ſubacto & præſtanti judicio, probat explicationem Caſparis Barthii lib. 3. Adverſ. cap. 6. videlicet, Apollinem occiſo Pythone ſerpente Delphicum templum & oraculum ſibi ipſum excitaviſſe; præ ceteris vero omnium regionum hominibus, Cretenſes quoſdam ex Gnoſo Minoïa probos ac pios delegiſſe, qui ſibi ſacra facerent. Hi forte fortuna eo tempore navigabant, quamvis res Cretenſium publica adhuc anguſta eſſet. Exiſtimat Barthius, horum ducem *Cretem* a Tibullo vocari, quem ſacris præfectum Phœbus alloquebatur. Hanc fabulam copioſe perſequitur Homerus Hymno in Apollinem a v. 382.

ibid. *gratiſſima dona tulit*] Donatus Grammaticus in illud Eunuchi Terentianæ, *Quodvis donum & præmium a me optato*, ita ſcribit: *Donum præmium eſt, & munus præmium: ſed donum præmium diis datur, munus præmium hominibus*. Iſidorus lib. 6. Etymolog. *Munus homini datur, donum deo*. Ceterum, *dona ferre*, nempe *afferre*, *offerre* pertinet ad rem ſacrificiorum, quod multis veterum teſtimoniis docet Broukhuſius. Dona hujuſmodi, quæ tantopere Apollini placuere, fuerunt ἄλφιτα λευκά, *farinæ albæ*. Quod pertinet ad clementiam deorum, qui ſe parvis quoque donis placari & exorari ſinerent, paria leguntur apud Plinium præfatione Hiſt. Nat. *Verum*, inquit, *& diis lacte ruſtici multæque gentes ſupplicant, & mola tantum ſalſa litant qui non habent tura: nec ulli fuit vitio deos colere quoquo modo poſſet*.

v. 9. *Cres*] Ita Silius Italicus lib. 14. Punic. v. 39.

Nec Cres dedecori fuit accola.

Legimus quoque apud Ciceronem lib. 1. de Divinatione, *Epimenides Cres*: Hoc nomen numero multitudinis facit *Cretes*. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Cretes erunt teſtes: nec fingunt omnia Cretes.

v. 10. *Icarus*] Erigones pater; qui accurate diſtinguendus ab Icario, patre Penelopes. Hic terram Atticam incolebat. Quum vero Bacchus, muneris ſui, nempe vini, utilitatem & ſuavitatem hominibus oſtenſurus, peregrinaretur, ad Icarum divertit, qui eum liberaliter hoſpitio accepit. Deus hoſpitem ſuum utre vini pleno remuneratus eſt, juſſitque ut ad finitimos vitis ſationem, ac vindemiam propagaret. Icarus deinceps onerato plauſtro, cum Erigone filia virgine, & cane Mœra ad vicinos quoſdam paſtores devenit, & cum iis dei munus communicavit. Paſtores quum immoderatius bibiſſent, ebrietate correpti ſunt. Putantes igitur, ſe ab Icaro tentatos veneno, eum fuſtibus occiderunt, & cadaver inſepultum abjecerunt. Canis autem Mœra ululans, id Erigonæ monſtravit. Puella infortunio conſternata, in arbore proximâ ſe ſuſpendit. Icarus poſtea, & Erigone, deorum voluntate in aſtrorum numerum relati fuere. Erigone in ſignis Zodiaci Virgo eſt, quam Juſtitiam quoque appellant: Icarus in ſideribus eſt Arcturus: Canis ipſe Mœra in cælo collocatus, Canicula vocatur. Hanc fabulam recitant Apollodorus Bibliothecæ lib. 3. cap. 13. Hyginus Fab. 130. & Aſtronomico Poetico in Arctophylace; Servius ad lib. 2. Georg. v. 388. Probus ibidem; Lutatius ad lib. 4. Thebaid. Statii v. 655. Scholiaſtes denique Arateorum Germanici. Attingunt Propertius lib. 2. Eleg. 33. Ovidius lib. 10. Metam. v. 450. & in Ibio v. 611. Lucianus dialogo Jovis & Junonis, Iſaacius Tzetzes ad Heſiodum.

ibid. *puro cælo*] Sereno; etenim nubilis noctibus aſtra non apparent. Dicebant etiam *purum*, κατ' ἔλλειψιν, non addito *cælum*. Horatius Ode 34. lib. 1.

namque Dieſpiter,
Igni coruſco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

v. 11.

Digitized by Google

Erigoneque, Caniſque, neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides deus adſcenſurus Olympum
Læta Molorcheis poſuit veſtigia tectis.
Parvaque cæleſtes pacavit mica; nec illis

Sem-

v. 11. *Erigoneque, Caniſque*] Vide quæ ſuperius attulimus ad verſum decimum. Canem hunc Erigones poſitum inter ſidera, vocant etiam Προκύονα, Anticanem, Canem minorem ſeu minuſculum, Caniculam, & Sirium. Certe Auctor Carminum Priapejorum Sirium adjunxit Erigonæ Epigr. 62.

Securi dormite, canes: cuſtodiet hortum
Cum ſibi dilecta Sirius Erigone.

Sunt nihilominus qui majorem Canem Sirium appellent; nomina enim Canis majoris & minoris haud raro confunduntur; vel ſtellam in capite Canis majoris; quod teſtatur Hyginus Poetici Aſtronomici c. 34. Προκύων a tempore ſui ortus denominatus eſt; oritur enim ante majorem Canem. Hic in lacteo circulo defixis pedibus æquinoctialem circulum tangit: ad occaſum vero ſpectat, inter Geminos & Cancrum conſtitutus. Occidit cum Leone, Capricorno exoriente. Conſtat e ſtellis omnino tribus, quarum unam gerit in capite, alteram in pectore, tertiam in lumbo.

ibid. *neget ne longior ætas*] Ne ob longinquam ævi vetuſtatem, ſera poſteritas fidem habere nolit iis quæ de Icaro, Bacchi hoſpite, tradita ſunt.

v. 12. *Alcides deus*] τὸ *deus* non eſt otioſum: ſignificat enim Herculis ἀποθέωσιν, qui antea mortalis fuerat. Vide Naſonem l. 9. Metam. Immo, ut animadvertit Broukhuſius, ſolenne fuit, Herculem deorum ordini adſcriptum, *Alciden deum* appellare. Auctor Tragœdiæ Octaviæ v. 310. *Deus Alcides Poſſidet Heben*. Nominis origo ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, nempe a viribus, ferocitate, pugna, ſubſidio.

v. 13. *Læta veſtigia*] Alacres pedes. Hilaris enim Alcides in Molorchi domum introiit, non dedignatus hoſpitis paupertatem. De hac magni herois comitate, ac divitiarum contemtu Evander apud Virgilium 8. Æneid. v. 362.

hæc, inquit, limina victor
Alcides ſubiit, hæc illum regia cepit.
Aude, hoſpes, contemnere opes, & te quoque dignum
Finge deo, rebuſque veni non aſper egenis.

ibid. *Molorcheis tectis*] Quum Hercules, juſſu Euryſthei ab Junone inſtigati, iret occiſum leonem Nemæeum, invenit in agro Cleonæo Molorchum vinitorem, qui cum excepit hoſpitio, & divinis affecit honoribus. Deinde quum heros magnanimus interfecto leone rediiſſet, omnem illum agrum donavit Molorcho, qui vini culturam magnam inſtituit. Martialis Epigr. 64. lib. 4.

Credas Alcinoi pios penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.

Hujus vinitoris mentionem facit idem poeta Epigr. 44. lib. 9. Apollodorus lib. 2. Bibliothecæ, cap. 4. Papinius Statius lib. 4. Silv. Carm. 6. v. 51. & lib. 4. Thebaid. v. 161. atque ad eum locum Lutatius. Præterea Servius ad lib. 3. Georg. v. 19. & Junius Philargyrius ibidem, qui Molorchum regem facit. His addendus vetus quidam Papinii Scholiaſtes, nondum editus, cujus meminit Caſpar Barthius.

ibid. *poſuit veſtigia*] Intulit pedem. Propertius in calce Elegiæ 9. lib. 2.

Nec domina ulla meo ponet veſtigia lecto.

v. 14. *Parvaque cæleſtes pacavit mica*] Vel granum turis, quod pauperculi homines diis incendebant, quum acerrâ plenâ illos colere non poſſent. Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 13.

Micaque ſollemni turis in igne ſonet.

Vel granum ſalis, quod *micam ſalientem* vocavit Horatius lib. 3. Ode 23. *quia*, ut docet Porphyrio, *miſſum in ignem ſalire, & crepitare ſoleat*. Quod pertinet ad ſententiam, pulchre Seneca lib. 1. de Beneficiis, cap. 6. *Sicut nec in victimis quidem, licet opimæ ſint, auroque præfulgeant, deorum eſt honos; ſed pia ac recta voluntate venerantium.*

L l Ita-

Digitized by Google

Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.
Hic quoque ſit gratus parvus labor, ut tibi poſſim
Inde alios, alioſque memor componere verſus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi:

Itaque boni etiam farre ac fitilla religioſi ſunt; mali rurſus non effugiunt impietatem, quamvis aras ſanguine multo cruentaverint.

ibid. *pacavit*] Mitigavit, lenivit, ex iratis propitios fecit. Cæſar lib. 1. Belli Civilis cap. 7. *Hortatur, cujus imperatoris ductu .... omnem Galliam Germaniamque pacaverint, ut ejus exiſtimationem, dignitatemque ab inimicis defendant.* Sed ibi *pacare* eſt exarmare, debellare. Hinc *pacem deorum petere.* Broukhuſius mavult *placavit*; quod *placare* interdum ſit gratiam referre, teſte Porphyrione ad Horatii Oden 36. l. 1. Addo ego, ab eodem Horatio lib. 2. Ode 14. *τὸ placare* uſurpatum fuiſſe pro ſacrificare, cædere victimas, quamvis illæ victimæ deos non exorent, nihilque proficiant. Locus inſignis eſt ac memorabilis:

nec pietas moram
Rugis & inſtanti ſenectæ
Adferet; indomitæque morti:
Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris.

Etſi Plutonem quotidie places occiſis plurimis tauris, Pluto non exaudiet placantem. Igitur ſimul placabitur, nimirum coletur, & iratus tamen permanebit. Hoc ego primus, quod ſciam, animadverti.

ibid. *nec illis Semper i. taurus cadit hoſtia c.*] Nam & minoribus hoſtiis, quum a pauperibus offerrentur, dii quoque magni contenti erant. Silius Italicus pariter locutus eſt lib. 17. Punicor. v. 50.

Cui numen pelagi placaverat hoſtia taurus.

v. 15. *inaurato cornu*] Quæ fuit veterum elegantia in ornandis victimis. T. Livius lib. 7. Hiſt. *Conſul, advocata concione, P. Decii non cœptas ſolum ante, ſed cumulatas nova virtute laudes peragit: & præter militaria alia dona, aurea corona eum, & centum bobus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat.* Et paucis interjectis: *His decoratus inſignibus, bovem eximium Marti immolavit, centum boves militibus dono dedit.* Valerius Flaccus lib. 1. Argonaut. v. 89.

Qua-

dabit auratis & cornibus igni
Colla pater, niveique greges altaria cingent.

Martialis Epigr. 43. lib. 9.

Felix tunc ego, debitorque voti
Caſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.

Seneca Œdipo v. 135.

Colla tacturus ſteterat ſacerdos,
Dum manus certum parat alta vulnus,
Aureo taurus rutilante cornu
Labitur ſegnis.

Neque id aurum tenue fuit, ſed craſſum & ſolidum. Diomedes apud Homerum Iliados 10. v. 292. Minervæ juvencam pollicetur, auro cornibus circumfuſo. *χρυσὸν*, inquit, *κέρασιν περιχεύας*. quod repetit poeta princeps Odyſſeæ lib. 3. v. 384. Libro eodem eques Neſtor, ad Minervam placandam, jubet arceſſiri aurificem, qui bovis cornibus aurum circumſundat. Venit aurifex cum armis ſabrilibus, incude ſcilicet, malleo, & forcipe: aurum deinde bovi aptat. Quem Homeri locum adverſus neſcio quem *παλαιομάστιγα*, hominem communi ſenſu carentem, defendit Nicolaus Boileavius Animadverſione Critica 3. ad Longinum *περὶ ὕψους*. Propterea dixit Ovidius l. 10. Metam. v. 270.

Feſta dies Veneri, tota celeberrima Cypro,
Venerat: & pandis inducta cornibus aurum
Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ.

Ceterum, *inauratus* ab *inauro*. Horatius Epiſt. 12. v. 8.

Sic vives protenus, ut te
Confeſtim liquidus fortunæ rivus inauret.

v. 16. *parvus labor*] Ita Horatius de ſtudiis & lucubrationibus poetarum, Epiſt. 1. lib. 2. v. 224.

Quum lamentamur non apparere labores
Noſtros, & tenui deducta poemata filo.

Prior vero Catullus dixerat Carmine 92.

Parva mei mihi ſunt cordi monimenta laboris.

Si tamen eo loco *τὸ laboris* gloſſema non eſt, ut ſuſpicatur Iſaacus Voſſius.

v. 17. *alios, alioſque verſus*] Virgilius

quo-

Digitized by Google

Qualis in immenſum deſcenderit aera tellus;
Qualis & in curvum pontus confluxerit orbem;
Et vagus a terris quà ſurgere nititur aer,
Hinc ut contextis paſſim fluat ignibus æther;

Pen-

quoque l. 10. Æneid. v. 882.

dixit, telumque intorſit in hoſtem,
Inde aliud ſimul, atque aliud.

Præiverat Maroni Callimachus Hymno in Apollinem v. 101.

τὸν μὲν σὺ κατέκταμες, ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ
Βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν.

eum tu quidem occidiſti, aliam, aliamque
Mittens velocem ſagittam.

ibid. *memor*] Subaudi, *acceptorum beneficiorum:* parem ſcilicet gratiam referendi ſtudioſus. Homines enim grato animo, beneſacta recordari; ingrato, oblivisci ſolent. Ovidius Epiſt. Medeæ v. 15.

Iſſet anhelatos non præmedicatus in ignes
Immemor Æſonides, collaque adunca boum.

ibid. *componere verſus*] Conſcribere. Id quod ſequitur, pro eo quod præcedit, inquit Paſſeratius. Verſus enim ſcribuntur, ut ſcripti condantur, componantur, & nonum in annum premantur. Horatius Epiſt. 1. lib. 1. v. 12.

Condo, & compono, quæ mox depromere poſſim.

v. 18. *Alter*] Pro *alius*. Albinovanus Conſolat. ad Liviam Auguſtam v. 10.

Hei mihi, quam facile eſt (quamvis hic contigit omnes)
Alterius luctu fortia verba loqui!

nempe, in luctu alieno.

ibid. *dicat opus m. mirabile mundi*] Lucretium fortaſſe ſignificat, qui paullo ante (ſuit enim Ciceroni σύγχρονος) libros ediderat de Rerum Natura carmine conſcriptos, eoſque inſcripſerat Memmio, viro antiqua nobilitate. De illo certe Ovidius lib. 2. Triſt. v. 425.

Explicat ut cauſſas rapidi Lucretius ignis,
Caſurumque triplex vaticinatur opus.

Nam ſcriptor ille ita cecinerat l. 5. v. 93.

Principio maria, ac terras, cælumque tuere,
Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Tres ſpecies tam diſſimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio; multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.

Cum Ovidio facit Auctor Conſolationis ad Liviam v. 361.

Ecce necem intentam cælo, terræque, fretoque,
Caſurumque triplex vaticinantur opus.

Porro Tibullus *opus mundi* vocat *mirabile*, θαυμαστόν, θαῦμα ἰδέσθαι· quod ſi qui non mirantur, ſtupidis, atque in Deum bruta ferocitate injuriis annumerandi ſunt. De hoc inutili hominum genere ſcripſit Horatius Epiſt. 6. v. 3.

Hunc Solem, & ſtellas, & decedentia certis
Tempora momentis, ſunt qui formidine nulla
Imbuti ſpectent.

Ubi *formido* eſt admiratio, ſtupor. Nam *qui timet*, ut ait idem ibid. v. 9. *fere miratur eodem, Quo cupiens pacto.*

v. 19. *Qualis in i. deſcenderit aëra tellus*] Ovidius lib. 1. Metam. v. 29.

Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui.

Legitur & *deſederit:* verum ſententia eodem recidit.

v. 20. *in curvum pontus confluxerit orbem*] In rotundam figuram, quam efficit Oceanus, amplexu ſuo terram ambiens.
PASS.

v. 21. *a terris qua ſurgere nititur aer*] Locum relinquens inferiorem elementis denſioribus & gravioribus, ex quibus conſtant terræ ac maria. Eſt autem aër exſpiratio & exhalatio quædam mixta, nempe καπνώδης, ἀπὸ τῆς γῆς ἀποῤῥέοντα, ἢ ἀτμώδης, ἀπὸ τῆς ὑγρᾶς φύσεως.

v. 22. *Hinc ut contextis paſſim fluat ignibus æther*] Quod enim eſt in aëre λεπτομερέστατον, hoc eſt partium tenuiſſimarum, id igneam atque ætheriam naturam efficit, quæ poſtremo deſinit in cæleſtem; adeo ut elementorum omnium rerum naturam componentium ſit unus contextus & continua-

tio,

Digitized by Google

Pendentique ſuper claudantur ut omnia cælo.
At quodcumque meæ poterunt audere camenæ,
Seu tibi par poterunt (ſed quod ſpes abnuit ultro)
Sive minus, certeque canent minus, omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
Nam, quamquam antiquæ gentis ſuperant tibi laudes,

Non

tio, molli admodum tranſitu.

v. 23. *Pendentique ſuper c. ut o. cælo*] Iccirco poeta ille vetus audaci metaphora dixit, *cæli ingentes fornices*, & Lucretius identidem, *mœnia cæli*. Animadvertit Paſſeratius, ab eodem Lucretio *ſuperſtitionis* nomen a ſuperſtando & ſuperimpendendo eleganter derivatum fuiſſe. Illam enim ſic deſcribit lib. 1. de Rerum Nat. v. 63.

Humana in terris fœde quum vita jaceret
In terris oppreſſa gravi ſub relligione,
Quæ caput a cæli regionibus oſtendebat
Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans.

v. 24. *At q. meæ poterunt audere camenæ*] Incurrit Propertius in Tibulli veſtigia Eleg. 18. l. 1.

Et quodcumque meæ poterunt narrare querelæ.

PASS.

v. 25. *quod ſpes abnuit*] Quod ſpes ipſa polliceri non audet, quamvis large promittere ſolita ſit. Nam ſpes & ait, & negat. Noſter Eleg. ultima lib. 2.

Jam mala finiſſem leto, ſed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.

Abnuo adverſatur τῷ *annuo*. Servius ad illud 10. Æneid. v. 8.

Abnueram bello Italiam concurrere Teucris: exponit, *prohibueram*. Dixerunt & *abnuto*. PASS.

ibid. *ultra*] Magis, amplius. Vellejus Paterculus: *Vir munditiis ultra feminam fluens*. Legitur etiam, ut Paſſeratius teſtatur, *ultro*, id eſt, αὐτομάτως, ſponte ſua. Sed ipſe præfert *ultra*: Tibullus enim tria complectitur, *par*, *majus*, & *minus*. At ego, pace tanti viri, τὸ *ultro* anteponendum exiſtimo: qui enim *ultra* meritum laudat, blanditur & adulatur. Dedecet autem cum ſummo viro loquentem, cujus virtutes laudandas ſuſceperis, ejus laudis mentionem facere quæ benefactis amplior ſit; quaſi merita viri principis non ſolum dicendo æquari, ſed etiam ſuperari poſſint. Præterea veteres ab immodicis laudibus abhorrebant, & iis faſcinum ſubeſſe putabant. Virgilius Ecloga 7. v. 27.

Aut ſi ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

v. 26. *Sive minus, certeque canent minus*] Pari lepóre uſus Noſter Eleg. 1. l. 3.

Teque ſuis jurat caram magis eſſe medullis:
Sive ſibi conjunx, ſive futura ſoror.
Sed potius conjunx.

ibid. *omne vovemus Hoc tibi*] Nempe dedicamus, & conſecramus. Paſſeratius mavult *movemus*; hoc eſt molimur, incipimus, & aggredimur. Ita Virgilius lib. 7. Æneid. v. 44.

major rerum mihi naſcitur ordo,
Majus opus moveo.

Ovidius Epiſt. Sapphûs v. 3.

An niſi legiſſes auctoris nomina Sapphûs,
Hoc breve neſcires unde movetur opus?

v. 27. *careat*] Optantis & eligentis eſt. Non vult, chartam, ſive libros a ſe conſcriptos, ſine laudibus Meſſalæ in vulgus prodire.

v. 28. *antiquæ gentis*] Antiqua gens Valeria, a Valerio Voleſo, ſive Voluſo, qui Romam e Sabinis venit cum Tatio. Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 4. τῆς ἀρχαιολογίας τῆς ῥωμαϊκῆς, Plutarchus in Publicola. Ex gente Valeria plures familiæ fuerunt, cognominibus diſtinctæ, Maximi, Publicolæ, Ariſculi, Catulli, Barbati, Flacci, Meſſalæ, Corvini. PASS.

ibid. *ſuperant tibi*] Superſunt, vel abundant. Virg. 3. Georg. v. 189. *Si ſuperant fœtus*. Plautus Amphitr. 2. 2. 77.

Nam

Non tua majorum contenta eſt gloria fama;
Nec quæris quid quaque index ſub imagine dicat,
Sed generis priſcos contendis vincere honores,
Quam tibi majores, majus decus ipſe futuris.
At tua non titulus capiet ſub nomine facta,
Æterno ſed erunt tibi magna volumina verſu:
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique quique canent vincto pede, quique ſoluto.

Quis

Num tibi aut acceſſit ſtultitia, aut ſuperat ſuperbia?
PASS.

v. 29. *tua gloria*] Tu ipſe nobilis & ἔνδοξος. Propertius l. 2. Eleg. 7.

Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen.

Gloria, ἀπὸ τοῦ κλέους: Feſtus. Gloriam eum fama conjungit: nam definitur a Cicerone pro Marcello: *Illuſtris & pervagata fama meritorum.* *Idem.*

v. 30. *Nec quæris*] Nec ſcire laboras, nec curas. *Idem.*

ibid. *index ſub imagine*] Ἔλεγχος, & ſubſcriptæ cuique imagini litteræ. Sic autem, ut in veteri libro eſt, emendarat ex conjectura & opinione Lipſius lib. 1. Elect. c. 29. Indices hujuſmodi vocabantur & *tituli*. Noſter infra v. 33. Ovidius Epiſt. Phyllidis v. 68. & 73. Valerius Maximus lib. 5. Memorabilium cap. 8. exemplo 3. de Manlio Torquato: *Effigies majorum cum titulis ſuis.* *Paſſeratius*, & *Broukhuſius*.

ibid. *dicat*] Quaſi loquatur. Plautus Bacchid. 4. 7. 3.

Quid hæ loquuntur litteræ? nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt.
PASS.

v. 31. *contendis vincere honores*] Nempe laboras, certas, niteris exſuperare, in eo totus es ut exſuperes. Ita & ſimplici verbo *tendere* utitur Horatius Epiſt. 10. v. 20.

Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?

Et Epiſt. 2. l. 2. v. 55.

Singula de nobis anni prædantur euntes;
Eripuere jocos, venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poemata.

v. 32. *futuris*] Poſteris, poſtgenitis. Statius in extrema Thebaide:

præſens tibi fama benignum
Stravit iter, didicitque novum monſtrare futuris.

v. 33. *titulus*] Scriptio, ἐπιγραφή, ἔλεγχον. Putat Paſſeratius, hoc intereſſe inter *titulum* & *indicem*, ut index ſignificet cujus ſit imago, titulus honores & merita. Iccirco ait poeta, *titulus ſub nomine*, ſcilicet poſt nomen; quod ſubſequeretur nomen. Propertius l. 2. Eleg. 14.

Taleque ſub noſtro nomine carmen erit.

v. 34. *æterno verſu*] Numquam interituro, ſemper victuro. Infra hoc ipſo Carmine, v. 180. *æterno propior non alter Homero.*

v. 35. *Convenient undique*] Omni ex parte confluent. Significatur πανήγυρις, περιφραστικῶς. Virgilius 5. Æneid. v. 293.

Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani.

Convenient componere: ἑλληνισμός, pro convenient ad componendum. Ita Virgilius Ecloga 5. v. 1.

Cur non, Mopſe, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus.

Sed ibi verior σύνταξις, *boni inflare*, *boni dicere*, quam *convenimus inflare*, *convenimus dicere*. Vel, *cupidi componere*, altero helleniſmo, pro cupidi componendi. Propertius lib. 1. Eleg. 19.

Sed cupidus falſis attingere gaudia palmis.
PASS.

ibid. *componere laudes*] Nomen & fortia

facta

Quis potior, certamen erit. ſim victor in illis,
Ut noſtrum tantis inſcribam nomen in actis.
Nam quis te majora gerit caſtriſve, forove?
Nec tamen hinc aut hinc tibi laus majorve, minorve:
Juſta pari premitur veluti quum pondere libra:
Prona nec hac plus parte ſedet, nec ſurgit ab illa.

Qua-

facta celebrare. Vide quæ ſuperius diximus ad verſum 17.

v. 36. *vincto pede*, ac *ſoluto*] Verſu nimirum, & proſa oratione. Pedes in verſu vincti ſunt, quod mutuis vinculis nectantur, & adſtringantur, ut alter ex altero pendeat, tamquam in catena anuli. Contra, in proſa oratione, quamvis numeroſa & *ἀῤῥύθμῳ*, ſoluti ſunt pedes, nempe liberiores. Ovidius Eleg. ult. lib. 4. Triſt.

Scribere conabar verba ſoluta modis.

Huc pertinet Quinctiliani præceptum l. 4. Inſtit. Orat. cap. 4. ad Oratores quorum eſt nimis exquiſita, & poeticis pæne numeris adſtricta oratio: *Ideoque vincta quædam quaſi ſolvenda de induſtria ſunt, illa quidem maximi laboris, ne laborata videantur*. Aliena vero & importuna ſunt veterum teſtimonia quæ attulit Paſſeratius ad hunc locum, ut oſtenderet, oratores etiam & hiſtoricos in ſcriptione ſua pedibus uti. Nam quod *hiſtoriæ* appellentur *pedeſtres*, *ſermo* Comicorum *pedeſter*, *muſa* Satyricorum *pedeſtris*, & quod Plato in Sophiſta πεζὸν λόγον oppoſuerit ſcriptioni poetarum; id ad pedes orationis nihil pertinet, ſed tantum ſignificat, poetas equeſtri quodammodo & ſublimi ſtilo uti ſolere, ſcriptores alios humiliore, qui quaſi pedibus incedat, ſi comparetur cum poetico. Ita & Comicos & Satyricos poetas, pro argumenti humilitate, proſæ orationi ſimiliora videri ſcribere quam carmini.

v. 37. *Quis potior, certamen erit*] Certabunt inter ſe, quis potior, ſcilicet præſtantior, ſit habendus; cujus potiſſimum victoria & palma futura ſit. Horatius Ode 20. l. 3.

Grande certamen, tibi præda cedat
Major, an illi.

ibid. *ſim victor in illis*] Utinam in eo certamine palmam referre poſſim. Vel *ſim* pro *ero*.

v. 38. *noſtrum inſcribam nomen*] Pro *inſcribam nomen meum*; quod ſyntaxis poſtulabat. Ita Propertius l. 2. Eleg. 14.

Magna ego dona tuâ figam, Cytherea, columnâ:
Taleque ſub noſtro nomine carmen erit.

PASS.

ibid. *inſcribam nomen in actis*] Cicero l. 1. Tuſc. Quæſt. *Ipſi philoſophi in libris de contemnenda gloria ſuum nomen inſcribunt*. Et Philippica 13. *In porta ſuum nomen inſcripſit*. PASS.

v. 39. *Quis te majora gerit?*] *Gerere* hic eſt ſuſtinere, & adminiſtrare. Varro lib. 5. de L. L. *Poeta facit fabulam, actor agit. Imperator neque facit neque agit, ſed rem gerit, ideſt ſuſtinet. translatum ab his qui onera gerunt*. PASS. Hinc *res geſtæ*. Horatius Epiſt. 17. v. 33.

Res gerere & captos oſtendere civibus hoſtes,
Attingit ſolium Jovis, & cæleſtia tentat.

Sed & in foro, immo & intra domeſticos parietes *res geri* dicebantur. Lepide Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 18.

Vincor; & ingenium ſumtis revocatur ab armis:
Reſque domi geſtas, & mea bella cano.

v. 40. *Nec tamen hinc aut hinc* &c.] Par tibi laus e caſtris & foro. Æque bonus es & imperator & orator. PASS. Verſus aſper & duriuſculus, quales plerique occurrunt in hoc Panegyrico.

v. 41. *Juſta libra*] Hic libræ nomen ad pondus, non ad menſuram refertur. Ceterum Auſonio in Eclogario v. 26. *libra* omnem in rebus modum, menſuram, numerum, ordinem, legem, regulam, κατὰ μεταφορὰν ſignificat:

Libra igitur, totum ſi nulla in parte vacillet:
Ponderis, & numeri, morumque, operumque, & aquarum

Li-

Qualis, inæquatum ſi quando onus urget utrimque,
Inſtabilis natat alterno depreſſior orbe.
Nam ſeu diverſi fremat inconſtantia vulgi,
Non alius ſedare queat: ſeu judicis ira

Sit

Libra: nec eſt modulus quem non hoc nomine ſignes.

Pass.

ibid. *pari premitur v. quum pondere*] Tunc libra vocatur a Græcis *ἰσοστάσιος*, *ἰσόζυγος*, *ἰσόῤῥοπος*, *ἰσοβαρής*. a Latinis, *neque dependens*, *neque propendens*. Hinc *ἰσοῤῥοπία*, *æquilibrium*, *hoſtimentum*. Pass. *ῥοπή*, *momentum* eſt, id ſcilicet quod libram & ſtateram movet atque inclinat.

v. 42. *Prona*] Epitheton *prona*, jungitur cum verbo *ſedet*, & ſub conditione ponitur: prona futura ſi ſedeat. Horatius eodem modo, Sat. 6. lib. 2. v. 8. *Si veneror ſtultus nihil horum*. Nam ſi venerarer, ſtultus eſſem. *Pronum* & *ſupinum* opponuntur. Pass.

ibid. *ſedet*] Deprimitur. Hinc *ſedere* tela dicuntur quæ deſcendunt altius, & infiguntur. Virgilius 10. Æneid. v. 784.

tribuſque
Tranſiit intextum tauris opus, imaque ſedit
Inguine.

ibid. *nec ſurgit ab illa*] In ſublime fertur, erigitur, attollitur. ſic ſupra: *qua ſurgere nititur aer*. Sic & Virgilius, *conſurgere & premi*, de utroque polo dixit; quorum alter ſublimis, alter ſub pedibus; lib. 1. Georg. v. 240.

Mundus ut ad Scythiam, Riphæaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in auſtros.

Pass.

v. 43. *Qualis* &c.] Ratione plane mira ob oculos ponit libram pari pondere preſſam: & hic verſus cum proxime ſequenti auro contra cari non ſunt.

ibid. *inæquatum onus*] Quod modo dixit *par pondus*. *τὸ in* non eſt abnutivum, nec *στερητικὸν*, ſed adnuit & affirmat, ut in verbis *inæſtuare*, *infringere*, *inclamare*, *inaudire*. Sic Cæſar lib. 1. de Bello Civili: *Foſſas tranſverſis viis perducit, ſtipiteſque præacutas defigit: hæc levibus cratibus, terrâque inæquat*. Pass.

v. 44. *Inſtabilis natat*] Incerta, vaga, mobilis fluitat, vacillat Hinc *natinare*, & *natinatio* apud Feſtum & Iſidorum. & *natinatores*, ſeditioſi, quorum fluctuat ſemper animus; & qui more natantium in negotiis ſemper fluctuantes feruntur. Pass. Quocirca vates Venuſinus Sat. 7. l. 2. v. 6.

Pars hominum vitiis gaudet conſtanter, & urget
Propoſitum: pars multa natat, modo recta capeſſens,
Interdum pravis obnoxia.

ibid. *alterno depreſſior orbe*] Nunc dextrâ lance, nunc ſiniſtrâ magis inclinata. *Orbis* hoc loco eſt lanx libræ rotunda. Ut autem Tibullus, *depreſſior*, ita Cicero in Oratore ad Brutum dixit, *ſuppreſſior*: *Erit enim ut voce, ſic etiam oratione ſuppreſſior.*

v. 45. *diverſi vulgi*] In alia omnia euntis, & ſemper a bonis diſſentientis. Pass. Notat poeta crebras plebis Romanæ ſeditiones. Propertius l. 1. Eleg. 10.

Poſſum ego diverſos iterum conjungere amantes.

nempe diſcordes & diviſos amantium animos reconciliare inter ſe.

ibid. *fremat*] *Fremo* a Græco verbo *βρέμω*, mutato beta in digamma Æolicum: niſi fictum verbum per onomatopoejam, ut *frendo*, *frango*, *frigeo*. Feſtus: *Fremitum, quaſi ferimentum*. Fremitus etiam ventorum eſt. Virgilius 1. Æneid. v. 56. de ventis indignantibus: *Circum clauſtra fremunt*. Item equi, leonis. Præterea maris, & lacuum aliquorum. Virgilius 2. Georg. v. 160.

Fluctibus, & fremitu aſſurgens, Benace, marino.

Pass.

De equis animoſis frementibus Græci uſurpant ſuum *φρυάττομαι*, ſeu *φρυάσσομαι*. Callimachus *εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος*, v. 2. *Τᾶν ἵππων ἄρτι φρυασσομενᾶν Τᾶν ἱερᾶν ἐσάκουσα*. *Equas modo frementes Sacras illas audivi*.

Male

Digitized by Google

Sit placanda, tuis poterit miteſcere verbis.
Non Pylos, aut Ithace, tantos genuiſſe feruntur

Neſto-

Male quidam vertunt *binnientes*. aliud enim eſt χρεμετίζειν, *binnire*; aliud φρυάττεσθαι, *fremere*. Equi ſæpius fremunt, quam hinniunt. Sed hæc obiter.

ibid. *inconſtantia vulgi*] Id eſt vulgus inconſtans: ut mox *judicis ira*, pro iratus judex. Ita Virgilius l. 2. Æneid. v. 602. *verum inclementia divûm Has evertit opes*. id eſt divi inclementes. PASS. Vide, ſi lubet, quæ attulimus ad verſum 11. Elegiæ 2. libri 1.

v. 46. *Non alius*] Nemo præter te, aut nemo te citius.

ibid. *ſedare*] Componere, ad pacem & concordiam vertere. Virgilius 1. Æneid. v. 148.

magno in populo quum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces & ſaxa volant; furor arma miniſtrat:
Tum, pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent; arrectiſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

ibid. *ſeu judicis ira Sit placanda*] Judices iraſci flagitium eſt: tunc enim videntur homines odiſſe, non ſcelera. Claudianus propterea de Conſulatu Mallii Theodori v. 221. ſapientiſſime:

Quin etiam ſontes expulſa corrigis ira,
Et placidus delicta domas. nec dentibus umquam
Inſtrepis horrendum, fremitu nec verbera poſcis.
Qui fruitur pœna, ferus eſt, legumque videtur
Vindictam præſtare ſibi: quum viſcera felle
Canduerint; ardet ſtimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus cauſſæ. Diis proximus ille eſt
Quem ratio, non ira, movet.

Claudiano concinit Seneca lib. 1. de Ira, cap. 16. *Quid ergo? non iraſcar latroni? non iraſcar venefico? Non. Neque enim mihi iraſcor quum ſanguinem mitto. Omne pœnæ genus, remedii loco admoveo*. Lege reliqua, ſi vacat. Præterea Calliſtratus J. C. Lege 19. D. de Officio Præſidis: *Sed & in cognoſcendo neque excandeſcere adverſus eos quos malos putat* (Præſes): *neque precibus calamitoſorum inlacrimari oportet. id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. & ſummatim ita jus reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat*. De judicum & præſidum iracundia legendus M. Tullius Epiſt. 1. lib. 1. ad Q. Fratrem. At germana hujus loci Tibulliani explicatio hæc eſt: Seu reus defendendus oratione ſit, in quem accuſator odium judicis concitaverit. Nam, ut ait Cicero in Partitionibus Oratoriis: *Accuſatoris propoſitum eſt, ut iratum efficiat judicem*. id eſt inimicum adverſumque ei qui in judicium adducitur. Eodem pacto *irati dii*, ſunt contrarii, minus propitii. Idem Cicero in Oratore ad Brutum: *Sed etiam eſt faciendum ut iraſcatur judex, mitigetur, invideat*. Et l. 1. de Oratore: *Quis enim umquam orator magnus & gravis, quum iratum adverſario judicem facere vellet, hæſitavit ob eam cauſſam, quod neſciret quid eſſet iracundia, furorne mentis, an cupiditas puniendi doloris?* Contraria loquitur Auctor Dialogi de Oratoribus, quem alii Quinctiliano, alii Tacito tribuunt, cap. 31. *Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram judicis vel inſtiget, vel leniat, qui ſcit quid ira; promtius ad miſerationem impellat, qui ſcit quid ſit miſericordia, & quibus animi motibus concitetur*. His addo Quinctilianum ipſum lib. 9. Inſtit. Orat. cap. ultimo: *Nec poteſt ei credere, aut propter eum dolere & iraſci judex, cui putat hoc vacare*. nempe quem ſentit numeris poeticis, & nimium concinnæ verborum collocationi ſtudere. Sed optime omnium D. Auguſtinus Enarrat. in Pſalmum 82. num. 12. *Meminerimus ſane, iram Dei ſine ulla affectione turbulenta intelligere. Ira quippe ejus dicitur ratio juſta vindictæ: tamquam ſi lex dicatur iraſci quum miniſtri ejus ſecundum eam commoti vindicant.*

v. 47. *tuis poterit miteſcere verbis*] Hic Meſſala Tibulli patronus, puer erat Cicerone adoleſcente, & jam tum eloquentiæ

ope-

Digitized by Google

Neſtora, vel parvæ magnum decus urbis Ulixen.
Vixerit ille ſenex quamvis, dum terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,

Qua

operam dabat. Sic enim Tullius in Orat. pro Sex. Roſcio Amerino, cap. 51. *Quæ domi gerenda ſunt, ea per Cæciliam tranſiguntur: fori judiciique rationem Meſſala, ut videtis, judices, ſuſcepit. qui, ſi jam ſatis ætatis atque roboris haberet, ipſe pro Sex. Roſcio diceret. quoniam ad dicendum impedimento eſt ætas, & pudor, qui ornat ætatem; cauſſam mihi tradidit, quem ſua cauſſa cupere, ac debere intelligebat. ipſe aſſiduitate, conſilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roſcii vita, erepta de manibus ſectorum, ſententiis judicum permitteretur.* Idem Cicero paullo poſt laudat Meſſalæ nobilitatem, ac fortitudinem animi. Evaſit deinceps Meſſala in oratorem ſummum, qui aliis tamquam abſolutæ eloquentiæ exemplum proponeretur. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 369.

actor
Cauſſarum mediocris abeſt virtute diſerti
Meſſalæ.

v. 48. *Pylos*] Tres in Peloponneſo Pyli fuerunt, Eliaca, Triphyliaca, Meſſeniaca. ſingulæ autem alumno Neſtore gloriabantur. Ceterum Strabo lib. 8. Geographiæ, vero ſimillimum exiſtimat, Pylum ubi regnavit Neſtor, Triphyliacam fuiſſe; hæc enim ſola Pylos circa fluvium Alpheum ſita erat. Ex Homero autem id colligit Strabo, qui prædia Neſtoris & poſſeſſiones ad utramque ripam Alphei, in Iliade, collocavit.

ibid. *Ithace*] Parva inſula maris Ionii, patria Ulixis, urbe cognomine gaudens. Non eſſe cum Dulichio temere confundendam, recte monet Broukhuſius.

ibid. *tantos*] Tam magnos, excellentes, claros.

ibid. *genuiſſe*] Patria enim, communis quaſi mater civium. Propertius lib. 1. Eleg. 22.

Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

v. 49. *parvæ magnum decus urbis Ulixen*] Ingens enim Ulixis gloria, per totum terrarum orbem pervagata, Ithacen exiguam, & in ſcopulis tamquam nidulum affixam, ut ait M. Tullius lib. 1. de Oratore, amplificavit quodammodo & immortalem reddidit.

v. 50. *terna ſecula*] Neſtor, uti teſtatur Cicero Dialogo de Senectute, cap. 10. tres hominum ætates vixit. Opinio eſt per manus tradita, Neſtorem trecentos annos vixiſſe. Non defuerunt tamen qui ſcriberent, nonaginta octo annos demum obiiſſe. ſeculum enim pro ſpatio centum annorum non ſemper accipitur, ſed interdum etiam pro γενεᾷ, nempe pro illo temporis intervallo quod novam hominum generationem adducit: annis videlicet triginta. Propterea Lucretius non ſemel uſurpat *ſeculum* pro gente ſeu ſtirpe hominum & animalium. *Seculum*, a *ſequendo*. Iccirco Virgilius Ecloga 8. v. 27. id appellavit *ævum ſequens*:

Jungentur jam gryphes equis: ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

ibid. *per orbem*] Per cælum σφαιροειδῶς. Virgilius 1. Georg. v. 232.

Iccirco certis dimenſum partibus orbem
Per duodena regit mundi Sol aureus aſtra.
Pass.

Vel anni περίοδον & περίπλοον ſignificat.

v. 51. *fertilibus horis*] Horæ dicuntur anni tempeſtates, quæ omnia ſecum ferunt & auferunt, reſque humanas immutant. *Fertilis* a *ferendo*, ut nemo neſcit. Propterea Virgilius Ecloga 9. v. 51. *Omnia fert ætas, animum quoque.* ideſt, *aufert*. Contra Horatius Epiſt. ad Piſones v. 175.

Multa ferunt anni venientes commoda ſecum;

nempe *afferunt*, *apportant*. Idem Ode 16. lib. 2.

Et mihi forſan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Noſter denique lib. 3. Elegia 4.

Sed

Qua maris extremis tellus excluditur undis.
Nam Ciconumque manus adverſis repulit armis:
Nec valuit Lotos cœptos avertere curſus.
Ceſſit & Ætnææ Neptunius incola rupis,

Victa

Sed proles Semelæ Bacchus, doctaque ſorores
Dicere non norunt, quid ferat hora ſequens.

v. 52. *Ille*] Ulixes; in cujus laudes Tibullus παρεκβαίνει, & (vera enim dicenda ſunt) nimium immoratur, Meſſala ſepoſito.

ibid. *audax*] Timidus fuit Ulixes in congreſſu cum hoſtibus, audax in longis itineribus ac periculoſis ſuſcipiendis, qui præſertim veritus non ſit ſe mari toties committere. Fuit igitur ex eo genere hominum quos Ariſtoteles lib. 3. de Moribus vocat θρασυδείλους, *timidaudaces*. Ovidius l. 14. Metamorph. v. 670. *conjux timidi atque audacis Ulixei*. PASS. Eum tamen Ovidii locum aliter legit Nicolaus Heinſius: *timidis audacis Ulixei*, hoc eſt *audacis in timidos*.

ibid. *per ignotas erraverit urbes*] Apte conectuntur, *errare per ignota*. Virgilius Ecloga 6. v. 40.

Rara per ignotos errent animalia montes.

PASS.

v. 53. *tellus excluditur*] Quaſi extra clauditur: Oceanus enim, quod mare ultimum dici poteſt, terras ambit exterius. Alii legunt, *includitur*; nempe ambitur ac terminatur.

v. 54. *Nam Ciconumque manus a. r. a.*] τὸ *que* videtur abundare. vel eſt τμῆσις, pro, *Namque manus Ciconum*. PASS. Broukhuſius tamen haud ſatis aſſequitur quid ſibi velit iſtud *que* in ipſo orationis initio.

ibid. *Ciconum manus*] Copias Ciconum, agmen, coactam multitudinem. Homerus lib. 9. Odyſſeæ Ulixen Alcinoo narrantem inducit, ut profectus ab Ilio ad Ciconas primum Thraciæ gentem delatus ſit, atque illic expugnata urbe Iſmaro, multis ſuorum amiſſis poſtea fugere ſit coactus. Nam quum poſt expugnationem oppidi, ſocii corpora curaſſent & genio indulſiſſent, Cicones congregati manus conſeruerunt: & e ſingulis navibus amiſſis ſex ſociis, Ulixes vix effugit. PASS.

ibid. *adverſis armis*] Ambigue, inquit Paſſeratius: an cominus pugnando, & contra ſtando in acie: an adverſo Marte, & parum felici ſucceſſu. Verum hic nihil ambigui; & prior interpretatio vera & ſola eſt. Tibullo enim propoſitum eſt Ulixen laudare atque extollere, non ejus virtutes deprimere ac extenuare.

v. 55. *Lotos*] Hyginus Fab. 125. ubi de Ulixis erroribus: *Inde ad Lotophagos* (delatus eſt) *homines minime malos, qui Loton ex foliis rore procreatam edebant; idque civibus tantam ſuavitatem præſtabat, ut qui guſtabant, oblivionem caperent domum reditionis. Ad eos ſocii duo miſſi ab Ulixe, quum guſtarent herbas ab eis datas, ad naves obliti ſunt reverti; quos vinctos ipſe reduxit.* PASS. Crediderim ego, ad hanc fabulam reſpexiſſe Epictetum Stoicum in Enchiridio, cap. 7. ubi vitam comparat navigationi: Καθάπερ, inquit, ἐν πλῷ, τοῦ πλοίου καθορμισθέντος, ἂν ἐξέλθῃς ὑδρεύσασθαι, ὁδοῦ μὲν πάρεργον ἐστι, καὶ κοχλίδιον ἀναλέξασθαι, ἢ βολβάριον· τετάσθαι δὲ δεῖ τὴν διάνοιαν ἐπὶ τὸ πλοῖον, καὶ συνεχῶς ἐπιστρέφεσθαι, μήποτε ὁ κυβερνήτης καλέσῃ· κἂν καλέσῃ, πάντα ἐκεῖνα ἀφιέναι, ἵνα μὴ δεδεμένος ἐμβληθῇς, ὡς τὰ πρόβατα· οὕτω, &c. hoc eſt: *Sicut in navigatione, ubi ſtationem navis nacta eſt, ſi exeas aquatum, in via quidem obiter hoc agis, ut cochleolam colligas, aut bulbulum; animum autem ad navim intentum habere oportet, & continuo reſpicere, an gubernator vocet; &, ſi vocet, omnia oportet relinquere, ne vinctus, ovium inſtar, in navim conjiciaris. Sic*, &c.

v. 56. *Ætnææ Neptunius incola rupis*] Polyphemus Cyclops Neptuni filius, ἀνθρωποφάγος, quem Ulixes vino Iſmario delinitum, ſomnoque ſepultum, torre obuſto excæcavit. Hic Cyclops, ut poetæ, aliique ſcriptores fere omnes tradiderunt, habitavit in Sicilia ſub Ætna monte. Homerus tamen Cyclopas continentis habitatores facit.

v. 57.

Digitized by Google

Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Læſtrigonas, Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda.

Salum

v. 57. *Victa lumina*] Unicum oculum, quem ſub fronte Polyphemus gerebat, vino ſomnoque domitum & oppreſſum. Noſter lib. 1. Eleg. 2.

Adde merum, vinoque novos compeſce dolores,
Occupet ut feſſi lumina victa ſopor.

ibid. *Maroneo Baccho*] Vino ita dicto a Maronea, litorali Thraciæ urbe, apud Hebri fluminis ἐκβολάς, quod vinum iccirco Propertius appellavit *Iſmarium*. Vel quod Ulixi dederat Maron Evanthei filius, ſacerdos Apollinis, qui deus Iſmarum tueri credebatur. Vide Homerum lib. 9. Odyſſeæ v. 197. Maron, alius ab Homerico ut videtur, eſt auriga Bacchi apud Nonnum Panopoliten l. 11. Dionyſiacon, v. 221.

ibid. *fœdatus*] Turpatus videlicet ſanguine ex oculo effoſſo defluente.

v. 58. *Æolios ventos*] Æoliam inſulam incolentes, vel Æolo regi parentes. vide Virgilium 1. Æneidos. Narrat Homerus initio lib. 10. Odyſſeæ, Ulixen ad Æolum in inſulam Æoliam veniſſe, ibique benigne acceptum, ab hoſpite ſuo donatum fuiſſe utre ex corio bubulo, in quo venti omnes incluſi eſſent præter Zephyrum. Quum autem die decimo proximus Ithacæ jam eſſet, ac inſidioſo ſopore oppreſſus ad clavum obdormiſſet, ſocii ejus, in utre pretioſum aliquid contineri putantes, prædæque cupidi, utrem ſolverunt. Statim vero inſurrexit procelloſa tempeſtas, quæ Ulixen ad Æoliam inſulam rejecit, unde ab Æolo excluſus fuit. Vide Ovidium lib. 14. Metamorph. a v. 223. & Auſonium in periocha l. 10. Odyſſeæ. *Paſſeratius, & Broukhuſius.*

ibid. *placidum per Nerea*] Per mare tranquillum, obſtrictis aliis ventis præter Zephyrum. Exſtat apud Perſium Satyra 1. verſus Neronis inſignitus eodem ſchemate; quem Perſius irridet.

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Virgilius 10. Æneid. v. 764. *maxima Nerei Stagna*. *Nereus* deus marinus, pro mari. ut ſupra, *Pontus*. Sic Neptunus, Tethys, Amphitrite, Thetis. *Nereus* apud Heſiodum in Theogonia, Oceani ac Tethyos filius, Doridis maritus, pater centum Nympharum. PASS. Nereum diis fatidicis, & futurorum præſciis annumeratum fuiſſe, indicat Ode 15. lib. 1. Horatii.

v. 59. *Incultos adiit Læſtrigonas*] Homerus 10. Odyſſeæ v. 119. ἴφθιμοι Λαιστρυγόνες. mox, οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες, ἀλλὰ γίγασι. *fortes Læſtrigones, non hominibus ſimiles, ſed gigantibus*. Hi crudeliſſimi feruntur fuiſſe, atque ἀνθρωποφάγοι. Neque Tibullus epitheto parum efficaci eos nominavit *incultos*. Etenim ut Virgilius 3. Georg. Buſirin dixit *illaudatum*, hoc eſt, ut A. Gellius interpretatur lib. 2. N. A. cap. 6. qui nihil umquam egiſſet laudabile; ſic *incultos* noſter vocavit qui in omni parte vitæ ab omni cultu humano abeſſent quam longiſſime. *Feritas* enim *cultui* opponitur; quod manifeſtum ex illis Horatii Epiſt. 1. v. 39.

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Plinius lib. 3. H. N. cap. 5. *Oppidum Formiæ, Hormiæ dictum, antiqua Læſtrigonum ſedes*. Idem lib. 7. cap. 2. Cyclopas in Sicilia, & in Italia Læſtrigonas humana carne victitaſſe, ſcribit. Inde apud Horatium *Læſtrigonia amphora*, pro Formiana. *Paſſeratius, & Broukhuſius.*

ibid. *Antiphatenque*] Hic rex Læſtrigonum fuit, ea feritate, & crudelitate, ut locum proverbio dederit. Herus enim adverſus famulos aſperrimus, & prorſus inhumanus, vocatur ab Juvenale Sat. 14. v. 20. *Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus*. De hoc vide Hyginum Fab. 125. & Homerum lib. 10. Odyſſeæ, qui correptum ab eo ſcribit unum e ſociis Ulixis, & humanis dapibus ita ſibi cœnam apparatam: propterea Ulixen & ſocios inde propere fugiſſe. Fuit & alter Antiphates avus Amphiarai, apud Homerum lib. 15. Odyſſeæ.

Solum nec doctæ verterunt pocula Circes:
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obſcuras acceſſit ad arces:

Queis

Tertius Antiphates, apud Virgilium 9. Æneid. nothus Sarpedonis, occiſus a Turno. *Paſſeratius, & Broukhuſius.*

v. 60. *Nobilis Artacie*] Fons eo nomine celeber, præcipue ob verſus Homeri l. 10. Odyſſeæ. In codice Mattii legebatur, *mobilis*; quam lectionem improbat Paſſeratius. Neque tamen erat cur improbaret; quum ab Horatio dictum ſit Ode 7. lib. 1. *Uda Mobilibus pomaria rivis.* nempe rivis qui manu ducerentur quo collibuiſſet, ad irrigandos hortos & pomaria. Sequitur iccirco apud noſtrum hoc eodem verſu, *irrigat*. Iſidorus lib. 13. Etymolog. cap. 21. *Rivi dicti quod deriventur ad irrigandum, id eſt, inducendum aquas in agris. nam rigare, inducere eſt.*

ibid. *gelidâ*] Teſtatur Broukhuſius, ita legi in vetuſtis codicibus: quod ego adoleſcens conjecturâ præceperam. Paſſeratio placet, *gelidos*; ait vero eſſe trajectionem epitheti, pro undâ ipſâ gelidâ, & gelido loco. Totus enim ille tractus quem Liris alluit, gelidus eſt, ut intelligitur ex Cicerone 1. de Legibus, & ex Horatii Oda ad Ælium Lamiam.

v. 61. *Solum*] Hoc loco Paſſeratius in Tibullo deſiderat veritatem, quum neque Eurylochus, neque alii ſocii Ulixis, qui in navibus remanſere, mutati fuerint a Circe. Ait vero, legi poſſe *Ollam*, pro *Illum*, ἀρχαϊκῶς. Quod tamen abhorrere videtur a genio Tibulli. *Solum*, dicit Noſter, Ulixen a Circe diſceſſiſſe intactum ejus veneficiis, ſolum ex illis videlicet qui, relictis navibus, ædes veneficæ ingreſſi fuerunt, & cum ea verſati & collocuti.

ibid. *doctæ Circes*] In deteriorem partem. *Scientem* Horatius vocat veneficam Epodo 5. v. 71.

Ah ab ſolutus ambulat venefica
Scientioris carmine.

PASS.

Idem poeta Venuſinus ad Canidiam ſagam Epodo 17.

Jam jam efficaci do manus ſcientiæ.

nempe magicæ diſciplinæ.

ibid. *verterunt*] Mutarunt ex homine in ſuem. Hinc dicti *verſipelles*. PASS. Sic Ovidius quoque lib. 4. Metamorph. v. 49.

Naïs an ut cantu, nimiumque potentibus herbis,
Verterit in tacitos juvenilia corpora piſces.

& alibi ſæpius.

ibid. *pocula*] Venena mala, pharmaca. M. Tullius Divinat. in C. Verrem: *Repente, tamquam aliquo Circæo poculo, factus eſt Verres.* Horatius Epiſt. 2. lib. 1. v. 23.

Sirenum voces, & Circæ pocula noſti.

Κίρκην πολυφάρμακον Homerus vocat lib. 10. Odyſſeæ. PASS.

v. 62. *Quamvis illa foret*] Ita Editio princeps anni 1472. Broukhuſio incognita. In alia Veneta, & in Regiolepidina legitur *Quamvis illa ceres*; unde Caſpar Barthius conjiciebat legendum *illaceret*, hoc eſt *illiceret*. Formâ enim ſuâ & blanditiis Ulixen Circe ad concubitum induxit. Certe L. Septimius, a Broukhuſio citatus (quem ſcriptorem vulgo Dictyn Cretenſem appellant) lib. 6. Ephemer. Belli Trojani, cap. 5. *Quo pacto*, inquit, *exactus* (Ulixes) *per Æoli inſulas devenerit ad Circen, atque inde ad Calypſo, utramque reginam inſularum in queis morabantur, & quibuſdam inlecebris animos hoſpitum ad amorem ſui inlicientes.*

ibid. *Solis genus*] Proles, ſive filia Solis. Vide Homerum lib. 10. Odyſſeæ v. 138. Plautus Epidico, ſcenâ *Quid eſt, pater? Abi modo intro, atque hanc aſſerva Circam Solis filiam.* id eſt, meretricem, & veneficam. Cicero lib. 3. de Nat. Deor. *Ex Perſe Oceani filia Circen & Paſiphaën natas* ſcribit patre Sole. Circen Apollonius lib. 4. Argonautic. vocat Πέρσης τε, ἠδ' Ἠελίοιο θύγατρα. ubi Interpres, ex quorumdam opinione, tradit, fuiſſe Æetæ & Hecatæ filiam, Medeæ ſororem. PASS.

v. 63. *veteres figuras*] Antiquas formas, & priores. Virgilius pariter 6. Æneid. v. 448.

juvenis quondam, nunc femina Cæneus:

Rur-

Digitized by Google

Queis numquam candente dies adparuit ortu,
Sive ſupra terras Phœbus, ſeu curreret infra.
Vidit, ut inferno Plutonis ſubdita regno
Magna deum proles levibus diſcurreret umbris.

Præ-

Rurſus & in veterem fato revoluta figuram. Pass.

v. 64. *Cimmeriorum obſcurae ad arces*] Homerus lib. 11. Odyſſeæ collocat hanc gentem ad fines Oceani; Claudianus lib. 1. in Rufinum v. 124. in extremo Galliæ litore ad Oceanum; Georgius Carleton, Epiſtola erudita, quæ eſt octogeſima inter Camdenianas, in inſula Britannia; Servius Grammaticus ad verſum 107. lib. 6. Æneid. optime omnium judicio Broukhuſii, *in loco haud longe a Bajis, undique montibus ſepto, adeo ut nec orientem, nec occidentem Solem poſſis adſpicere, ſed tantum medium diem.* Servio ſuffragantur Philippus Cluverius lib. 4. Italiæ antiquæ cap. 2. Plinius l. 3. Hiſt. Nat. cap. 5. & Pompejus Feſtus. Animadvertit Paſſeratius, hos populos ab Homero vocari ἤερι ἐν νεφέλῃ κεκαλυμμένους: Plutarchum vero in Mario tradere, Cimbros ab his Cimmeriis ortum duxiſſe, apud quos tam denſæ, longæ & profundæ ſilvæ fuerint, ut radii Solis numquam terram poſſent contingere: unde occaſionem fabulæ Homerus arripuit, illo profectum Ulixem quum ad inferos vellet deſcendere. Videndi Strabo lib. 7. & Plinius N. H. lib. 6. cap. 6. De his populis ita Cicero in Lucullo: *Et Cimmeriis quidem, quibus aſpectum Solis ſive deus aliquis, ſive natura ademerat, ſive ejus loci quem incolebant ſitus, ignes tamen aderant, quorum illis uti lumine licebat.* Hinc proverbium *Cimmeriæ tenebræ.*

ibid. *acceſſis*] Pervenit. Fiduciæ verbum. Sic Virgilius 1. Æneid. v. 200.

Vos & Scyllæam rabiem, penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos.

Pass.

v. 65. *candente ortu*] Quod ait Cæſar 1. de Bello Civili, *albente cælo.* Virgilius 4. Æneid. v. 586.

Regina e ſpeculis ut primum albeſcere lucem
Vidit.

unde Gallis, *l'aube du jour.* quod aer tum dehiſcat in candorem, ut ait Feſtus in *Dies.* Ennius apud Ciceronem:

Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Ortus, ἀνατολὴ, proprie Solis, ut ἐπιτολὴ, ſiderum. Pass.

v. 66. *Sive ſupra terras Phœbus, ſeu curreret infra*] Ἀντίχθονας, ſeu ἀντίποδας videtur hic agnoſcere, & fateri Tibullus.

v. 67. *inferno Plutonis ſubdita regno*] Ita legunt Janus Parrhaſius, Lucas Fruterius, Nicolaus Heinſius, & Joannes Paſſeratius; qui etiam docet, cur hæc lectio vulgatæ

Vidit ut inferno Plutoni ſubdita regna

longe anteponenda ſit. Propertius ita loquitur Eleg. 11. lib. 1.

Et modo Theſproti mirantem ſubdita regno,
Et modo Miſenis æquora nobilibus.

Subditus eſt ἀρχόμενος, regi alicui ſubjectus; Italice *ſuddito.* Has fabulas narrat Homerus l. 11. Odyſſeæ.

v. 68. *Magna deûm proles*] Heroes diis geniti. Valerius Flaccus pariter initio Argonauticon:

Prima deûm magnis canimus freta pervia natis.

ibid. *levibus diſcurreret umbris*] Huc illuc volitaret, & vagaretur. Ovidius lib. 2. Faſtor. v. 285.

Ipſe deus velox (Pan) diſcurrere gaudet in altis
Montibus.

Leves umbræ hic ſunt ſimulacra mortuorum inania, ſine corpore. Virgilius Æneid. lib. 10. v. 641.

Morte obita quales fama eſt volitare figuras.

Non enim erant heroes ipſi, ſed heroum ψυχαὶ καὶ εἴδωλα. Idem Maro lib. 4. Georg. v. 472.

Umbræ ibant tenues ſimulacraque luce carentum.

Et 6. Æneid. v. 292.

Et, ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cavâ ſub imagine formæ,
Irruat,

Digitized by Google

Præteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis,
Nec

Irruat, & fruſtra ferro diverberet umbras. Pass.

v. 69. *Præteriitque*] Prætervectus eſt, præternavigavit, παρήλασε. Homerus lib. 12. Odyſſeæ narrat ut prætervectus ſit Ulixes Sirenum ſcopulos obturatis cera ſociorum auribus, & Ulixe ipſius juſſu ad malum navis alligato. Cicero lib. 5. de Finibus, & Auſonius in Gripho ternarii numeri. Pass.

ibid. *citâ puppi*] Celeri ſive veloci nave. Catullus de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 6.

Auſi ſunt vada ſalſa citâ decurrere puppi.

Homerus θοὰς νῆας ἠδ' ὠκυπόρους vocat: & ὠκύαλος νηῦς. *Idem.*

ibid. *Sirenum litora*] Oram maritimam Siciliæ juxta Pelorum promontorium ad Acheloi fluminis oſtium. *Idem.* Sirenes non in mari, ſed in praro inſulæ florido ſedent cantantes apud Homerum, Odyſſeæ lib. 12. v. 38. & 158. ingente circum oſſium putreſcentium acervo; quod non ſecuti ſunt pictores etiam celeberrimi. Eſt & alter pictorum error, (a quo errore ne ipſe quidem Alciatus ſibi cavit Emblemate 115. neque Alciati interpres Julius Cæſar Capaccius Emblem. 113.) quod Sirenas faciunt vultu quidem virgineo, ſed parte corporis inferiore in piſcem deſineute. Quamquam ignoſcere pictoribus æquum eſt, Joannis Boccatii auctoritatem ſecutis lib. 7. Genealogiæ Deorum, cap. 20. qui Boccatius ipſe deceptus fuit ab Albrico philoſopho, obſcuri nnminis ſcriptore. Illa vero pars inferior deſinit in avem, gallinæ non abſimilem: ſuperior alas habet in humeris, tibiam vel lyram in manu. Id teſtantur Hyginus Fab. 125. Ælianus lib. 17. de Animalibus, cap. 23. Apollonius Rhodius l. 4. Argonaut. v. 892. Ovidius lib. 5. Metamorph. v. 551. Claudianus lib. 3. de Raptu Proſerpinæ v. 254. Servius ad lib. 5. Æneid. v. 864. Et hac ipſa forma Sirenas nummi veteres exhibent. Videndus Hannibal Carus Epiſt. 145. lib. 2. & Ezechiel Spanhemius de Præſtantia & uſu Numiſmatum Diſſert. 5. ſect. 3. pag. 251. Exſtat vetus anaglyphum in Theſauro Medicæo in quo cymba, ibidemque colligatus Ulixes conſpicitur, & Sirenes organa muſica pulſantes. *Hæc omnia Broukhuſius.* Addo ego duos verſus Anaxilæ apud Athenæum l. 13. ubi plures Articas meretriculas cum fabuloſis comparat monſtris:

Ἡ Θεανὼ δ' οὐχὶ Σειρήν ἐστιν ἀποτετιλμένη;
Βλέμμα δὲ φωνὴ γυναικὸς, τὰ σκέλη δὲ κοψίχου.

Theano procul dubio Siren vulſa eſt:
Aſpectus & vox, mulieris: crura, merula.

De ſede Sirenum Strabo lib. 1. De Sirenibus ipſis copioſe Macrobius lib. 2. in Somnium Scipionis, cap. 3. ex libris Platonis de Republica, Orpheus in Argonauticis, Iſacius Tzetzes in Heſiodi Theogoniam, Pauſanias in Bœoticis, Hyginus Fab. 125. & 141. Horatius Epiſt. 2. l. 1. Porro Aulus Gellius lib. 16. c. 8. N. A. ait, *apud Sirenios ſcopulos conſeneſcere*, qui nimiam in dialectica operam ponebant. Pass.

v. 70. *I. inter gemina nantem confinia mortis*] Scyllam ſcopulum infamem, & Charybdin voraginem in freto Siculo *mortem geminam* vocat. Videor hic mihi facturus operæ pretium ſi lectoribus meis obiter indicavero, quomodo cenſeam interpungendos tres Maronis verſus ex 3. Æneide, peſſime adhuc interpunctos, & pejus intellectos. Hi vero ſunt, maximeque ad Tibullum pertinent:

Contra, juſſa monent Heleni, Scyllam atque Charybdin
Inter (utramque viam leti, diſcrimine parvo)
Ni teneant curſus: certum eſt dare lintea retro.

Haud facile cogitatu eſt, quantam lucem afferat Virgilio ſignum iſtud parentheſeos. Sed malo doctos viros judicium ferre de hiſce meis nugis, quam ipſe meam diligenriam venditare. Quid vero magis turbatum & impeditum quam vulgata ſcriptura?

Contra, juſſa monent Heleni, Scyllam atque Charybdin

Inter

Nec Scyllæ ſævo conterruit impetus ore,
Quum canibus rapidas inter freta ſerperet undas,

Nec

Inter utramque viam, leti diſcrimine parvo,
Ni teneant curſus: certum eſt dare lintea retro.

Certe hic locus Virgilii Grammaticis moleſtiam ſæpius creavit. Sat ſcin. Ad Tibullum videtur animum adhibuiſſe Ovidius quum ita ſcripſit lib. 14. Metamorph. v. 6.

Navifragumque fretum, gemino quod litore preſſum,
Auſoniæ Siculæque tenet confinia terræ.

ibid. *nantem*] Scilicet natantem, pro *navigantem*. Catullus de Nuptiis P. ac T.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas
Phaſidos ad fluctus, & fines Æetæos.

v. 71. *Scyllæ impetus*] Hoc eſt, Scylla impetum habens. ut ſupra, v. 45.

Nam ſi diverſi fremat inconſtantia vulgi,

pro, vulgus inconſtans. Lucretius pariter l. 2. v. 593.

Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.

Quid Scylla, & quid Charybdis, vide apud Senecam Epiſt. 80. & Virgilium 3. Æneid. Pass.

ibid. *ſævo ore*] Scyllæ Homerus capita ſex horribilia, tres dentium ordines denſos & frequentes, ad morſum paratos tribuit lib. 12. Odyſſeæ v. 90. Ibidem Ulixes narrat, ut ſex ſibi ſocios cariſſimos ex navi ablatos devoraverit Scylla vivos & palpitantes. Iccirco Virgilius lib. 3. Æneid. v. 124.

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exſertantem, & naves in ſaxa trahentem.

Paſſerat. & Broukhuſius.

ibid. *conterruit*] Pro *terruit*. compoſitum verbum loco ſimplicis; quod apud Ennium Feſtus notat in *Conſulere*. Sic Q. Cicero de Petitione Conſulatus dixit *concerno*, pro *cerno*. σκύλλω Græcis eſt *vexo*, *moleſtiam exhibeo*. quare ad vim nominis & etymon alludens Virgilius, de Scylla ait Ecloga 6. *Dulichias vexaſſe rates.* Pass.

v. 72. *canibus rabidas undas*] Inſanum in modum concitas & commotas a latrantibus monſtris, quibus eſt ſuccincta Scylla. quare Catullus Carm. 59.

Aut Scylla latrans infima inguinum parte.

Rabies proprie canum & luporum. Latratum vero canum aqua ſæpius imitatur. Virgilius l. 7. Æneid. v. 588.

Quæ ſe ſe multis circum latrantibus undis
Mole tenet.

Pass.

ibid. *inter freta*] Sub freto, in aqua media Siculi æquoris, quod *fretum* illic proprie dicitur, hodieque, *le ſar de Meſſine*. Varro lib. 6. de L. L. *Fretum dictum a ſimilitudine ferventis aquæ, quod in fretum ſæpe concurrat æſtus atque efferveſcat.* *Fretus* maſculino genere uſurpat Lucretius. Vide Nonium, & Iſidorum lib. 13. cap. 18. quod eſt de fretis. Sed quid hoc eſt *freta rapidas aquas?* an eſt ea quæ a Grammaticis dicitur appoſitio? Nam periphraſis eſt freti Rapax unda. Cicero 1. Tuſcul. *Qui Oceani freta illa viderunt, Europam Libyamque rapax ubi dividit unda.* Mihi ad conjecturam fugienti duplex occurrit, vel:

Quum canibus rabidâ ſubter freta ſerperet undâ:

vel:

Quum canibus rapidas inter fera ſerperet undas.

Fera, θηρὶ, ἢ τὸ θηρίον, *la male-bête*. ut Vetus Poeta apud Nonium:

O peſtifera, pontica, fera, trux tolutiloquentia.

Pass.

ibid. *ſerperet*] Serpebat Scylla, quia ei duodecim pedes Homerus affingit lib. 12. Odyſſeæ. Guyetus, Nic. Heinſius, & Broukhuſius legunt *ſorberet*, altera ſyllaba brevi κατὰ συστολὴν, a *ſorbo*, *is*, ἀρχαϊκῶς. Mihi vero non perſuadent.

v. 73. *ſuo more*] Ut conſuevit. *Mos*, hic eſt natura. Sic *ventorum* & *cæli mores* apud ſcriptores optimos occurrunt non ſemel. Virgilius 1. Georgic. v. 51.

Ventos, & varium cæli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum.

Plinius lib. 17. N. H. cap. 2. *Ad ſoli naturam, ad loci ingenium, ad cæli cujuſque mores dirigenda ſolertia eſt.* De mari autem

Pap.

Digitized by Google

Nec violenta ſuo conſumſit more Charybdis,
Vel ſi ſublimis fluctu conſurgeret imo,
Vel ſi interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi ſileantur paſcua Solis,
Non amor, & fœcunda Atlantidos arva Calypſus,
Finis & erroris miſeri Phæacia tellus.

Atque

Pap. Statius l. 3. Silv. Carm. 2. v. 87.

Quot tibi currenti præcept ferat Hadria mores?

ibid. *conſumſit*] Abſumſit, devoravit, peremit. Noſter l. 1. Eleg. 3.

Hic jacet immiti conſumtus morte Tibullus. Pass.

ibid. *Charybdis*] De Charybdi, præter auctores antea citatos, videndi Thucydides lib. 4. Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 17. & Salluſtius Bello Jugurthino. Pass.

v. 74. *Si*] Pro *dum*. Virgilius 6. Æneid. v. 829. *Si lumina vitæ Attigerint.* Pass. Ita & Catullus Carm. 14. *Si luxerit.*

ibid. *fluctu imo*] Subaudiendum *ab*, vel *ex*. Attius plene:

At ſæpe ex humili ſede ſublime evolat. Pass.

v. 75. *interrupto gurgite*] Cujus impetus repreſſus, cohibituſque ad tempus. Sic *amnem interruptum* dixit Lucanus lib. 2.

Præcipites hæsere rates: & ſtrage cruenta
Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor.

Pass.

ibid. *nudaret pontum*] Maris fundum retegeret, ac prorſus aperiret. Virgilius 1. Æneid. v. 106. *His unda dehiſcens Terram inter fluctus aperit.* *Pontum*, duplici metonymia, & mare, & maris fundum ac imam partem, & arenam ſiccam. *Nudus pontus*. non tectus aqua: ut *nudi piſces* in Tityro Virgilii v. 61.

Et freta deſtituent nudos in litore piſces. Pass.

Hanc ſententiam ita expreſſit Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 2.

Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles!
Jam jam tacturas Tartara nigra putes.

v. 76. *Non ſileantur*] Non abeant indicta. Virgilius Æneid. 7. v. 733.

Nec tu carminibus noſtris indictus abibis.

Non tacita relinquantur. Idem Maro Æneid. 6. v. 842.

Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Coſſe, relinquat?

Auſonius: *Nec tu, Martie Narbo, ſilebere.* Pass. Adde Venuſinum poetam Ode 12. l. 1. *Neque te ſilebo, Liber, & ſævis inimica virgo Beluis.*

ibid. *violata*] Temerata loca in quibus paſcebantur boves Soli ſacræ, cæſis & mactatis ipſis armentis. Lædi & violari res conſecratæ dicuntur quum quis eas mala & impia manu attingit. Noſter l. 1. Eleg. 6.

Parcite, quam cuſtodit Amor, violare puellam.

Et l. 2. Eleg. 4.

Aut rapiam ſuſpenſa ſacris inſignia fanis.
Sed Venus ante alios eſt violanda mihi.

ibid. *vagi Solis*] Libere per aerem vagantis. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 18. *Liber* (Sol) *a Romanis appellatur, quod liber & vagus eſt, ut ait Nævius:*

Hac qua Sol vagus igneas habenas
Admittit propius, jugatque terræ.

Catullus pariter de Nuptiis Pelei ac Thetidos, v. 271.

Aurora exoriente, vagi ſub lumina Solis. Pass.

ibid. *paſcua Solis*] De ſacris bubus Solis, quos in fame ſocii Ulixis, contra ejus præceptum, mactaverant, Homerus lib. 11. & 12. Odyſſeæ. A Tireſia & Circe prædicta Ulixi calamitas, quæ accidit. Nam querelis Solis motus Jupiter navem Ulixis incendit, vixque ipſe Ulixes enatavit ad Ogygiam inſulam, & ad Nympham Calypſo. Pass.

v. 77. *Non amor Calypſus*] Vide Homerum initio libri 1. Odyſſeæ. Ejuſdem poematis lib. 7. Ulixes narrat Aretæ uxori Alcinoi, ut navi a Jove cremata delatus ſit ad Ogygiam inſulam, ubi habitabat Calypſo. Pass.

ibid.

Atque hæc ſeu noſtras inter ſunt cognita terras,
Fabula ſive novum dedit his erroribus orbem;

Sit

ibid. *fæcunda arva*] Ager fertilis & amœnus Ogygiæ inſulæ, cujus fœcunditatem celebrat Homerus lib. 5. Odyſſeæ. *Arvum*, qui & *arvus ager* Plauto in Truculento. ſubauditur *ſolum*. ut *culta* dicuntur & *arata* Propertio. PASS. Notum eſt, Calypſo ex concubitu cum Ulixe filium Auſonem concepiſſe: quamobrem ſuſpicor, ſub nomine *arvorum* obſcœnum aliquid latere, quod poeta honeſta hac translatione velare ſtuduerit; quum præſertim amoris mentio facta ſit. Sane Lucretius lib. 4. v. 1100.

Atque in eo eſt Venus, ut muliebria conſerat arva.

Quem imitatur Maro Georgic. lib. 3. v. 135. de vaccis tamen loquens:

Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes.

Auget meam ſuſpicionem Solinus cap. 3. Polyhiſtoris. *Quamvis*, inquit, *Trogus auctor affirmet, in Ægypto ſeptenos uno utero ſimul gigni. Quod ibi minus mirum, quum fœtifero potu Nilus non tantum terrarum, ſed & hominum fæcundet arva.*

ibid. *Atlantidos Calypſus*] Homerus lib. 7. Odyſſeæ appellat Calypſo Ἄτλαντος θύγατρα. Heſiodus tamen in Theogonia facit Oceani & Tethyos filiam. *Atlantiadem* vocat Auctor Liberi Carminis. PASS.

v. 78. *Finis erroris*] Maris nempe, viarum, & diuturnæ jactationis. Quum enim perveniſſet Ulixes ad Alcinoum Phæacum regem, a longis laboribus quieſcere cœpit: regis enim ope ac beneficentia in patriam Ithacen aditus ei patefactus eſt. Livius pariter lib. 1. Hiſt. *Ea res utique Trojanis ſpem affirmat tandem ſtabili certaque ſede finiendi erroris.* Juſtinus Hiſt. Trogi lib. 36. cap. 2. ubi de Moſe: *Septimum diem more gentis ſabbatum appellatum, in omne ævum jejunio ſacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat.* Propertius *modum erroris* dixit lib. 3. Eleg. 12.

Erroriſque ſui ſic ſtatuiſſe modum.

Arrianus de Expedit. Alexandri lib. 7. Μήτι πέρας τί αὐτοῖς γινόμενον τῶν πολλῶν πλανῶν.

Neque ullum erroribus tantum finem ſtatui.

ibid. *Erroris miſeri*] τὸ *miſeri* vel ad Ulixem refertur, vel ad errorem ipſum. Profecto Ulixes miſer. Homero dicitur πολύτλας, τλήμων, πολυτλήμων, πελασίφρων. Virgilio *durus*, & *infelix*. Horatio *patiens* & *laborioſus*. Error vero ipſe *miſer* haud immerito vocetur. Profecto miſerum eſt, ac voto mortalium valde alienum, a patriæ conſpectu & cariſſimorum diutius abeſſe, procellis jactari, periclitari, rebus omnibus indigere. Sunt qui legant *miſero*.

ibid. *Phæacia tellus*] Ionii maris inſula, quæ poſtea Corcyra, hodie *Corfù*. De Primordiis Corcyræ liber eſt egregius Viri Principis, & de me optime meriti, ANGELI MARIÆ QUIRINI, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Brixienſis; quem honoris cauſſa nomino.

v. 79. *ſeu noſtras inter ſunt cognita terras*] Præpoſitio *inter* valet hoc loco *intra*. Eſt autem ſententia hujuſmodi: Sive hæc ſunt geſta intra orbem nobis notum, ſive fabuloſe acta narrantur in parte mundi nobis ignota. *Broukhuſius*.

v. 80. *Fabula*] Narratio fabuloſa & commentitia, vel rumor, fama vulgaris. PASS.

ibid. *novum orbem*] *Novus orbis* duobus dicitur modis: vel ante ignotus, & poſt repertus, aut armis patefactus; ut apud Senecam Medea, v. 374.

venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphyſque novos
Detegat orbes.

Et apud Auctorem Conſolat. ad Liviam, v. 313.

Fluminaque, & montes, & nomina magna locorum:
Et ſi quid miri vidit in orbe novo.

Nempe in Germania, Romanis ad id tempus parum cognita, & nondum ſubacta. Vel, *orbis novus*, fictus a poeta, ut ab Homero regio Ciconum, Cimmerii populi, & ſimilia. PASS.

Sit labor illius, tua dum facundia major.
Jam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam caſtris prædeucere foſſam,
Qualiter adverſos hoſti defigere cervos:

Quem-

v. 81. *Sit labor illius*] Dicatur Ulixes pertuliſſe graviora, vindicet ſibi laudem patientis & miſeri; ſi ea laus eſt miſerum eſſe, quod ab adverſa fortuna & diis iratis proficiſcitur. Ironica conceſſio eſt. PASS.

ibid. *tua dum facundia major*] Eximia laus viri diſerti. nam dicendo ſuperare Ulixen, cujus eloquentiam tota Græcia eſt admirata, quantæ putas virtutis fuiſſe? Nec tamen nimis poetice, arbitro quidem Fabio Quintiliano lib. 10. c. 1. *At Meſſala nitidus & candidus, & quodammodo præ ſe ferens in dicendo nobilitatem ſuam*. Idem lib. 12. cap. 10. eloquentiam Meſſalæ laudat a dignitate. Ovidius lib. 2. Ponticor. Epiſt. 2. ſcribens ad ejus filium Meſſalinum, appellat *umbram diſertam*; loquitur enim de mortuo. Tacitus lib. 2. Hiſt. cap. 6. *Meminiſſent C. Aſinii, & Meſſalæ, ac recentiorum Arruntii & Æſernini, ad ſumma provectorum incorrupta vita & facundia*. De filio autem lib. 3. c. 34. *Mox Valerius Meſſalinus, cui parens Meſſala, (ineratque imago paternæ facundiæ) reſpondit*. *Broukhuſius*. At quibus tandem argumentis oſtendit Tibullus, Ulixen a Meſſala facundiæ gloria ſuperatum? profecto nullis. Verbo tantum ait: ſi quis verbo neget, laus tota concidit.

v. 82. *Jam*] Ita legit Broukhuſius, quod huic particulæ ſit locus in tranſitionibus: teſtatur autem, ſecum facere Pocchi excerpta, & duos codices Anglicanos. Legunt alii *Nam*; quod importunum videtur: male enim Tibullus colligeret, ideo floruiſſe Meſſalam facundiæ laude, quod in eo vigeret ſcientia rei militaris. Paſſeratius tamen eam lectionem probat, ut *nam* poſitum ſit pro *autem*, quod ſolent Plautus & Cicero, & maxime omnium Salluſtius.

ibid. *tenet*] Scit, callet, comprehendit, novit. Nam quæ ſcimus, tenemus & complectimur animo. PASS. Noſter lib. 1. Eleg. 2.

Illa tenere malas Medeæ dicitur herbas.

ibid. *aptius*] Commodius, decentius, elegantius, temporibus & occaſionibus magis accommodate.

v. 83. *Qua*] Subaudi *ratione*, vel *parte*.

ibid. *deceat*] Conſentaneum, conveniens, utile ſit.

ibid. *tutam foſſam*] Quæ tuta caſtra reddit, in iiſque tutos milites, ac ſecuros. Virgilius 4. Æneid. v. 87. *propugnacula bello Tuta parant*. Idem l. 9. v. 142.

quibus hæc medii fiducia valli,
Foſſarumque moræ, leti diſcrimina parva,
Dant animos.

PASS.

ibid. *caſtris prædeucere*] Ante caſtra ducere. *Ducere foſſam*, eſt in longum terram fodere, ut & mox *ducere vallum*. ergo *caſtris prædeucere foſſam*, eſt foſſâ caſtra præcingere. Cornelius Tacitus lib. 14. Annalium: *Neque foſſam, neque vallum præduxerunt*. Seneca l. 2. de Ira, cap. 8. *Violatos fontes venenis, & peſtilentiam manu factam, & præductam obſeſſis parentibus foſſam*. PASS.

v. 84. *Qualiter*] Quo pacto. Ovidius l. 1. Amor. Eleg. 5.

Qualiter in thalamos formoſa Semiramis iſſe
Dicitur, & multis Lais amata viris.

PASS.

ibid. *adverſos hoſti cervos*] E regione ſitos, in quos hoſtis incurrat, ἐναντίως. *Cervi* hoc loco ſunt furcillati rami. De his Livius lib. 44. *Cervos objicere ad intercludendam viam*. Varro lib. 4. de L. L. *Cervi, valli, furcillæ, a ſimilitudine cervinorum cornuum*. Virgilius Ecloga 2. v. 29.

Atque humiles habitare caſas, & figere cervos.

Silius Italicus lib. 10. Punicor. v. 413.

Quaque patet campus planis ingreſſibus hoſti,
Cervorum ambuſtis imitantur cornua ramis.

PASS.

Adde Cæſarem lib. 7. de Bello Gallico, cap. 72. *Huic* (vallo) *loricam pinnaſque adjecit*,

Quemve locum ducto melius ſit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores:
Ut faciliſque tuis aditus ſit, & arduus hoſti:
Laudis & aſſiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve ſudem melius, celeremve ſagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo?

jecit, grandibus cervis eminentibus ad commiſſuras pluteorum, atque aggeris, qui adſcenſum hoſtium tardarent. Cervis antiquorum hodie reſpondent quos vocamus *cavalli di Friſa*.

ibid. *defigere*] Pangere, demittere in terram, deſtituere, deſerere. Virgilius 12. Æneid. v. 130.

Defigunt tellure haſtas, & ſcuta reclinant. PASS.

v. 85. *ducto vallo*] Ducere vallum, *tirer une tranchée*. ſtruere, moliri, figere, jacere. Livius lib. 7. ab U. C. *In tumulo quem proximum caſtris Gallorum capere potuit, vallum ducere cœpit*. PASS.

v. 86. *Fontibus ut dulces erumpat terra liquores*] Ducum eſt atque imperatorum in caſtrametatione, providere ne caſtra ponantur in arido loco & aquæ inopi. Nam apud Cæſarem lib. 1. de Bello Civili, Afranius & Petrejus, ob male poſita caſtra in colle, coguntur ſiti ad deditionem. Vide Vegetium lib. 4. de Re Militari, cap. 10. quid faciendum, ne aquæ inopiam patiantur obſeſſi. PASS.

ibid. *dulces liquores*] Aquas nec ſalſas, nec amaras. Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Aſtra aluntur aquis partim dulcibus, partim marinis*. Cicero Act. 6. in Verrem: *Ibi fons eſt aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa*. *Liquores*. a lix, vel lixa, id eſt aqua, *liquor* dictus. inde *lixa*, militum ſervi ad aquam portandam. & *elixum*, inquit Varro, *a liquore*. PASS. Ita Propertius lib. 3. Eleg. 2.

Non operoſa rigat Marcius antra liquor.

ibid. *erumpat terra liquores*] Elegantiſſimus uſus verbi *erumpere*; quem uſum animadvertere poſſis in Terentio, Lucretio, Cicerone, Cæſare, Virgilio. Dixerunt enim *erumpere ſe ſe, erumpere vim, ignes, gaudium*, & ſimilia; pro, emittere cum impetu.

v. 87. *facilis aditus*] Noſter l. 2. Eleg. 4.

Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.

Contra Ovidius in Remed. Amor. v. 120.

Difficiles aditus impetus omnis habet.

Virgilius *molles* dixit 4. Æneid. v. 423.

Sola viri molles aditus & tempora noras.

PASS.

ibid. *arduus*] Difficilis adſcenſu. *Arduum* videtur dictum a verbo *arduo*, pro *addo*. *Ar* pro *ad*, ut arvenio, arcio, arcedo, arbitere, unde arbiter. Quæ adduntur ad rei alicujus magnitudinem, eam celſiorem faciunt, & magis arduam. Ideo Propertius lib. 4. Eleg. 4. ut altiorem Romam ſignificaret, dixit:

Romani montes, & montibus addita Roma.

Vel *arduum* ab *arida* & aſpera via. Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 3.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

PASS.

v. 88. *Laudis & aſſiduo vigeat certamine miles*] Ut in tutis caſtris & bene munitis miles, procul ab hoſtium inſidiis, aſſidue poſſit exerceri, & certare cum commilitonibus de laude, nempe de factis laudabilibus. Non enim Tibullus hic loquitur, mea quidem ſententia, de laudationibus quibus milites ab imperatore ſuo in concione laudabantur; quod cenſebat Broukhuſius. Noſter l. 1. Eleg. 1.

Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte.

v. 89. *tardam ſudem*] *Sudis*, inquit Vetus Gloſſarium, σκόλοψ, & ſtipes, palus præacutus. Vegetius lib. 1. de R. M. cap. 24. præcipit ut tirones miſſilibus jaciendis exerceantur ad palum, gravioris etiam ponderis quam quæ in vera pugna uſui futura

Aut quis equum celerem arctato compeſcere freno
Poſſit, & effuſas tardo permittere habenas?
Inque vicem modo directo contendere curſu,
Seu libeat curvo brevius compellere gyro?
Quid, parma ſeu dextra velis, ſeu læva tueri,
(Sive hac, ſive illac veniat gravis impetus haſtæ)

An

ſint. Propterea Tibullus dicit *tardam*, ob pondus videlicet. PASS.

v. 90. *lento pilo*] Pilum fuit jaculum & haſtile proprium Romanorum; ut geſum vel geſſum, Gallorum; ſariſſa, Macedonum; cateja, Teutonum. *Lentum* dicit noſter, quod in hoſtem conjectum criſparetur, & valde tenaciter inhæreret. Virgilius Ecloga 5. v. 31.

Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.

PASS.

ibid. *perfregerit obvia*] Penitus fregerit, perruperit, tranſverberarit quæcumque in itinere occurrentia, adverſa, obſtantia. Catullus Carm. 63. v. 109.

Prona cadit, lateque & cominus obvia frangit.

Pilum a milite Romano jactum ita vehemens erat, ſi Dionyſium Halicarnaſſenſem audimus lib. 5. ut ſcutatos pedites, ac loricatos equites tranſverberaret. PASS.

v. 92. *Poſſit*] Subaudiendum & repetendum, *melius*.

ibid. *effuſas habenas*] Immiſſas. Virgilius 2. Æn. v. 662. *furis immiſſis Vulcanus habenis*. Porro Servius ad illud Maronis 12. Æneid. v. 499. *irarumque omnes effundit habenas*, citat ex Ennio: *Effundit irarum quadrigas*. Livius lib. 37. Hiſt. *Effuſiſſimis habenis ſtationem hoſtium invadit*. PASS.

ibid. *tardo*] Ex opinione ſeſſoris; cui videlicet nimium properanti nulla celeritas equi ſatisfaciat. *Idem*.

ibid. *permittere habenas*] *Permittere*, eſt rem aliquam alieno arbitrio temere concedentis. Seneca Conſolat. ad Marciam cap. 6. *Permittere navim tempeſtati*. Horatius Ode 9. lib. 1. *Permitte divis cetera*. *Equum ad hoſtium aciem permittere*, Nonius exponit, immittere, incitare, præcipitare. Sic Lucanus Panegyr. ad Piſonem, v. 51. *rapido permittit habenas Quadrupedi*. *Permittere habenas equo*, ut Euripides μονομφορικῶς: δῖναι χαλινοῖς γυιωτοί. PASS.

v. 93. *modo*] Notandum hic, *modo* ſemel poſitum, quum iterari ſoleat. *Idem*.

ibid. *contendere*] Tendere, pergere. Vel certare cum ſociis pariter equitantibus. Vel eniti, conari: quomodo ſuperius v. 31.

Sed generis priſcos contendis vincere honores.

PASS.

v. 94. *curvo brevius compellere gyro*] Sequor Broukhuſium ita legentem; quum vulgati codices habeant *contendere*, inſuavi repetitione. Cicero lib. 3. de Orat. *Ex ingenti quodam oratorem immenſoque campo in exiguum ſane gyrum compellitis*. Lucanus in Panegyrico ad Piſonem; a Tibullo, ut videtur; v. 49. hoc exercitationis genus, quo equi flectuntur in orbem & circumaguntur, pulchre deſcribit:

Sic auriga ſolet ferventia Theſſalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo.
Qui modo non ſolum rapido permittit habenas
Quadrupedi, ſed calce citâ modo torquet in auras
Flexibiles rictus; & nunc cervice rotata
Incipit effuſos in gyrum carpere curſus.

Brevius autem dixit Noſter, quia anguſtius in gyro ſpatium, quam in directo curſu. Manilius lib. 5. Aſtronomic. de Heniocho, ſive Auriga cæleſti, v. 73.

Stare levi curru moderantem quattuor ora
Spumigeris frenata lupis, & flectere equorum
Prævalidas vires, & toto ſtringere gyro.

PASS.

Stringere, eſt compellere, contrahere, compeſcere, arctare.

v. 95. *parmâ*] ἀσπίδι ἱππικῇ, Θρακικῷ ὅπλῳ, ut explicat Vetus Gloſſarium. *brevi ſcuto & equeſtri*, ut Nonius. Ita Salluſtius: *Ob inopiam ſcutorum ſe quiſque in formam parmæ equeſtris armabat*. Varro l. 4. de L. L.

Par-

An prior, aut ſignata cita loca tangere funda?
Jam ſimul audacis veniunt certamina Martis,
Adverſiſque parant acies concurrere ſignis,
Tunc tibi non deſit, faciem componere pugnæ;

Seu

Parma, quod a medio in omnes partes par. Pass.

ibid. *ſeu dextra velis, ſeu læva tueri*] ἢ δεξιᾷ ἐθέλῃς, ἢ ἀριστερᾷ παρασπίζειν. id eſt, quæ ad dexteram ſunt, vel ad lævam manum protegere velis. Suſpicari poſſit aliquis, deſignari ambidextrum, vel eum qui apte & ſubito poſſet a dextra in ſiniſtram, vel a ſiniſtra ad dextram transferre parmam. Pass.

v. 96. *Sive hac, ſive illac veniat gravis impetus haſtæ*] Sive a dextra, ſive a læva, id eſt, undecumque haſta veniat, eam ad partem clipeum ſeu parmam convertat. Terentius Eunucho, 1. 2. 25.

Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo.

Pass.

ibid. *veniat*] Feratur, volet. Virgilius 9. Æneid. v. 411.

haſta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adverſi in tergum Sulmonis.

Idem.

v. 97. *An prior*] Subaudi, *ſit alius. prior* vero pro *potior, melior, doctior.*

ibid. *ſignata loca*] Paſſeratius explicat, ſigno aliquo & notâ diſtincta. quod minus placet. *Signata loca*, ſunt oculis notata & deſignata, *luoghi tolti di mira*. Virgilius l. 5. Æneid. v. 316. de curſu certantibus: *ſimul ultima ſignant.* ubi Servius: *intuentes, inquit, & notantes ultima ſpatia, ideſt finem, aviditate vincendi, & deeſt viſu. ut Cicero: notat & deſignat oculis.* Nos Itali dicimus *il berſaglio.*

ibid. *fundâ citâ*] Ex qua glans plumbea, vel lapis excutitur ſumma celeritate & impetu. *Funda*, σφενδόνη. *funditor*, σφενδονήτης. Eſt & funda reticulum piſcatorium; a fundendo & jaciendo. Virgilius 1. Georg. v. 141.

Aut alius latum funda jam verberat amnem.

rete jaculum Plauto in Truculento. Pass.

ibid. *tangere*] Percutere, ferire. Horatius Epiſt. ad Piſones v. 350.

Nec ſemper feriet, quodcumque minabitur arcus.

Pass.

Ita Franciſcus Petrarcha (*nel Sonetto 66.*)

Si toſto, come avvien che l' arco ſcocchi,
Buon ſagittario, di lontan diſcerne,
Qual colpo è da ſprezzare, e qual d' averne
Fede ch' al deſtinato ſegno tocchi.

v. 98. *Jam*] Hoc loco *jam* non eſt adverbium temporis, ſed particula connectens, pro *præterea*. Virgilius 3. Georg. v. 541.

Jam maris immenſi prolem, & genus omne natantum.

Pass.

ibid. *ſimul veniunt*] Subaudi *ac. ſimul ac, toſto che.* Ita ſæpiſſime Horatius.

ibid. *certamina Martis*] Non amplius ficta & adumbrata, qualia fiunt exercitationis cauſſa; ſed vera & expreſſa, quando manus conferendæ cum hoſtibus.

ibid. *veniunt*] Inſtant, ingruunt. Cicero Philippica 3. *Legatos venire non credo, bellum quo veniat.* Pass.

v. 99. *Adverſiſque parant acies concurrere ſignis*] Id eſt, directa acie pugnare, ut inquit Vellejus. *Adverſis ſignis*, quod & *collatis ſignis* dici ſolet. Signa militaria ſignificat, & aquilas maxime, quæ præcipua legionum Romanarum ſigna. Vegetius cap. 5. lib. 3. *ſignorum militarium tria genera* ponit: *vocalia*, quæ voce dantur, ut Apollo, Victoria, Palma. *ſemivocalia*, quæ dantur tubâ, cornu, buccinâ. *muta*, ut aquilæ, dracones, vexilla, aper, Minotaurus. Pass. Fortaſſe poeta noſter alludit ad bella civilia, quorum triſtes effectus ipſe jampridem ſenſerat. Sane Lucanus initio lib. 1. Pharſaliæ:

infeſtiſque obvia ſignis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

ibid. *acies*] Vegetius de R. M. lib. 3. c. 14. *Acies*, eſt exercitus inſtructus. credo, quod ſæpius in acumen deſinat. Pass.

ibid.

Digitized by Google

Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo;

Seu

ibid. *concurrere*] Confligere, quod ſit procurſu utrimque facto. qua de re Cæſar l. 2. de Belln Civili, & Plutarchus in Pompejo. Horatius Sat. 1. l. 1. v. 7.

Militia eſt potior: quid enim? concurritur: hora
Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.

PASS.

v. 100. *tibi non deſit*] Facile tibi ſit, ſit in mundo, ſit in prnmtu, adſit tibi copia & facultas componendi faciem pugnæ. Propertius l. 1. Eleg. 16.

Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ.

Non deeſt, abnnde eſt, οὐ διαλείπει, οὐκ ἐλλείπει. Hoc genns ſermonis eſt & apud Virgilium 6. Æneid. v. 88.

Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra
Defuerint.

PASS.

Nihilominus Heinſius, Broukhuſius, & libri nonnulli veteres legunt *deſit*, pro *deſieit*, quomodo locuti Terentius, Lucretius, Virgilius, Propertius. At ſententia eodem recidit.

ibid. *faciem componere pugnæ*] Exercitum fingere, formare, ordinare. vide Nonium in *Componere*. Livius lib. 28. Hiſtnr. *Acrior impetu, quam compoſitior ullo ordine pugna fuit.* Sic *facies armorum*, & *facies maris* Virgilio. nempe forma, ſpecies, εἶδος. *Pugna*, hic non eſt μάχη, ſed τάξις πρὸς μάχην. *L'ordonnance de l' armée pour la bataille.* PASS.

v. 101. *quadratum acies conſiſtat in agmen*] *Conſiſtat*, pro *ſtet*. Virgilius 3. Georg. v. 346.

Non ſecus ac patriis acer Romanus in armis
Injuſto ſub faſce viam dum carpit, & hoſti
Ante exſpectatum poſitis ſtat in agmine caſtris.

Conſiſtunt qui ſimul ſtant, ut ejuſdem generis. Plautus Curculione 4. 2. 16.

Nec vobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet.

Vel *conſiſtere*, ut docet Donatus in Adelphos Terentii, *eſt audacter & conſtanter ſtare*. Ita Virgilius 5. Æneid. v. 526.

Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque.

In agmen, prn *in agmine*; ut Terentius dixit *Eſſe in honorem*, Plautus *Eſſe in mentem*, Cicero *Eſſe in poſſeſſionem*, & *in poteſtatem*. *Agmen*, inquit Iſidorus lib. 9. Etymol. c. 3. *exercitus dicitur quum iter facit, ab agendo, id eſt eundo; eſt enim exercitus ambulans: nam agmen dicitur quod in longitudinem porrectum eſt; ut quum exercitus portis procedit. Duo ſunt genera agminum*, inquit Varro; *quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis poſſit conſidere: alterum pilatum, quod ſine jumentis incedit, ſed inter ſe denſum eſt, quo facilius per iniquiora loca tramittitur. Agmen* a fnrma, vel ut Tibullus loquitur facie pugnæ *quadratum*. Livius l. 2. Hiſt. *Valerius quadrato agmine peditem ducit.* Seneca Epiſt. 61. *Sextium quum maxime lego, virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philoſophantem. Movit me imago ab illo poſita, ire quadrato agmine exercitum ubi hoſtis ab omni parte ſuſpectus.* Quadrato agmine incedere, noſtris: *marcher en bataillon carré*. PASS. Quo diſtaret *agmen* ab *acie*, nnn obſcute ſignificat Livius lib. 22. Hiſt. *Hujus*, inquit, *generis multitudo, famâ impigre defenſi ad Placentiam præſidii accenſa, armis arreptis obviam Hannibali procedit. Magis agmine quam acie in via concurrerunt.* Paullo poſt vocat id *agmen*, *turbam inconditam*. Ceterum, quum hnſtis immineret, & prœlium propinquum eſſet, tum quadrato agmine incedebant. Salluſtius Bello Jugurth. cap. 105. de Mario in hiberna proficiſcente: *Pariter atque in conſpectu hoſtium, quadrato agmine incedere.* Vide Nicolaum Abramum ad ea Ciceronis verba 2. Philip. *Agmine quadrato cum gladiis ſequuntur milites.* qui tamen multa molitur, ſed nihil promovet.

v. 102. *Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo*] Quid hnc ſit, explicat Seneca libro de Vita Beata, cap. 4. *Idem exercitus modo latius panditur, modo in anguſtum coarctatur: & aut in cornua, ſinuatâ mediâ parte, curvatur, aut rectâ fronte explicatur.* Memorabilis eſt in hanc rem Livii locus lib.

22.

Digitized by Google

Seu libeat duplici ſejunctim cernere Marte,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque ſiniſter
Miles, ſitque duplex geminis victoria caſtris.
At non per dubias errant mea carmina laudes:

Nam

22. ab U. C. ea quo loco ſatis intelligi poteſt, quid acies, quid cuneus, quid recta & æquata frons in exercitu: *Romani diu ac ſæpe connisi, æqua fronte acieque denſa impulere hoſtium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum, a cetera prominentem acie.* Et poſt pauca: *Medii Galli, Hiſpanique ſteterunt, aliquantum prominente acie: qui cuneus, ut pulſus æquavit frontem primum, deinde nitendo etiam ſinum in medio dedit, Afri circa jam cornua fecerant.* Vides, hic aciem paullo prominentem cuneum vocari: ex cuneo pulſo & repreſſo frontem æquam fieri: ex æqua fronte, nitendo, ſinum exſiſtere, cujus extrema appellantur cornua. Idem Livius lib. 37. Conſul Achæorum .... *tria millia ferme peditum æquata fronte inſtruxit.* Huc etiam pertinent verba Quinctiliani lib. 2. Inſt. Orat. c. 13. *Quid ſi enim præcipias imperatori, quoties aciem inſtruet, dirigat frontem, cornua utrimque promoveat, equites pro cornibus locet? Erit hæc quidem rectiſſima fortaſſe ratio, quoties licebit: ſed mutabitur naturâ loci, ſi mons occurret, ſi flumen obſtabit, ſi collibus, ſilvis, aſperitate alia probibebitur. Mutabit hoſtium genus, mutabit præſentis conditio diſcriminis. nunc acie directa, nunc cuneis, nunc auxiliis, nunc legione pugnabitur: nonnumquam terga etiam dediſſe ſimulatâ fugâ proderit.* Unde diſcimus, non ſolum frontem curvam & ſinuatam, ſed etiam directam & æquatam habuiſſe cornua. Porro, quadrato agmine, & directis ordinibus aciem inſtruere, Græcis eſt *πυργηδὸν ἀρτῦναι τὴν ςρατιὰν*, nimirum inſtar *πύργος*, ſeu turris, quæ plerumque quadrata. Vide Homerum lib. 12. Iliad. v. 43. & lib. 13. v. 152.

ibid. *decurrat*] Extendatur in longitudinem more decurrentis. Pass. Homerus ita locutus lib. 24. Odyſſeæ v. 207.

Ἔνθα οἱ οἶκος ἔην, περὶ δὲ κλίσιον θέε πάντη.
Illic ei domus erat, circumque exedra currebat undique.

Virgilius quoque lib. 5. Æneid. v. 250.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Neque aliter accipiendum illud Petrarchæ (*nel Sonetto* 10.) quod minus conſiderate nonnulli reprehendunt:

Glorioſa colonna .....
Che mai non torſe dal vero cammino
L' ira di Giove per ventoſa pioggia.

v. 103. *Seu libeat duplici ſejunctim cernere Marte*] Egit adhuc Tibullus de agmine quadrato, juncto, & denſo: nunc loquitur de acie bipartita, ubi duobus exercitibus pugnatur. Ita legunt Salmaſius, Heinſius, Broukhuſius, ex priore codice Vittiano, & uno Anglicano, qui codices habent *ſejunctum;* ut *ſejunctim* ſit ſeparatim, ſeorſum: quod tamen adverbium haud temere invenias in Latinorum ſcriptis.

Cernere, eſt certare. Ennius Medea apud Nonium: *Nam ter ſub armis malim vitam cernere, Quam ſemel modo parere.* Virgilius 12. Æneid. v. 709.

Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro.

Pass.

v. 104. *Dexter uti lævum teneat, dextrumque ſiniſter Miles*] Sententia his verbis ſubjecta, hujuſmodi eſſe videtur: Quum geminum cornu Romanorum, vel acies in duas bipartita & ſecta, in geminum cornu hoſtium impetum facit, tunc noſter miles qui dextro latere dimicat, ſiniſtras adverſariorum copias laceſſit, ac pugnando tenet ſeu detinet: rurſus, qui ſiniſtro prœliatur, cum dexteris confligit; atque ita duplex victoria quodammodo refertur. Hæc ſpero tam dilucida nunc erunt, quam Solis radii olim quum ſudum eſt ſolent.

v. 105. *geminis caſtris*] Nempe duobus exercitibus, duabus aciebus.

v. 106. *At non*] Pro, neque vero. Virgilius 2. Æneid. v. 540.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo. Pass.

ibid.

Nam bellis experta cano: teſtis mihi victæ
Fortis Iapidiæ miles. teſtis quoque fallax
Pannonius, gelidas paſſim disjectus in Alpes.
Teſtis Arupinas & pauper natus in armis.

Quem

ibid. *per dubias errant mea carmina laudes*] Quod ſolet uſuvenire poetæ vel rhetori, quum illis propoſitum eſt aliquem laudare, neque tamen aliquid certi, explorati, definiti afferre poſſunt, quo laus innitatur & conſiſtat.

v. 107. *bellis experta cano*] Quæ ipſe comes tuus in bellicis expeditionibus, o Meſſala, hiſce oculis vidi & expertus ſum. Noſter l. 1. Eleg. 7.

Non ſine me eſt tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani litora Santonici.

Experta, παθητικῶς. Ita Propertius lib. 1. Eleg. 3.

Expertæ metuens jurgia ſævitiæ.

ibid. *victæ Iapidiæ*] Iapides, gens Illyrica, pugnax & latrociniis famoſa, victa nihilominus & prorſus debellata ab Auguſto. Quas hic Tibullus memorat Iapidum, atque aliorum Illyriæ ac Pannoniæ populorum ferorum rebelliones, deſcripſerunt Strabo lib. 4. & 7. Dio Caſſius l. 49. Appianus lib. de Bellis Illyricis, Florus lib. 4. cap. 4. & 12. Suetonius Auguſto cap. 21. Vellejus lib. 2. cap. 90. Paullus Oroſius lib. 6. cap. 21. Meminerunt quoque Livii epitomæ lib. 131. 132. 133. 135. Solos quidem Salaſſos ductu ſuo Meſſala perdomuit, fame ſubactos: reliqua bella ipſe Auguſtus confecit. In quibus quin enituerit egregia Meſſalæ virtus, dubitari omnino nequit. Nam alioqui Tibullum puduiſſet, ignavum hominem & nulla virtute, pro bellatore ac duce ſummo venditare. Tumultus illi primum tumeſcere cœperunt A. V. DCCXVIII. quo tempore poeta noſter jam adulta ætate in contubernio Meſſalæ eſſe potuit. *Broukhuſius*.

v. 108. *fallax Pannonius*] Fraudulentus, duplex, infidus, ἀπατεών. Cur Pannonii fallaces, oſtendit Dio Caſſius lib. 49. Finxerant deditionem: ſed mox, quum obſides etiam dediſſent, rebellarunt, & eruptione facta bellum renovarunt. ut Scaliger citat hoc loco. Pannonia duplex, ſuperior & inferior. Complectitur partem Auſtriæ & Hungariæ, Tranſſilvaniæ & Poloniæ. Pass.

v. 109. *paſſim*] σποράδην. *qua e là*.

ibid. *disjectus in Alpes*] Significat, prœlio fuſum & fugatum Pannonium in Alpium ſe juga recepiſſe, ſed diſperſum & palantem, ita ut reparare bellum haud cogitaret. Quod apertius indicat Auctor Conſolat. ad Liviam v. 390.

Summaque diſperſi per juga Pannonii.

Pass.

v. 110. *Arupinas*] Ita legit Scaliger e Strabone, atque ex Itinerario Antonini. Ἀρούπιον Iapidiæ oppidum, Arupinates incolæ ejus oppidi & regionis.

ibid. *pauper natus in armis*] Paupertatem & militiam conjungit, quia rei familiaris inopia ad bellum cogit. Horatius Ode 12. lib. 1.

Hunc, & incomtis Curium capillis
Utilem bello tulit, & Camillum
Sæva paupertas.

Pass.

ibid *natus in armis*] Ut C. Caligula, qui *cognomen caſtrenſi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. Immo verſiculi imperante mox eo divulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant:*

In caſtris natus, patriis nutritus in armis
Jam deſignati principis omen erat.

Suetonius in ejus Vita, cap. 8. & 9. Ita loquitur Seneca lib. 1. de Ira, c. 11. *Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur, innutriunturque: quorum unica illis cura eſt, in alia negligentibus.* Et Silius Italicus l. 2. Punic. v. 285.

anxia rupi
Pectora, ne caſtris innutriretur, & armis
Exitiale caput.

Juſtinus quoque lib. 12. Hiſt. cap. 4. de Alexandro M. *Exiſtimans . . . . . . in ſupplementa quoque militum minus exhauriri poſſe*

Mace-

Quem ſi quis videat, vetus ut non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur ſæcula famæ.
Centum fœcundos Titan renovaverit annos,
Ipſe tamen velox celerem ſuper edere corpus
Gaudet equum, validiſque ſedet moderator habenis.
Te duce non alias converſus terga domator

Libe-

Macedoniam, ſi veteranis patribus tirones filii ſuccederent: militaturi in vallo in quo eſſent nati: conſtantioreſque futuri, ſi non ſolum tirocinia, verum & incunabula in ipſis caſtris poſuiſſent. Idem contra lib. 6. cap. 8. de Epaminonda: *Ut mirabile videretur, unde tam inſignis militiæ ſcientia homini inter litteras nato.*

v. 111. *vetus ætas*] Id eſt, ſenecta; quam & *ſenectam ætatem*, & *gravem ætatem*, & *malam ætatem* dicebant. Horatius in Epiſt. ad Piſones, v. 60.

Ut ſilvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas.

Idem Epodo 8.

Quum ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret.

Pass.

ibid. *ut non fregerit*] Quomodo non debilitarit, aut contuderit vires. Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 4.

O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.

Idem.

v. 112. *Terna minus Pyliæ miretur ſæcula famæ*] Minus ei novum & inſolens videatur, Neſtorem Pylium trecentos annos vixiſſe; quod poetarum fabulis, & hominum ſermone celebratum eſt. *Idem.* Inter hunc verſum & ſequentem ſpurius alius legitur in quibuſdam editionibus:

Namque ſenex longæ peragit dum ſæcula vitæ.

quem ſuppoſuerunt otioſi homines, ad fulturam ſententiæ; ut ipſis videbatur, laborantis.

v. 113. *fœcundos annos*] Propter *fertiles horas*, & anni tempora. de quibus dixerat ſupra v. 51.

Sæcula fertilibus Titan decurrerit horis.

Pass.

ibid. *renovaverit*] Renovari etiam Solem ipſum quotidie, & ἀνανεῶσθαι cenſebant; quod C. Marius in Mimiambis, *recentari* dixit apud Gellium. *Jam jam albicaſcit Phœbus, & recentatur commune lumen hominibus voluptaſque.* Pass. Vide Lucretium lib. 5. de R. N.

v. 114. *velox*] Cornelius Fronto: *Vigor eſt in elatione animi, velocitas in celeritate corporis. Velox* vel *ipſe*, vel *corpus velox*. Eques *velox*, qui facile inſilit & deſilit. Sic Ovidius 5. Faſt. v. 452.

Et male veloci juſta ſoluta Remo.

Pass.

ibid. *edere corpus*] Emittere in auras. unde liber edi dicitur quum in lucem & in vulgus emittitur. *Editum* & *ſublime*, idem. Virgilius Æn. 7. v. 285. *Sublimes in equis redeunt.* Inde *ædes* Feſto, quod in edito loco ponerentur. Significatur deſultoria levitas, ut apud Virgilium lib. 12. Æneid. v. 287. *corpora ſaltu Subjiciunt in equos.* Pass.

v. 115. *validis habenis*] Id eſt firmis & fortibus loris. ſupra, *lentis*: id eſt tenacibus. Sic *validas habenas* dixit Poeta Vetus apud Ciceronem 3. de Oratore:

Erras, erras: nam te exſultantem, & præfidentem tibi
Repriment validæ legum habenæ, atque imperii inſiſtent jugo.

Idem. Broukhuſius legit *validus*.

ibid. *ſedet moderator*] Sedere in equo dicitur qui equitat. Martialis Epigr. 104. l. 11. μεταφορικῶς:

Hectoreo quoties ſederat uxor equo.

Cicero pro Muræna: *Quum ſedere in equis prætextati triumphantium filii ſoleant.* Tibullus ipſe l. 1. Eleg. 2. v. 70.

Inſideat celeri conſpiciendus equo.

Hærere dixit Horatius ἐμφατικωτέρως Ode 24. lib. 3.

neſcit

Libera Romanæ ſubjecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris. majora peractis
Inſtant, compertum eſt veracibus ut mihi ſignis,
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.

Nam

neſcit equo rudis
Hærere ingenuus puer.

Pass.

Eleganter admodum Sidonius Apollinaris Panegyrico ad Anthemium Auguſtum, de Hunnorum Educatione, v. 262.

Vix matre carens ut conſtitit infans,
Mox præbet dorſum ſonipes: cognata reare
Membra viris, ita ſemper equo ceu fixus adhæret
Rector. Cornipedum tergo gens altera fertur,
Hæc habitat.

De iiſdem Zoſimus, quem attulit Sirmondus ad Sidonium: ἐπὶ τῶν ἵππων καὶ διαιτώμενοι καὶ καθεύδοντες. Ammianus quoque Marcellinus lib. 31. cap. 2. *Equis prope affixi funguntur muneribus conſuetis. In ipſis quivis in hac natione pernox & perdius emit & vendit, cibumque ſumit & potum: & inclinatus cervici anguſtæ jumenti in altum ſoporem ad uſque varietatem effunditur ſomniorum.* Locutione ſimili uſus Claudianus, de Centauris:

Nec plus nubigenas duplex natura biformes
Cognatis aptavit equis.

ibid. *moderator habenis*] Rector, equiſo, magiſter, qui habenis ora equorum temperat. Ovidius Eleg. 3. lib. 2. Ponticor.

Succedatque ſuis orbis moderator habenis.

Notandum, verbalia regere caſus ſuorum verborum. ideo *moderator habenis*: nam *moderor*, quod & *modero* Nonio, nonnumquam cum tertio caſu. Horatius Epiſt. 2. lib. 1. v. 59.

Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit & mens.

Sic M. Tullius lib. 1. de Legibus: *Si juſtitia eſt obtemperatio ſcriptis legibus, inſtitutiſque populorum.* Manilius lib. 5. Aſtronomic. v. 73.

Stare levi curru moderantem quattuor ora
Spumigeris frenata lupis.

Pass.

v. 116. *non alias*] Non alio tempore. Virgilius 1. Georg. v. 487.

Non alias cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura.

Horatius Ode 5. l. 3.

Donec labantes conſilio patres
Firmaret auctor numquam alias dato.

Pass.

ibid. *converſus terga*] ἑλληνισμὸς, καὶ συνεκδοχὴ, pro, *converſo tergo*. inde *tergiverſari*, quod eſt νωτοστρέφειν.

ibid. *domator*] Pro, *domitor*. nam & *domavi*, ἐδάμασα, dicebant, pro *domui*; quod teſtatur Vetus Gloſſarium. Ammianus Marcellinus lib. 21. cap. 5. dixit *domatorem gentium*. *Domator* hic eſt πωλοδάμνης, ἱπποδάμος. *Scaliger*, & *Paſſeratius*. Ita Virgilius 7. Æneid. v. 189.

Picus equûm domitor.

v. 117. *Libera colla*] Ad id tempus libera, deinceps captiva. Ita Propertius lib. 2. Eleg. 30.

Inſtat ſemper Amor ſupra caput, inſtat amanti,
Et gravis ipſe ſuper libera colla ſedet.

Notum eſt autem, vinciri collo ſolitos quos ducerent in triumphum. Pass.

ibid. *Romanæ catenæ*] Ovidius pariter l. 4. Triſt. Eleg. 2.

Collaque Romanæ præbens animoſa ſecuri.

Catena, vinculi ferrei genus, ut *catulus* Plauto. unde ὑποκοριστικῶς *catella*, & *catena*. Vetus Gloſſarium, *Catella*, κατένα. vox Latina Græcis litteris ſcripta. Pass.

v. 119. *Inſtant*] Prope adſunt, imminent, impendent. Pass.

ibid. *compertum eſt mihi*] Cognitum, certum, exploratum. *Comperio*, *a pariendo*; id eſt *acquirendo & ſciendo*. *Idem*.

v. 120. *Amythaonius Melampus*] Certiſſimus vates, maximæque auctoritatis, Amythaonis filius, Biantis frater. Videndi Apollodorus lib. 1. Bibliothecæ, cap. 9 & lib. 2. cap. 2. Statius Papinius lib. 3. Thebaid. v. 449. & M. Antonius Muretus Scholiis

Digitized by Google

Nam modo fulgentem Tyrio ſubtemine veſtem
Indueras, oriente die duce fertilis anni;
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,
Et fera diſcordes tenuerunt flamina venti,

Cur-

liis in Propert. l. 2. Eleg. 3. Virgilius pariter 3. Georg. v. 550.

Phyllirides Chiron, Amythaoniuſque Melampus.

ibid. *certare*] Cum dandi caſu. Horatius pariter Epodo 2.

Certantem & uvam purpuræ.

v. 121. *modo*] Nuperrime, paullo ante.

ibid. *fulgentem Tyrio ſubtemine veſtem Indueras*] His verbis Poeta noſter ſignificat Meſſalæ Conſulatum. Anno U. C. DCCXXII. Conſules fuere Imperator Cæſar Octavianus Divi F. III. M. Valerius M. F. M. N. Meſſala Corvinus. Octavianum Tibullus Meſſalæ Collegam ſilentio præterit, quod ſibi odio eſſet. Veſtem purpuream ſumebant Conſules, ut cuilibet notum; quæ late ſplendebat. *Subtemen* eſt id quod ſubit ſtamini, ῥοδάνη, κρόκη, filum, trama. Hæc autem ſubtemina, priuſquam ex illis panni texerentur, purpurâ tingi ſolebant; vel, quod verius exiſtimo, lana ipſa ex qua ſubtemen. Id oſtendit Horatius Ode 18. lib. 2.

Nec Laconicas mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ.

En, mulieres conditionis non ultimæ purpuram, ſeu lanam purpuream, colo nebant; quod & Helenam facientem inducit Homerus l. 4. Odyſſeæ.

v. 122. *oriente die*] ἀνατολῇ ſignificat, ut ſupra v. 65.

Queis nunquam candente dies apparuit ortu.

Virgilius 3. Georg. v. 400. *ſurgente die*. & 4. Georg. v. 466. *veniente die*. bis autem die ſacris operabantur. PASS.

ibid. *duce fertilis anni*] *Dux anni dies* ſunt ipſæ Kalendæ Januariæ, quibus novi Conſules ſolenne votum ſuſcipiebant. qua de re vide Auſonium. Ducit autem diem Lucifer. Virgilius 2. Æneid. v. 801.

Jamque jugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem.

Ducunt annum etiam Liber & Libera. Virgilius initio 1. Georg. Cur autem annus dicatur fertilis, explicatum ſupra eſt ad illud:

Centum fæcundos Titan renovaverit annos.

PASS.

De Kalendis Januariis Lucanus l. 5. Pharſaliæ v. 5. a Tibullo, ut videtur:

Inſtabatque dies qui dat nova nomina faſtis,
Quique colit primus ducentem tempora Janum.

Aliis Romanæ reipublicæ temporibus Conſules Idibus Martiis magiſtratum inierunt. Livius lib. 31. ab U. C. *Omnium primum eam rem Idibus Martiis, quo die tum conſulatus inibatur, P. Sulpicius Conſul retulit.* Vide quæ animadvertimus ad v. 2. Elegiæ 1. lib. 3. hujus noſtri Poetæ.

v. 123. *Splendidior l. q. Sol caput extulit u.*] Omen felicis anni a candidiore luce Solis primo anni die. PASS.

v. 124. *diſcordes venti*] Inter quos non bene convenit; quibus pax nulla placet; quibus ingratum otium, ut de iis Horatius Ode 15. lib. 1. De hac ventorum diſcordia Ovidius 1. Metamorph. v. 58.

vix nunc obſiſtitur illis
Quum ſua quiſque regat diverſo flamina tractu,
Quin lanient mundum. tanta eſt diſcordia fratrum.

PASS.

ἐπίθετον igitur perpetuum eſt.

ibid. *tenuerunt flamina fera*] Cohibuerunt & compreſſerunt flatus ſuos indomitos, violentos, ſævos, & noxios. Νηνεμίαν ſignificat, & aeris ventorumque tranquillitatem, ne rumperent gratum ſacris ſilentium. PASS. Oportuit ſane Jovem ſurdaſtrum eſſe; ut enim preces Meſſalæ audire poſſet, cuncta ſiluerunt, & ipſe domum ſuam reliquit, aureſque intendere neceſſe habuit. Quamobrem Elias propheta, lib. 3. Regum, c. 18. ſubſannat ſacerdotes Baal dicens: *Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere,*

O o 2 *aut*

Digitized by Google

Curva nec aſſuetos egerunt flumina curſus.
Quin rapidum placidis etiam mare conſtitit undis.
Nulla nec aerias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes denſas depaſcitur aſpera ſilvas,

Quio

aut certe dormit ; ut excitetur. Deam Venerem dormire nonoumquam, lepide indieat Plautus Pœnulo 1. 2. 107.

Quæ habent nocturna ora, noctu ſacruficatum ire occupant:
Priuſquam Venus expergiſcatur, prius deproperant ſedulo
Sacruficare. nam vigilante Venere ſi veniant eæ,
Ita ſunt turpes, credo ecaſtor Venerem ipſam e fano fugent.

v. 125. *curva flumina*] ἑνίθετοι perpetuum. Quia raro amnes fluunt recto alveo, ripæque flexuoſæ ſunr & ſinuoſæ. PASS.

ibid. *aſſuetos egerunt curſus*] *Agere curſus*, currere, impellere aquas ſuas & dedueere in mare. unde *agmen fluvii* Virgilio. Ovidius 1. Metamorph. v. 582.

In mare deducunt feſſas erroribus undas.

Aſſueti curſibus fluvii. Virgilius 3. Georg. v. 529.

Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina.

Horatio, *lapſus*. Ode 12. l. 1.

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus.

PASS.

v. 126. *rapidum mare*] Periphraſis freti, qua mare maxime fervet & exæſtuat. Fretum enim gurgitibus multis eoncitatum omnia rapit & abſorbet. Sic Noſter Eleg. 2. lib. 1.

Nam fuerit quicumque loquax, is ſanguine natam,
Is Venerem e rapido ſentiet eſſe mari.

Idem.

ibid. *placidis conſtitit undis*] Simili genere loquendi in eadem re uſus Eonius io Seipione apud Macrobium lib. 6. Saturnal. eap. 2.

Mundus cœli vaſtus conſtitit ſilentio.
Et Neptunus ſævus undis aſperis pauſam dedit,
Sol equis iter repreſſit ungulis volantibus.
Conſtitere amnes perennes: arbores vento vacant.

Male in primo verſu legirur: *Silentia*. Totum hunc locum Ennius expreſſit ex Euripidis Baechis, ubi ſit maximum loquente Baccho ſilentium: Σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη, φύλλ' εἶχε, θηρῶν οὐκ ἂν ἤκουσας βοήν. Imitatus utrumque Virgilius 10. Æneid. a v. 101. quem vide. PASS.

v. 127. *Nulla nec a. volucris perlabitur a.*] Negario duplex pro ſimplici. Virgilius pariter Ecloga 5. v. 25.

Nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Noſter infra v. 164.

Nulla nec exuſtas habitant animalia partes.

Propertius lib. 2. Eleg. 19.

Nulla neque ante tuas orietur rixa feneſtras,
Nec tibi clamatæ ſomnus amarus erit.

Cieero Act. 2. in Verrem: *Debebat Epicrates nullum nummum nemini. Paſſeratius & Broukhuſius.*

ibid. *aërias auras*] *Auræ aëriæ* ſunt aër ipſe paullo altior, & leviter eoncitatus. nam Virgilio, *aërius mons*, altus. & *aërium mel*, quod ex aëre decidit. 5. Æneid. v. 518. *vitamque reliquit in aſtris Aëriis*. 3. Georg. v. 474. *aërias Alpes*. Lucretius lib. 5. v. 237.

Aurarumque leves animæ, calidique vapores.

PASS.

v. 128. *quadrupes aſpera*] *Quadrupes* feminino genere de bubus, equis, ovibus, capris, cervis. *Quadrupedes cornutas*, ideſt lueas boves, ſive elephanros, nominavit Cœlius Anripater apud Varronem lib. 6. de L. L. Quæ porro *quadrupes aſpera*? ao eaprigeoum genus villoſum & hirtum? aſperum quidem ſi componatur eum lanigero pecore. Aſpera etiam quadrupes bos cornupeta. Virgilius 3. Georg. v. 57.

Aut juga detrectans, interdumque aſpera cornu.

An

Quin largita tuis ſunt multa ſilentia votis.
Juppiter ipſe levi vectus per inania curru
Adfuit, & cælo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus ſe præbuit aure,

Cun-

An horrida, inculta, ſine ſtrigilis uſu? vel, quibus cibus eſt aſper, ut quæ ſentes & rubos eſitant. Pacuvius apud Ciceronem 2. de Divinat. *Quadrupes tardigrada, agreſtis, aſpera.* de teſtudine, ob ejus teſtæ aſperitatem. Pass. *Quadrupedes aſperæ*, ſunt feræ hirſutæ; de quibus Propertius lib. 1. Eleg. 1.

Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirſutas ille videre feras.

Pauci animadverterunt, *aſperum* opponi *proſpero* apud Salluſtium Catilina, c. 27. & apud Ciceronem lib. 1. de Finibus.

ibid. *depaſcitur*] Decerpit, attondet, paſcendo abſumit. Virgilius 2. Æneid. v. 215. *miſeros morſu depaſcitur artus.* Pass. Nulla igitur quadrupes belua in paſtu ſonum edidit motis maxillis, Meſſala Conſule in altiſſimo ſilentio vota nuncupante pro populo Romano Quiritium. *Broukhuſius.*

v. 129. *Quin largita tuis ſunt multa ſilentia votis*] Tua vota cum magno longoque ſilentio audiverunt. Silentium autem hoc in ſacris *faventiam* appellabant: qua de re Nonius in *Favor*, in *Faventia*, & in *Obſcænum*. Silentium eſt etiam in auſpiciis omnis vitii vacuitas. Pass. Verum Broukhuſius legit ex vetuſtis codd.

Quum largita tuis ſunt muta ſilentia votis. ut *largita* παθητικῶς dictum ſit, pro *conceſſa*. Vox *muta*, quod ipſe teſtatur, ſæpe corrupta fuit in *multa* ab oſcitantibus librariis.

ibid. *tuis votis*] Novi Conſules in Capitolio ſolenniter vota nuncupabant. T. Livius lib. 21. *Non cum ſenatu modo, ſed cum diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere. Conſulem ante inauſpicato factum, revocantibus ex ipſa acie diis atque hominibus, non paruiſſe; & nunc conſcientia præteritorum, & Capitolium & ſolennem votorum nuncupationem fugiſſe: ne, die initi magiſtratus, Jovis optimi maximi templum adiret: .... ne auſpicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde ad provinciam iret.* Sed & ad bellum ituri, & quum victores redirent, idem faciebant. Livius denuo lib. 45. *Conſul proficiſcens, prætorve paludatis lictoribus in provinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor, perpetrato eodem, in Capitolio triumphans, ad eoſdem deos quibus vota nuncupavit, merita dona populi Romani traducit.*

v. 130. *levi vectus curru*] *Levem* dicit *Jovis currum*, vel propter quadrigas, quibus trahebatur, teſte Plauto Amphitr. 1. 1. 294. vel quod volucer atque alatus eſſet; auctore Horatio Ode 34. lib. 1. & Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 23. At vero currus Jovis tonantis *gravis* dicebatur. Horatius Ode 12. lib. 1.

Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

Paſſeratius & *Broukhuſius.*

ibid. *per inania*] Per aëra vacuum. Virgilius lib. 12. Æneid. v. 906.

Tum lapis ipſe viri, vacuum per inane volutus.

Pass.

Subaudi *loca*, *ſpatia*, vel *nubila*.

v. 131. *Adfuit*] Deos precabantur ut adeſſent: unde *dii præſentes*, faventes erant. Pass.

ibid. *cælo vicinum Olympum*] Celeberrimum Macedoniæ montem, ultra nubes vertice aſſurgentem. Douzæ tamen filio aſſentior, qui ex Homero interpretatur Olympum θεῶν ἕδος. Hanc autem deorum ſedem Tibullus noſter cælo altiorem & ſuperiorem facit, unde tamen in cælum proximus ſit deſcenſus.

v. 132. *Intentaq. t. precibus ſe præbuit aure*] Ambigue. & *ſe præbuit tuis precibus*; & *intenta tuis precibus*. Cicero l. 3. de Nat. Deor. dixit, *attentum ſe præbere*. *Præbeo* integra voce Plauto *prahibeo*. nam prius nos habere oportet quam dare poſſimus. Horatius pariter Epiſt. 2. lib. 1. v. 36.

ſi non

Digitized by Google

Cunctaque veraci capite annuit. Additus aris
Lætior eluxit ſtructos ſuper ignis acervos.
Quin hortante deo magnis inſiſtere rebus
Incipe: non iidem tibi ſint, aliiſque triumphi.

Non

ſi non
Intendes animum ſtudiis & rebus honeſtis. PASS.

Præbeo, ſeu *præhibeo*, eſt coram habeo, expoſitum habeo.

v. 133. *Cunctaq. veraci capite annuit*] Capitis nutu ſignificavit, ſe adprobare & rata habere vota. A. Gellius lib. 10. N. A. cap. 4. *Annuimus vel abnuimus motu capitis, vel oculorum*. Catullus in Nuptiis Manlii, v. 162.

Uſque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.

Porro, ingens numinis facilitas, *annuiſſe cuncta*; quia plerumque dii partem annuebant, partem abnuebant. Virgilius 11. Æneid. v. 794.

Audiit, & voti Phœbus ſuccedere partem
Mente dedit; partem volucres diſperſit in auras.

Cuncta, quaſi conjuncta: *Omnia*, etiam disjuncta & diſperſa. Vide Aſconium in Divinationem. PASS.

ibid. *veraci capite*] Nam fati veritatiſque initium a Jove. *Idem*. De nutu Jovis Homerus luculente l. 1. Iliados v. 524. ipſum loquentem inducens:

Εἰ δ', ἄγε, τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίθῃς.
Τῦτο γὰρ ἐξ ἐμέθεν γε μετ' ἀθανάτοισι μέγιςον
Τέκμωρ. ὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, ὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητόν γ' ὅ, τί κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Quod ſi non credis, age, capite tibi annuam, ut fidem habeas.
Hoc enim a me inter immortales certiſſimum
Signum. neque enim verbum *meum revocabile, neque fallax,*
Neque irritum eſt *quodcumque capite annuero*.

ibid. *additus aris ignis*] Poſitus in aris. Ita Scriptor Liberi Carminis, Epigr. 71.

Quare partibus additis in ignem
Sacro protinus hinc abit peracto.

ibid. *aris*] *Aræ olim Aſæ*, inquit Terentius Scaurus de Orthographia: & Varro apud Macrobium lib. 3. Saturn. cap. 2. *Aræ tamquam anſæ, quod teneri ſolerent, tangique a ſacrificantibus, igne medio impoſito*; quod & hic Tibullus indicat; ut & Virgilius 12. Æneid. v. 201.

Tango aras, medios ignes & numina teſtor.

In libris nonnullis, *abditus aris*; qui *ignis* Horatio *ſuppoſitus cineri doloſo*: ut occultum ignem & ſuppoſitum cineri, ſubito emicuiſſe ſignificet; quod lætiſſimum eſt omen. PASS.

v. 134. *Lætior ignis*] Clarior, lucidior, hilarior, nullo fumo ſordidus, atque ideo proſperior. Propertius de re eadem lib. 3. Eleg. 10.

Luxerit & tota flamma ſecunda domo.

ibid. *eluxit*] Effulſit, emicuit, ab *eluceo*. nam *eluxit etiam qui luctum deponit*, ab *elugeo*, inquit Agrœtius. PASS.

ibid. *ſtructos ſuper acervos*] Puta, ſuper grana turis aggeſta & cumulata. Noſter infra, Carm. 6. hujus libri:

Natalis Juno, ſanctos cape turis acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

Ubi tamen Broukhuſius ex veteri libro legit *honores*.

v. 135. *hortante deo*] Impellente Jove. Donatus in illud Hecyræ: *Et moneo & hortor*: *Monemus conſilio; hortamur impulſu*. PASS.

ibid. *inſiſtere*] Quaſi firmo gradu inſtare & inhærere. Virgilius 3. Georg. v. 114. *rapidiſque rotis inſiſtere victor*. *Idem*.

v. 136. *non iidem tibi ſint, aliiſque triumphi*] Non eadem tibi ſeges & materia gloriæ, quæ ceteris contigit. Novi tibi populi novas laureas ſpondent. qua de re videnda Tibulli Elegia 7. lib. 1. *Iidem aliis*, ut apud Ovidium l. 13. Metam. v. 50.

Et nunc ille eadem nobis juratus in arma.

Lucretius lib. 3. v. 1051. *eadem aliis ſopitas*

Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hiſpania terris:
Nec fera te Tyrio tellus obſeſſa colono.
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaſpes

Pro-

tus quiete eſt . Horatius Epiſt. ad Piſones , v. 467.

Invitum qui ſervat , idem facit occidenti . PASS.

v. 137. *vicino Marte obvia Gallia*] Tumultum ſignificat Poeta noſter . Nam bellum Gallicum, aut Italicum , ob hoſtium vicinitatem , ac periculi magnitudinem , proprie tumultum dicebant . Gravius autem erat tumultus quam bellum , nec ſine magna perturbatione , trepidatione , pavore . Vide M. Tullium Philippica 5. & 8. ac T. Livium l. 7.

ibid. *remorabitur*] Retinebit , aut retardabit curſum & impetum tuum, quin Gallis domitis ad ulteriores nationes vincendas & debellandas pergas. Et certe quarto poſt anno Meſſala triumphum egit de ſubactis Aquitanis Galliæ populis . Cicero pro Lege Manilia: *Sed hæ res , quæ ceteros remorari ſolent , non ſe tardarunt* .

v. 138. *latis Hiſpania terris*] Pomponius Mela lib. 2. de Situ Orbis , cap. 46. *Ipſa Hiſpania* , inquit , *niſi qua Gallias tangit , pelago undique incincta eſt : ubi illis adhæret , maxime anguſta , paullatim ſe in noſtrum mare , & Oceanum extendit : magis magiſque latior ad Occidentem abit , ac fit ibi latiſſima* .

ibid. *audax Hiſpania*] Hiſpani veteres , ſive Hiberi , non latrociniis tantum infames fuere ; quod animadvertit Paſſeratius : verum etiam fortes , & ſtrenui , belloque clariſſimi . Hoc , præter ceteros , teſtatur Livius lib. 28. *Hiſpania* , inquit , *non quam Italia modo , ſed quam ulla pars terrarum , bello reparando aptior erat , locorum hominumque ingeniis . Itaque ergo prima Romanis inita provinciarum , quæ quidem continentis ſint , poſtrema omnium , noſtra demum ætate , ductu auſpicioque Auguſti Cæſaris , perdomita eſt* .

v. 139. *Nec fera te Tyrio tellus obſeſſa colono*] Ab Hiſpania opportune Tibullus tranſit in Africam, quæ ab illa interfluente Herculeo freto ſolum disjungitur ; ubi Herculis columnæ . Dido regina cum magna Tyriorum manu in eam regionem venit, atque ibi Carthaginem condidit. Vide Maronem lib. 1. Æneidos.

ibid. *tellus obſeſſa*] Idem quod *inſeſſa* . Tibullus ipſe lib. 2. Eleg. 3.

Prædator cupit immenſos obſidere campos .

Virgilius 3. Æneid. v. 400.

Et Sallentinos obſedit milite campos .

PASS.

v. 140. *Nec qua vel Nilus*] Significat bellum Ægyptium, quod confectum ab Auguſto. Alexandria capta Ægyptus in provinciæ formam redacta . teſtes argentei nummi , in quorum altera parte ſpectatur crocodilus, ſubjecta hac inſcriptione : AEGYPTO CAPTA. PASS.

ibid. *vel regia lympha Choaſpes*] Quam Perſarum reges potare unam ſolebant ob eximiam ejus ſuavitatem , & quocumque ibant eam ſecum ferri jubebant. Id teſtatur Herodotus in Clio, cujus verba ſunt : Καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος , τοῦ μούνου πίνει βασιλεὺς , καὶ ἄλλου οὐδενὸς ποταμοῦ . τούτου δὲ τοῦ Χοάσπεω ὕδατος ἀπεψημένου πολλαὶ κάρτα ἅμαξαι τετράκυκλοι ἡμιόνειαι κομίζουσαι ἐν ἀργυρίοισι ἀγγείοισι ἕπονται ὅποι ἂν ἐλαύνῃσι ἑκάστοτε. h. e. *Portatur etiam aqua ex flumine Choaſpe , Suſa præterfluente , ex quo uno rex potat & non ex alio flumine . Cujus Choaſpis aquam decoctam , & in argentea vaſa diffuſam , ferentia permulta plauſtra quatuor rotarum , mulis trahentibus , aſſidue comitantur quocumque ille proficiſcitur* . Hunc Herodoti locum recitat fideliter Athenæus l. 2. Hic fluvius ad Perſidis fines in Tigrin influit . Auſonius in Panegyrico fontis Burdigalæ v. 25.

Hunc cuperes , Rex Mede , tuis contingere caſtris ,
Flumina conſumto quum defecere meatu :
Hujus fontis aquas peregrinas ferre per urbes ,
Unum præ reliquis ſolitus potare Choaſpen .

Plinius Hiſt. Nat. lib. 1. cap. 3. *Parthorum reges ex Choaſpe tantum bibunt , & ea aqua*

quam-

Digitized by Google

Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gindes
Radit Arecteos haud una per hoſtia campos.
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe;
Impia nec ſævis celebrans convivia menſis

Ulti-

quamvis in longinqua comitantur illos. Vide & Solinum, & Ælianum, & Plutarchum in Artaxerxe. PASS. In eodem honore, immo & majore, veteribus Perſis fuit aqua illa dicta aurea, de qua memoratus Athenæus alio loco. Verba ſunt ejus: Ἀγαθοκλῆς δ' ἐν τρίτῳ περὶ Κυζίκου, ἐν Πέρσαις φησὶν εἶναι καὶ χρυσοῦν καλούμενον ὕδωρ. εἶναι δὲ τοῦτο λιβάδας ἑβδομήκοντα, καὶ μηδένα πίνειν ἀπ' αὐτοῦ ἢ μόνον βασιλέα, καὶ τὸν πρεσβύτατον αὐτοῦ τῶν παίδων. τῶν δὲ ἄλλων ἐάν τις πίῃ, θάνατος ἡ ζημία. h. e. *Agathocles in tertio libro de Cyzico tradit, eſſe apud Perſas & aquam cui nomen aurea: eſſe vero hanc ſcaturigines ſeptuaginta: neminem vero ex ea bibere præter ſolum regem, & ejus filium natu maximum. ſi quis vero alius biberit, mortem pœnam eſſe.*

v. 141. *rapidus Gindes*] Violentus, cujus gurgites rapiunt & hauriunt. Plautus Bacchidibus 1. 1. 52.

Rapidus fluvius hic eſt: non hac temere tranſiri poteſt.

Horatius Sat. 10. lib. 1. v. 62.

Quale fuit Caſsi rapido ferventius amni
Ingenium.

PASS.

ibid. *Cyri dementia*] Rem enarrat Seneca lib. 3. de Ira, cap. 21. *Hic* (Cambyſes) *iratus fuit genti & ignotæ, & immeritæ, ſenſuræ tamen: Cyrus flumini. Nam quum Babylonem oppugnaturus feſtinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occaſionibus ſunt, Gindea late fuſum amnem vado tranſire tentavit: quod vix tutum eſt etiam quum ſenſit æſtatem, & ad minimum deductus eſt. Ibi unus ex his equis qui trahere regium currum albi ſolebant, abreptus, vehementer commovit regem. juravit itaque, amnem illum regis commeatum auferentem, eo ſe redacturum, ut tranſiri calcarique etiam a feminis poſſet. Huc deinde omnem tranſtulit belli apparatum, & tamdiu adſedit operi, donec C. & LXXX. cuniculis diviſum alveum in CCC. & LX. rivos diſpergeret, & ſiccum relinqueret, in diverſum fluentibus aquis. Periit itaque & tempus, magna in magnis rebus jactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occaſio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hoſti cum flumine gerit.* Totum locum libenter deſcripſi, ut commodis lectoris inſervirem. Si cui otium eſt, adeat Herodotum in Clio, & Paullum Oroſium lib. 2. Hiſtor. c. 6.

v. 142. *Radit Arecteos haud una per hoſtia campos*] Gindes enim tam contumelioſe a Cyro comminutus, trecentis ſexaginta oſtiis jam evolvebatur. Ita locum valde corruptum, & a Criticis maxime vexatum, Nicolaus Heinſius emendavit; commode quidem, mea ſententia & Jani Broukhuſii. Flumina dicuntur *radere*, *ſtringere*, *perſtringere*, *lambere*, *mordere* ripas, & *campos*. *Arectei campi* juxta Babylonem & oppidum *Arec*, de quo mentio in cap. 10. Geneſeos. Hi a Claudio Salmaſio Exercitat. Plinianis in Solinium pag. 840. vocantur *Areccæi*, ab oppido Arecca, ſeu Aracca; quod, præter ceteros, commemorat Ammianus Marcellinus lib. 23. cap. 21.

v. 143. *regna vago Tomyris finivit Araxe*] Tomyris Maſſagetarum regina fines & terminos imperii ſui Araxe Armeniæ fluvio circumſcripſit. Laus a continentia; quod certis ſe finibus continere voluit, quum poſſet latius porrigere. Narrat Herodotus libro 1. ut ea Cyrum temere progreſſum vicerit, occiderit, ulta filii necem, quem ille inſidiis occiderat; ejuſque capiti inſultans in utrem humano cruore plenum conjecerit, inquiens, *Sanguinem filii meumque ſitiſti; explebo te humano cruore.* PASS. Audiendus Juſtinus lib. 1. Hiſt. Trogi cap. 8. *Cyrus ſubacta Aſia, & univerſo Oriente in poteſtatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo tempore Scytharum regina Tomyris, quæ non muliebriter adventu hoſtium territa quum prohibere eos tranſitu Araxis fluminis poſſet, tranſire permiſit, & ſibi faciliorem pugnam intra regni ſui terminos rata, & hoſtibus objectu fluminis fugam difficiliorem.* In nomine

Digitized by Google

Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus;
Quaque Hiſtrus, Tanaiſque Getas rigat, atque Moſynos.

ne hujus reginæ multum diſcordant libri ſcripti; ſic tamen, ut plures *Tamiris* agnoſcant. Bongarſii quoque codices in verbis Juſtini, omnes conſtanter *Tamiris* habebant, uno excepto, in quo *Tomeris* erat. Herodoto Τόμυρις dicitur lib. 1. cap. 205. ſqq. Τόμυρις autem Luciano in Charonte; Valerio Maximo *Thamyris* lib. 9. cap 10. *Tomyris* vero Paulo Oroſio lib. 2. cap. 7. *Broukhuſius*.

ibid. *vago Araxe*] Late fuſum amnem ſignificat, ut ſupra: *vagus Sol*, *vagus äer*. Horatius Ode 2. l. 1.

vagus & ſiniſtra
Labitur ripa, Jove non probante, uxorius amnis.

Idem Ode 37. libri ejuſdem: *Bruta tellus, & vaga flumina*. Ea tempeſtate Romani ad Araxem transferre bellum parabant. Pass.

v. 144. *Impia n. ſævis celebrans convivia menſis*] Auctor eſt Herodotus lib. 3. cap. 99. Padæos, Indiæ populum verſus Auroram, ſi quis ægrotaret, eum mactare ſolitos, atque ejus carnibus veſci, viri quidem viros, mulieris autem mulieres. tum ſi quis ſanus ad ſenium perveniret, eo itidem cæſo epulari: atque ob eam cauſſam perpaucos iſtic ſenes reperiri. *Broukhuſius*.

v. 145. *ultima tenet arva*] Totidem verbis Virgilius 6. Æneid. v. 477. *jamque arva tenebant Ultima*. Pass. Ultima arva Tibullo ſunt extremæ ad Orientem regiones, ultra quas nihil niſi Oceanus.

ibid. *vicinus Phœbo*] Proximi enim ſunt Padæi orienti Soli. Sic Horatius Ode 22. lib. 1.

Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata.

Pass.

Sic etiam Tibullus noſter Eleg. 3. l. 1.

Illi ſint comites fuſci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.

v. 146. *Hiſtrus*] Vulgati codices, *Hebrus*. Sed quid Hebro Thraciæ fluvio cum Getis? Getas enim ad ripas Danubii inferioris habitaſſe ſcimus vel ex unius Ovidii Triſtibus, ac Ponticis Epiſtolis. Scribendum igitur, *Quaque Hiſter Tanaiſque*. aut verius fortaſſe, *Quaque Hiſtrus*. ſic enim *Leander* dicebant, & *Leandrus*, atque alia ad hanc formam compluria. Sed ſive hoc, ſive illud, ſcripſi *Hiſtrus* more antiquo: nam certe antiqui adſpirabant. Terentianus Maurus, pag. 2388. edit. Putſchii, ubi de H. ſive nota, ſive litera:

Vocalibus apte ſed & antepoſta cunctis,
Haſtas, Hederas quum loquor, Hiſter, Hoſpes, Hujus.

Et ſic in arcu triumphali Druſi Neronis apud Gruterum pag. ccxxxvi. 5. *Broukhuſius*.

ibid. *Tanaiſq.*] Scythiæ fluvius, qui ab Horatio *extremus* vocatur, & *diſcors*. Acron putat, *Tanain* & Danubium eumdem eſſe: & ajunt, ipſum hodie eodem nomine ab accolis vocari *Don o Tana*. Pass.

ibid. *rigat*] Alluit. ut ſupra, *irrigat*, v. 60.

Nobilis Artacie gelidâ quos irrigat undâ.

Pass.

ibid. *Getas*] Sarmatiæ Europææ populos, notos ex Ovidii libris de Ponto. *Dacos* Romanis dici, ait Plinius. Eorum mores laudantur ab Horatio Ode 24. lib. 3. Tunc Romani bellum iis minabantur. Virgilius 7. Æneid. v. 604.

Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
Hircaniſve Arabiſve parant, ſeu tendere ad Indos,
Auroramque ſequi, Parthoſque repoſcere ſigna:

ibid. *Moſynos*] Hos populos Plinius in Ponticis gentibus numerat lib. 6. N. H. cap. 4. ſed gemino ſſ, non ſimplici: *Gentes Genetarum, Chalybum. Oppidum Cotyorum. Gentes Tibareni, Moſſyni notis ſignantes corpora*. Sane Tanaim in Pontum Euxinum irrumpere, tradidit Arrianus in Periplo, & Ovidius lib. 4. Pontic. Epiſt. 10. v. 55. ubi plurimos nobiles fluvios enumerat, in hoc mare ſe exonerantes. *Broukhuſius*. Vera ſcriptura, *Moſynos*: nam μόσυν, *turris*, *vel domus lignea*; unde μοσσύνοικοι, ἔθνος ποντικόν. Apollonius Rhodius lib. 2. Argonautic. v. 379.

Τῷ δ' ἐπὶ μοσσύνοικοι ὁμούριοι ὑλήεσσαν

Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem;
Nulla tibi adverſis regio ſeſe offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera Sole:

Nam

Ἑξείης ἤπειρον ὑπωρείας τε νέμονται,
Δουρατέοις πύργοισιν ἐν οἰκία τεκτήναντες
Κάλλινα, καὶ πύργους εὐπηγέας, οὓς καλέουσι
Μόσσυνας· καὶ δ' ἐπώνυμοι ἔνθεν ἔασιν.
Secundum id affines Moſſynœci ſilvoſam
Deinceps regionem & montium radices accolunt;
Qui arcibus ligneis inædificare ſolebant domos
Ligneas, & ſalas conſolidatas, quas dicunt
Moſynes: unde & ipſis adhæſit cognomentum.

ad quem locum vide Græcum Scholiaſten; eumdemque Apollonium libro eodem, v. 1028 qui utrobique hoc vocabulum effert gemino ſſ, ut metricis rationibus conſulat. Plura memini me legere de turribus hiſce ligneis, earumque habitatoribus, apud Ludovicum Carrionem in Chronico.

v. 147. *Quid moror?*] ἐπανόρθωσις, & reprehenſio increpatioque ſui. Cur ſingula & minuta recenſendo te diutius detineo? Virgilius 2. Æneid v. 101.

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo,
Quidve moror?

PASS.

ibid. *Oceanus ponto qua continet orbem*] Nam Oceanus terras amplectitur, ambit, cingit, obnubit. unde & dictus Neptunus, tamquam Nuptunus. Seneca in Conſolat. ad Marciam, cap. 14. *Britanniam peragravit Cæſar, nec felicitatem ſuam continere Oceano potuit.* PASS.

148. *tibi ſe ſe offeret*] Se tibi objiciet, & ſuo *remorabitur obvia Marte*; ut ſuperius locutus eſt. PASS. Ita Cicero lib. 3. de Oratore: *Ipſi occurrent orationi, ipſi, inquam ſe offerent, & reſpondebunt non vocati.* Et Brutus ad Ciceronem: *Romam ut veni, ſtatim me obtuli Antonii ſceleri.*

v. 149. *Te manet*] Te victorem exſpectat; neque enim ab alio vincetur. Horatius Epodo 13. *Te manet Aſſaraci tellus.* PASS.

ibid. *invictus Romano Marte Britannus*] Tentati Britanni potius quam victi a C. Julio Cæſare, ut notum ex ejus Commentariis. Catullus tamen famam augens, & in victoris, cui reconciliatus erat, gratiam, dixit Carm. 11.

Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæſaris viſens monumenta magni
Gallicum Rhenum, horribileſque, ultimoſque Britannos.

PASS.

Pedem poſuerat in Britannia C. Cæſar, & ſecundis quidem prœliis barbaros devicerat. Videtur igitur Tibullus hæc odio in familiam Cæſarum ſcripſiſſe. Ita Pompejus apud Lucanum lib. 2. v. 571. Cæſaris victorias calumniatur:

Oceanumque vocans incerti ſtagna profundi,
Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

Et Valerius Flaccus initio lib. 1. Argonautic. ad Veſpaſianum:

Caledonius poſtquam tua carbaſa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.

Non erat ſcilicet Veſpaſianus e Juliorum familia. Horatius multo antea dixerat Epodo 7.

Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via.

Subacti demum fuerunt hi populi a Claudio principe. Auctor Octaviæ Tragœdiæ Octaviam ipſam, Claudii filiam, ita loquentem inducit v. 24.

Illa illa meis triſtis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes:
Teque exſtinxit, miſerande pater,
Modo cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum; cuique Britanni
Terga dedere,
Ducibus noſtris ante ignoti,
Juriſque ſui.

Et rurſus de Claudio, v. 42.

En qui Britannis primus impoſuit jugum.

v. 150. *interjecto mundi pars altera Sole*] An Sole interpoſito? quod ab zona noſtra temperata qui velit ad oppoſitam temperatam

Nam circumfuſo conſidit in aere tellus,
Et quinque in partes toto diſponitur orbe.
Atque duæ gelido vaſtantur frigore ſemper.
Illic & denſa tellus abſconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore;
Sed durata riget denſam in glaciemque, nivemque.
Quippe ubi non umquam Titan ſuperingerit ortus.
At media eſt Phœbi ſemper ſubjecta calori,

Seu

tam migrare, neceſſe habeat tranſire per zonam torridam, quam Sol ſemper inſiſtit; atque ita interjectu interpoſituque Solis id eum efficere oporteat. An quod tot mundi & novi orbes putabantur, quot novæ reperiebantur Indiæ, nempe longinquæ regiones, & antea incognitæ, ut ab aliis tranſiri ad alias non poſſet niſi Solis alterius tranſitu? Ex qua opinione dixit Horatius Ode 16. lib. 2. *Quid terras alio calentes Sole mutamus?* Et Virgilius lib. 2. Georg. v. 510.

gaudent (ambitioſi) *perfuſi ſanguine fratrum,*
Exſilioque domos & dulcia limina linquunt,
Atque alio patriam quærunt ſub Sole calentem.

An quia novos quærentes triumphos, ultra Solem & diem, mundique terminos pergebant? qua de re Pedo Albinovanus apud Senecam in libro Suaſoriarum (unius eſt tantum) ſic ait: *Latini declamatores, in Oceani deſcriptione non minus viguerunt. nam aut nimis deſcripſerunt, aut curioſe. Nemo illorum potuit tanto ſpiritu dicere quanto Pedo* (Albinovanus) *qui navigante Germanico dixit:*

Jampridem poſt terga diem Solemque relictum:
Jampridem notis extorres finibus orbis
Per non conceſſas audaces ire tenebras,
Heſperii metas, extremaque litora mundi.

Hinc Virgilius 6. Æneidos, de Auguſto, v. 795.

ſuper & Garamantas & Indos
Proferet imperium. jacet extra ſidera tellus,
Extra anni Soliſque vias.

PASS.

Tellus a Virgilio memorata, *extra anni Soliſque vias*, nobis eſt temperata auſtralis: nam temperata ſeptemtrionalis, quam incolimus, nobis eſt *citra anni Soliſque vias*.

ibid. *mundi pars altera*] Ἀντίχθων, terra pedibus noſtris oppoſita.

v. 151. *conſidit*] Sedet quodammodo, ad fundum univerſi depreſſa ſui gravitate.

v. 152. *quinque in partes*] Nimirum zonas, faſcias, & cingulos; quibus reſpondent in cælo totidem. Res trita & notiſſima. De zonis cæleſtibus ac terreſtribus videndi Cicero in Somnio Scipionis, & ad id Macrobius lib. 2. capp. 5. 6. & 7. Plinius l. 2. N. H. c. 68. Virgilius 1. Georg. v. 233. Ovidius 1. Metamorph. v. 45.

v. 153. *vaſtantur frigore*] Vaſtæ, incultæ, & deſertæ manent. Sic Livius lib. 23. *Urbe defenſoribus vaſtata facile potiti ſunt hoſtes.*

v. 155. *Et nulla incepto perlabitur unda liquore*] Simul ac manare & labi cœpit, vi frigoris ſtare cogitur, & congelaſcit. ſive, non poteſt fluere & refluere; quare nec unda eſſe, quæ ſic dicitur ab eundo & redeundo. PASS. Labitur igitur, ſed gelu durata non perlabitur, non decurrit quo cœperat currere.

v. 157. *Titan ſuperingerit ortus*] τὸ *ortus*, quartus eſt caſus numeri multitudinis. *Ingerere* eſt infundere, vel injicere; quia radii Solis ſunt *lucida tela diei*. De haſtis vero dixit Virgilius 9. Æneid. v. 763.

raptas fugientibus ingerit haſtas.

Propertius pariter l. 4. Eleg. 6.

Sic noctem patera, ſic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

v. 159. *propior terris*] Temperatæ nimirum zonæ ſeptemtrionali, quam habitamus.

ibid.

Seu propior terris æſtivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo preſſo tellus conſurgit aratro,
Nec frugem ſegetes præbent, nec pabula terræ.
Non illic colit arva deus, Bacchuſve, Cereſve,
Nulla nec exuſtas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter poſita eſt, interque rigentes,
Noſtraque, & huic adverſa ſolo pars altera noſtro,
Quas utrimque tenens ſimilis vicinia cæli
Temperat, alter & alterius vires necat aer.

Hinc

ibid. *æſtivum fertur in orbem*] Ita ſuperius, l. 1. Eleg. 2.

Quum libet, hæc triſti depellit nubila cælo:
Quum libet, æſtivo convocat orbe nives.

Æſtivus orbis, pro, æſtas; ut Horatio *annus pomifer*, pro autumno: & *annus hibernus*, pro hieme. Virgilius 6. Æneid. v. 311.

ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.

Pass.

Æſtivus orbis videtur eſſe circulus ille quem Sol deſcribit diurna converſione quum Tropico Cancri propinquat.

v. 160. *hibernas properat decurrere luces*] Ita Virgilius 1. Æneid. v. 749.

Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hiberni.

v. 161. *preſſo aratro*] *Depreſſo*, ut ait Virgilius 1. Georg. v. 45. & altius terræ impacto. Nos quoque, optimorum veſtigia legentes, in quadam Elegia:

Aſpiciam preſſo ſurgentes vomere glæbas.

ibid. *tellus conſurgit*] Attollitur, ſulco & vomere excitatis glæbis. Virgilius dixit 1. Georg. v. 97.

Et qui proſciſſo quæ ſuſcitat æquore terga,
Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro.

Attius Oenomao apud Nonium in *Seges*:

Proſcindant glæbas, arvoque molli excitent.

Pass.

v. 162. *ſegetes*] Proprie, *partes agri quæ arata & conſitæ ſunt, a ferendo*; auctore Pompejo Feſto.

ibid. *terræ*] Prata, ſilvæ, & campi, qui pabula ſive alimenta jumentis ſuggerunt. Pass.

v. 163. *colit arva deus*] Iccirco Tibullus memorat deos agricolas Eleg. 1. l. 2.

Redditur agricolis gratia cælitibus.

Et Eleg. 5. lib. 1.

Illa deo ſciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.

Notandum *deus* etiam genere feminino. refertur enim ad illud etiam *Ceres*. Virgilius lib. 2. Æneid. v. 632. de Venere:

Deſcendo, ac ducente deo flammam inter & hoſtes
Expedior.

Pass.

v. 164. *Nulla nec exuſtas habitant animalia partes*] *Exuſtas partes*, ut Catullo *India toſta*. Plinius lib. 2. N. H. cap. 68. *Media vero terrarum, qua Solis orbita eſt, exuſta flammis & cremata, cominus vapore torrentur.* Credebant autem, ſub zona torrida nullos eſſe habitatores, ne beluas quidem. Pass.

v. 166. *huic adverſa ſolo pars altera noſtro*] Pars mundi altera, adverſa ſive oppoſita huic ſolo noſtro, eſt regio Antichthonum, ſive Antipodum, qui tamen habitant zonam temperatam auſtralem.

v. 167. *utrimque tenens*] Hinc inde cingens, dextra lævaque complectens. *utrimque*, ἑκατέρωθεν. *Tenens*: ut Virgilius 1. Georg. v. 233.

Quinque tenent cælum zonæ.

Pass.

ibid. *ſimilis vicinia cæli*] Cæli enim & aeris

Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.
Hinc & colla jugo didicit ſubmittere taurus,
Et lenta excelſos vitis conſcendere ramos.
Tondeturque ſeges maturos annua partus,

Et

acris propinquitas eadem fere eſt in duabus zonis terreſtribus temperatis. *Vicinia*, inquit Soſipater Chariſius, *dicitur loci demonſtratio: vicinitas vero vicinorum coniunctio.* *Idem*.

v. 168. *alter & alterius vires necat aër*] *Necat*, h. e. frangit, opprimit, contundit, perimit. Poeta noſter loquitur de aëre quaſi de animali, cui vita & mors poſſit contingere: nam aër eſt in perpetuo motu, & ejus ſpirabilis natura. Sic Virgilius 4. Georgic. v. 330.

Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes.

Plautus Amphitr. 2. 2. 41.

Ni ego illi puteo animam omnem intertraxero.

Lucilius apud Nonium:

Durum, molle voras, fragmenta interfici' panis.

PASS.

Tibulli ſententia eſt: In zonis temperatis, aërem calidum, qui movetur ab zona torrida vicina, miſceri cum frigido, qui ſpirat ab zona frigida exadverſum, atque ita effici temperiem, exſtincto ſcilicet nimio calore, & nimio frigore, atque utroque in blandum teporem coaleſcente.

v. 169. *placidus annus*] Benignus, clemens, moderatus.

ibid. *per tempora vertitur annus*] Quatuor tempeſtatibus diſtinguitur; quum ſub zonâ torridâ perpetua ſit æſtas, ſub rigentibus vero perpetua hiems. Ovidius 1. Metamorph. v. 116.

Juppiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hiemes, æſtuſque, & inæquales autumnos,
Et breve ver, ſpatiis exegit quatuor annum.

Seneca Tragicus alicubi:

Rota præcipitis vertitur anni.

v. 170. *taurus*] Qui *tauri* dicantur in genere bubulo, & cujuſmodi ad arandum eſſe debeant, docet Varro lib. 2. R. R. c. 5. *In bubulo genere ætatis gradus quatuor. prima, vitulorum: ſecunda, juvencorum: tertia, boum novellorum; quarta, vetulorum. Diſcernuntur in prima vitulus & vitula: in ſecunda, juvencus & juvenca: in tertia & quarta, taurus & vacca. Vacca vero, quæ ſterilis, taura dicitur: quæ prægnans, horda: ab eo in faſtis dies Hordicalia, quia tum hordæ boves immolantur.* PASS.

v. 171. *Et lenta excelſos vitis conſcendere ramos*] Revocandum ἀπὸ κοινοῦ, *didicit hic.* vitis enim doceri fingitur, ut & tauri. Sic Propertius lib. 2. Eleg. 19. utrumque, vitem & tauros conjungit cum docendi verbo:

Illic aſſidue tauros ſpectabis arantes,
Et vitem doctam ponere falce comas.

Lenta vitis, flexilis. Catullus Carm. 60. v. 106.

Lenta, qui, velut adſitas
Vitis implicat arbores, &c.

Et Virgilius Ecloga 3. v. 38.

Lenta quibus torno facili ſuper addita vitis.

ibid. *excelſos conſcendere ramos*] Seſe attollere ad ulmorum populorumque, quibus maritatur, brachia & flagella, ſummumque verticem. PASS. Id in Campano præcipue agro fieri ſolitum, tradit Plinius H. N. l. 14. c. 1.

v. 172. *Tondeturque ſeges maturos annua partus*] ἐλλειπτικῶς, pro, *tondentur maturi partus ſegetis annua*. Tondendi verbo ſic uſus Ennius apud Priſcianum lib. 9. in *Tondeo*:

Et detondit agros Pœnos, atque oppida cepit.

Virgilius non diſſimili ſignificatione, 1. Georg. v. 15.

Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Morſu nimirum depaſcuntur & carpunt. PASS.

ibid. *ſeges annua*] Nomen loco adverbii: *Annua ſeges tondetur*, pro quotannis. Sic l. 2. Eleg. 1.

Rura ferunt meſſes, calidi quum ſiderit æſtu
Deponit flavas annua terra comas.

hoc

Et ferro tellus, pontus confinditur ære:
Quinetiam ſtructis exſurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego ſum ſatis ad tantæ præconia laudis,
Ipſe mihi non ſi præſcribat carmina Phœbus.
Eſt tibi qui poſſit magnis ſe accingere rebus
Valgius. Æterno propior non alter Homero.

Lan-

hoc eſt, tondetur. *Seges* hic ſignificat terram ſatam.

ibid. *maturos partus*] Horatius Carm. ſæculari, de ſœtibus humanis:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia.

PASS.

v. 173. *ferro tellus confinditur*] Vomere ferreo ſecatur in aratione. Lucretius lib. 1. v. 314.

uncus aratri
Ferreus occulte decreſcit vomer in arvis.

Confinditur, pro *finditur*. verbum compoſitum pro ſimplici.

ibid. *pontus confinditur ære*] Mare ſecatur æreis navium roſtris, vel æratis remis. Propertius l. 3. Eleg. 4.

Arma deus Cæſar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere claſſe maris.

v. 174. *exſurgunt oppida*] In altum tolluntur ab ædificantibus. Horatius pariter Ode 3. lib. 3.

Ter ſi reſurgat murus aheneus
Ductore Phœbo.

v. 175. *per claros ierint tua facta triumphos*] Ovidius l. 3. Artis Amat. v. 87.

Ite per exemplum, genus o mortale, dearum.

Papinius l. 1. Achilleid. v. 4.

nos ire per omnem,
Sic amor eſt, heroa velis.

Brunkhuſius.

v. 176. *Solus dicĕris magnus*] Magni nomen obtinebis, ob magnitudinem rerum a te geſtarum, ut Pompejus, & Alexander. PASS. Et quidem ſolus in orbe utroque; nam qui antea magni dicti ſunt, in una santum orbis parte inclaruere.

ibid. *utroque in orbe*] Non in orbe Eoo, & Heſperio: non in Europa, & Aſia; in qnas orbem tribuerat Eratoſthenes, Africa Europæ adjecta: ſed in utraque zona temperata, quas antiqui ſolas habitabiles putabant. Et ſane ſuperius v. 150. temperatam auſtralem vocavit *mundi* partem alteram:

Teque interjecto mundi pars altera Sole.

v. 177. *tantæ laudis*] *Laus* hic ſignificat præclara facta, & laude digniſſima. Virgilius 5. Æneid. v. 461. *ſunt hic etiam ſua præmia laudi*. Propertius l. 1. Eleg. 6.

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis.

v. 178. *I. mihi non ſi præſcribat carmina Phœbus*] Præcipiat & monſtret, ut ſcribendi magiſter diſcipulo, quomodo ſcribendi componendique verſus. Nota translatio. Propertius pariter Eleg. 1. lib. 2.

Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo.

PASS.

i. e. præcinit, docetque præcinendo, quomodo ipſe ſuccinere debeam.

v. 179. *Eſt tibi*] Habes inter clientes & amicos. PASS.

ibid. *qui poſſit magnis ſe accingere rebus*] Qui par ſit heroico poemati ſcribendo, quale poſtulant magnæ res a te geſtæ, ac deinceps gerendæ, o Meſſala. *Accingere*, ductum a more & uſu militiæ, ubi pranſi parati milites cingebant ſe, quo expeditius pugnarent. PASS.

v. 180. *Valgius*] T. Valgius Rufus, ævo Auguſti poeta celeberrimus. Heroica ſcripſerat, Luſus Paſtorales, Elegos, Epigrammata: ſed omnia interciderunt. Verſiculos ejus nonnullos refert Junius Philar-

gy-

Digitized by Google

Languida nam noſter peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos eſt illi, me adverſa fatiget.
Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine ſulci

Hor-

gyrius ad Georgica, Servius ad Eclogam 7. Virgilii, & ad lib. 11. Æneid. v. 557. Iſidorus lib. 19. Originum, cap. 4. Chariſius l. 1. Inſtit. Grammat. pag. 84. Commemorant porro & laudant Horatius Sat. 10. lib. 1. v. 81. Seneca Epiſt. 51. Diomedes lib. 1. Grammat. pag. 382. Non eſſe confundendum eum C. Valgio Saturnino Ruſo conſulari, qui *βουκολικὰ* ſcripſerat, teſte Plinio lib. 25. cap. 2. recte monuit diligentiſſimus Broukhuſius. Valgium Virgilio præferre videtur Tibullus: Auguſto nempe iratus, cujus amicitia floruit Virgilius, & cujus laudes ubique celebrat.

ibid. *æterno propior non alter Homero*] Omnium proxime accedit Valgius, meo quidem judicio, ad Homerici carminis majeſtatem. *Propior* ſignificat etiam magis benevolum. Ovidius l. 1. Triſt. Eleg. 2.

Oderat Ænean propior Saturnia Turno.

PASS.

ibid. *æterno Homero*] Cujus carmina immortalia. Ovidius lib. 2. Pontic. Epiſt. 10. ad Macrum:

Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſummâ Troïca bella manu.

Compoſuerat ſcilicet Macer Homeri *παραλειπόμενα*, ſicuti Q. Calaber. *Sempiternorum Homeri carminum* mentio fit apud Ammianum Marcellinum lib. 21. Lucretius quoque appellat Homerum *ſemper florentem*. Ita Martialis Epigr. 64. lib. 6. vocat *Silium* Italicum *perpetuum*.

v. 181. *Languida nam noſter peragit labor otia*] Mira locutio, *labor noſter peragit otia*, pro, a laboribus deſiſtimus, & otio nos damus. niſi forte *peragit*, eſt *conficit*, *interimit*: nihil enim otio magis inimicum quam labor. Sic Auctor Liberi Carminis Epigr. 34. de meretrice:

Quæ quot nocte viros peregit unâ,
Tot verpas tibi dedicat ſalignas.

Vulgati codices legunt: *Languida nam noſter*. ſed verius excerpta Lipſii, Broukhuſio judice, *Languida nam noſter*. ideo enim Valgii humeros illi oneri ſubjicit, quod ipſe laborem refugiat conſcius ſibi virium exiguarum, atque otium potius ſectetur, quamvis in re non lautiſſima.

ibid. *Languida otia*] Cicero in Catone: *Senectus non modo languida & iners, ſed etiam operoſa & aliquid ſemper agens*. Noſter Eleg. 1. l. 1.

Me mea paupertas vitæ traducat inerti.

PASS.

v. 182. *fortuna me adverſa fatiget*] Exerceat, vexet, male habeat. Virgilius 6. Æneid. v. 532.

pelagine venis erroribus actus?
An monitu divûm? an quæ te Fortuna fatigat?

PASS.

v. 183. *domus alta*] Virgilius 11. Æneid. v. 547.

Lyrneſſi domus alta, ſolo Laurente ſepulcrum.

Argumentum priſcæ nobilitatis & opulentiæ, domus alte ædificata. *Idem.*

ibid. *niteret*] Nitere domus dicitur quæ nitida, culta, & lauta eſt, quæ floret ac ſplendet. Cicero in Rullum Oratione 2. *Genus vectigalis quod in pace niteat, in bello non obſoleſcat*. Horatius Sat. 5. lib. 2. *Res ubi magna nitet domino ſene*. PASS. Contra idem poeta Venuſinus Ode 10. lib. 2.

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti. &c.

En, domus obſoleta & ſordida pauperis opponitur nitidæ locupletis.

v. 184. *flavi ſulci*] Maturis meſſibus flaveſcentes.

ibid. *ditantes ordine horrea*] Veram horum verborum ſententiam pervidit Broukhuſius. Seges, inquit, in ſulcis flaveſcens ordine locupletat horrea. tempore enim ſuo ſegetes quæque maureſcunt, non cunctæ ſimul. igitur meſſis alia aliam ordine ſubſequitur; & in horreis certo quodam ordine conditur.

v. 185.

Horrea, fœcundas ad deficientia meſſes:
Cuique pecus denſo paſcebant agmine colles,
Et domino ſatis, & nimium furique, lupoque:
Nunc deſiderium ſupereſt: nam cura novatur,
Quum memor anteactos ſemper dolor admovet annos.
Sed licet aſperiora cadant, ſpolierque relictis:

Non

v. 185. *fœcundas ad deficientia meſſes*] ἀναςροφὴ μετὰ τμήσεως, ut recte Scaliger. nempe *deficientia ad meſſes*, anguſta, neque idonea tam copioſis meſſibus continendis. Ita Eleg. 5. lib. 2. de uberrima vindemia:

Oblitus & muſto feriet pede ruſticus uvas,
Dolia dum, magni deficiantque lacus.

Tale eſt illud Ovidii 3. Metamorph. in fabula de Narciſſo, v. 462.

Verba refers aures non pervenientia noſtras.

h. e. non venientia per aures noſtras. Et inferius v. 598. *dextris adducor litora remis*. pro, *ducor ad litora*.

v. 186. *Cuique pecus denſo paſcebant agmine colles*] Incertum an colles ipſi paſcerent pecudes, an paſceretur pecus in collibus. nam, *pecus*, quia nomen collectivum, jungi poteſt cum verbo *paſcebant*. Pecus igitur gramen & frondes in collibus carpebat. PASS.

v. 187. *& nimium furique, lupoque*] Ita libro 1. Eleg. 1.

At vos exiguo pecori furesque, lupique
Parcite. de magno eſt præda petenda grege.

v. 188. *Nunc deſiderium ſupereſt*] Amiſſas enim res deſideramus: at ſæpius fruſtra. Horatius Ode 14. l. 1.

Nuper ſollicitum quæ mihi tædium,
Nunc deſiderium, curaque non levis.

Tibullus non audet palam accuſare ſcelera & rapinas bellorum civilium, præſertim quum Auguſtus jam rerum potiretur: ſed cauſſam paupertatis ſuæ rejicit in fortunam, ut cautum & prudentem decebat. Nihilominus, quum Auguſti laudes ubique diſſimulet, quem reliqui poetæ certatim verſibus ſuis ornabant, ipſo ſilentio ſatis oſtendit, ſe illi ſubiratum fuiſſe.

ibid. *nam cura novatur*] Recrudeſcit, & renovatur.

v. 189. *Quum memor anteactos ſemper dolor admovet annos*] In quindecim libris vetuſtis *admovet* ſcriptum eſt, non *admonet*. Eleganter *Admovere*, ante oculos ponere, atque ita in memoriam revocare imagine maxime vivida & expreſſa. *Memor dolor*, acerba recordatio injuriarum militarium, & rapinarum triumviralium. Nicolaus Heinſius legebat,

Quum memori anteactos ſemper dolor admovet annos.

Non male. Quin tamen floride magis ac figurate cum *doloris* voce jungatur epitheton *memor*, nemo opinor negabit. Virgilius lib. 1. Æneid. v. 4.

multum ille & terris jactatus & alto
Vi ſuperûm, ſævæ memorem Junonis ob iram.

Naſo l. 4. Metamorph. v. 694.

Ultoreſque deos, & pectora dura peroſam
Idalien, memoremque time Rhamnuſidis iram.

Naſcitur autem ex dolore ira: quæ qua ratione dicatur *memor*, exponit Petrus Victorius lib. 25. Var. Lect. c. 2.
Broukhuſius.

v 190. *aſperiora cadant*] Duriora, ſive graviora eveniant. Seneca Conſolat. ad Marciam, cap. 12. *Aſpera leniuntur ferendo placide*. PASS. *Cadant*, pro *accidant*: verbum ſimplex pro compoſito.

ibid. *ſpolierque relictis*] Male Scaliger interpretatur, Tibullum ære alieno obſtrictum ſpoliari a creditoribus: non enim hoc ex verbis poetæ elici poteſt: ſed non ceſſaturum ſe a laudibus Meſſalæ canendis etiamſi ſpolietur. quod non accidit tamen. Vide quæ diximus in Prolegomenis De Vita Tibulli.

ibid. *ſpolier*] Exuar, carere cogar iis quæ mihi reliqua ſunt, quæ mihi ſuperſunt non adempta in agrorum diviſione juſſu triumvirûm facta. Donatus in Hecyram

Te-

Digitized by Google

Non te deficient noſtræ memorare Camenæ.
Nec tibi Pierii ſolum tribuentur honores.
Pro te vel rapidas auſim maris ire per undas,
Adverſis hiberna licet tumeant freta ventis:
Pro te vel ſolus denſis ſubſiſtere turmis,
Vel parvum Ætnææ corpus committere flammæ.
Sum quodcumque, tuum eſt. noſtri ſit parvula cura,
Sit tibi quanta libet, ſi ſit modo; non mihi regna
Lydia, non magni potior ſit fama Gylippi,
Poſſe Meleteas nec mallem vincere chartas.

Terentii: *Spoliare, eſt non minimam partem auferre, mutilare, aliquid detrahere ſine quo res eſſe non poſſit, lacerare quum omnino non habeas quod imminuas.* Pass.

v. 191. *deficient memorare*] Deſinent celebrare, & apud poſteros commemorare; quod Muſarum proprium eſt, quæ Μνημοσύνης, ſeu Memoriæ filiæ. Propertius Eleg. 8. lib. 1.

Nec me deficiet nautas rogitare citatos.

h. e. neque deſinam. Pass. At ſi quis animadvertat, hæc Propertii locutio non eſt omnino ſimilis Tibullianæ.

v. 195. *denſis ſubſiſtere turmis*] D. Brutus lib. 11. ad Famil. Epiſt. 10. *Septenum nummorum nunc legionem alo; qua difficultate, tu arbitrare. Non, ſi Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem.* Livius l. 27. c. 7. *Maxime movit patres Haſdrubalis tranſitus in Italiam, vix Hannibali atque ejus armis ſubſiſtentem.* Vide iſtic notata Gronovio patri, viro egregio, adſerto ſimul hoc verſiculo. *Broukhuſius.* Turmæ ſunt equitum, ut cohortes peditum, inquit Servius ad illud 9. Æneid. *Tercentum ſcutati omnes.* Pass.

v. 196. *parvum corpus*] Broukhuſius legit *pavidum*: quod non placet. *Parvum corpus*, legi omnino debet, ſi quid video; non ſane quod Tibullus, cui formam tribuit Horatius, fuerit humili ſtatura & puſilla: ſed potius, quod gracilis ac tenuis, ut ſolent eſſe homines adoleſcentes, elegantes, & amatores. *Parvum* igitur *corpus*, eſt *corpuſculum*: quæ μείωσις παθητικὴ huic loco ſatis convenire videtur.

ibid. *Ætnææ corpus committere flammæ*] Inſilire in cratera ardentem montis Ætnæ in Sicilia, ut fecit olim *Empedocles, deus immortalis haberi Dum cupit.* *Committere*, mandare, tradere, dare ignibus. Virgilius 4. Æneid. v. 640.

Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.

Pass.

v. 197. *Sum quodcumque, tuum eſt*] Subaudi *munus*. Horatius Ode 3. lib. 4. ad Melpomenen:

Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

Propertius l. 2. Eleg. 20.

Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.

Ovidius lib. 1. Triſt. Eleg. 5. ad uxorem:

Te mea, ſuppoſitâ veluti trabe, fulta ruina eſt.
Si quid adhuc ego ſum, muneris omne tui eſt.

v. 198. *Sit tibi quanta libet, ſi ſit modo*] Pari omnino figura Ovidius lib. 1. Pontic. Epiſt. 1. ad Brutum:

Si vacat, hoſpitio peregrinos, Brute, libellos
Excipe; dumque aliquo, quolibet abde loco.

ibid. *regna Lydia*] In Lydia, minoris Aſiæ provincia, regnavit Crœſus regum locupletiſſimus. In eadem fluvius eſt aurifer Pactolus.

v. 199. *non potior ſit fama*] Non ſit magis optanda, & præſtantior mihi videatur. Pass.

Quod tibi ſi verſus noſter totuſve minuſve,
Vel bene ſit notus, ſummo vel inerret in ore:

Nul-

PASS. Ita Venuſinus poeta Sat. 1. l. 1. *Militia eſt potior.*

ibid. *magni Gylippi*] Petierant auxilium a Lacedæmoniis adverſus Athenienſes Syracuſani. Ab illis mittitur Gylippus ſolus, ſed in quo inſtar omnium auxiliorum erat. Is centum & triginta naves Athenienſium cepit & incendit, & Syracuſanos ab obſidione liberavit, captis Athenienſium ducibus Demoſthene & Nicia. ita de eo ſcribit Juſtinus lib. 4. cap. 4. & 5. Plutarchus tamen in Vita Niciæ, contaminaſſe eum rei bellicæ famam avaritia & ſordibus, refert. Idem περὶ παίδων ἀγωγῆς, de Gylippo hæc habet: Γύλιππος ὁ Λακεδαιμόνιος, τὰ σακκία τῶν χρημάτων παραλύσας, φυγὰς ἀπηλάθη τῆς Σπάρτης. Ex quo Plutarchi loco, & ex alio in Lyſandro, diſcimus, Gylippum furti ſeu peculatus nomine damnatum, & juſſum vertere ſolum, quod partem commiſſæ ſibi pecuniæ ſurripuiſſet diſſutis ſacculis; & proditum arguto familiarium joco, *ſub tegulis Gylippi noctuas deliteſcere*. Vitium hoc avaritiæ, velut hereditarium habuit a Cleandride patre, ut tradit memoratus Plutarchus in Nicia. PASS. De Gylippo videndi Thucydides l. 6. 7. & 8. Iſocrates in Archidamo, Polyænus lib. 1. Strategematum, cap. 42. Paulus Oroſius lib. 2. cap. 14. Cur autem poeta noſter e tot clariſſimis belli ducibus Gylippum ſeligit, quem comparet cum Meſſala? Cauſſa mihi non ſatis cognita eſt: niſi forte prodigium illud Tibullum movit quod narratur etiam a Seneca lib. 1. Natur. Quæſt. cap. 1. *Gylippo Syracuſano petenti, viſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtitiſſe.* Retulit autem ſuperius poeta non diſſimilia omina & oſtenta, quæ acciderunt Meſſala conſulatum ineunte, ac vota pro ſalute imperii Romani nuncupante. illud inter cetera v. 134.

Lætior eluxit ſtructos ſuper ignis acervos.

v. 200. *Meleteas chartas*] Homericas; a Melete fluvio Zmyrnam alluente, ad cujus ripas natum Homerum ajunt. unde Μελησιγένης dictus. Statius lib. 2. Silvar. in Genethliaco Lucani:

Attollat refluos in aſtra fontes
Grajo nobilior Melete Bætis.

Idem lib. 3. Silvar. Carm. 3. v. 60.

Zmyrna tibi gentile ſolum, potuſque verendo
Fonte Meles.

Strabo lib. 12. Geographiæ ſcribit, natum Homerum ad Meletem fluvium, ex Apellis cujuſdam filia, ibi compreſſa a Mæone patruo. Zmyrna vero quæ alluitur Melete fluvio, prima nominatur inter urbes ſeptem quæ de Homeri patria certant; ſunt autem,

Zmyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios,
Argos, Athenæ.

PASS.

Meles fluvius eſt ipſos urbis Zmyrnæ muros, uti quidem hodie ſunt, adluens; ſed admodum exiguus, & in plurimos rivulos comminutus. olim nobilior fuit, ac ſpatioſior. Plinius lib. 5. N. H. cap. 29. *Regredientibus inde abeſt xii. mill. paſſuum ab Amazone condita, reſtituta ab Alexandro, in ora Zmyrne, amne Melete gaudens, non procul orto.* Hujus amnis filium Homerum tradidit antiquitas. Atque hinc nummi Amaſtrianorum, in quorum una facie Homerus cum diademate, ac bene barbatus; in altera fluvius Meles urnæ innixus, cum lyra ſupra genu dextrum erecta. Vide Inluſtriſſimum Spanhemium Diſſertat. 5. de Uſu ac Præſtant. Numiſm. p. 488. editionis prioris: Laurentium Ramirez de Prado Pentecont. cap. 25. (qui tamen diadema non expreſſit, prave ac negligenter) Barthium ad Papin. l. 3. Silvar. 3. & v. 60. & Ampliſſimum Cuperum Apoth. Homer. p. 7. 8. *Broukhuſius*. Genealogiam Homeri uſque ad Meletem fluvium ejus patrem pulchre pertexit Scriptor certaminis Homeri & Heſiodi; qui Heſiodum facit Homero antiquiorem, ex quorumdam ſententia. Τινὲς μὲν Ὅμηρον νεώτερον Ἡσιόδου φασὶν εἶναι καὶ συγγενῆ. Γενεαλογοῦσι τε οὕτως. Ἀπόλλωνος φασὶ καὶ Θοώσης τῆς Ποσειδῶνος γενέσθαι Λίνον, Λίνου δὲ Πίερον, Πιέρου δὲ καὶ Νύμφης Μεθώνης Οἴαγρον, Οἰάγρου δὲ καὶ Καλλιόπης Ὀρφέα, Ὀρφέως δὲ Ὄρτην, τοῦ δὲ Ἁρμονίδην, τοῦ δὲ Φιλοτερπῆ, τοῦ δὲ Εὔφημον, τοῦ δὲ Ἐπιφράδην, τοῦ δὲ Μελάνωπον, τούτου δὲ Δῖον καὶ Ἀπελλαῖον, Δίου δὲ καὶ Πυκιμήδης τῆς Ἀπόλλωνος θυγατρὸς Ἡσίοδον

καὶ

Digitized by Google

Nulla mihi ſtatuent finem te fata canendi.
Quinetiam mea quum tumulus contexerit oſſa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet ſeu vita, tamen mutata figura

Seu

ϗ Πέρσην, Πέρσου δὲ Μαίονα, Μαίονος δὲ θυγατρὸς ϗ Μέλητος τοῦ ποταμοῦ Ὅμηρον.

v. 201. *Quod tibi ſi*] Tmeſis & anaſtrophe. pro, *quod ſi*. Propertius Eleg. 1. l. 2.

Quod mihi ſi tantum, Mæcenas, fata dediſſent,
Ut poſſem heroas ducere in arma manus.

PASS.

ibid. *verſus noſter*] Enallage numerorum. pro, *verſus noſtri*. Propertius lib. 2. Eleg. 13. *ut noſtro ſtupefiat Cynthia verſu*. *Idem*.

ibid. *totuſve minuſve*] Languida hæc ſunt, pace mihi liceat dicere Noſtri Equitis, exſanguia & exſucca, neque ſatis inter ſe cohærentia, uſque ad poematis finem.

v. 202 *bene ſit notus*] Valde tibi familiaris, quo plurimum ſis uſus. Horatius Epiſt. 6. v. 25

quum bene notum
Porticus Agrippæ, & via te conſpexerit Appi.

PASS.

ibid. *ſummo vel inerret in ore*] *Inerrare*, idem quod errare, & vagari aliquo in loco. Statius lib. 1. Silvarum in Balneo Hetruſci, v. 58. eadem ſignificatione:

ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

Plinius junior Epiſt. 6. lib. 1. *Experieris, non magis Dianam montibus, quam Minervam inerrare*. At *inerrare*, Ciceroni non errare. Sic enim lib. 2. de Nat. Deor. *Unde ſtellæ inerrantes, quæ vulgo fixæ dicuntur, quarum ſtabilis conſtanſque converſio*. Græce ἀστέρες ἀπλανεῖς. Errat in ore verſus quem bene proloqui, errore memoriæ vel linguæ non poſſumus. Sic errant verba ebriis. Propertius l. 2. Eleg. ult.

Errabant multo quod tua verba mero.

PASS.

ibid. *ſummo in ore*] In labris primoribus, ut ait Plautus. Virgilius 1. Æneid. v. 736.

Dixit, & in menſa laticum libavit honorem,
Primaque libatum ſummo tenus attigit ore.

Idem.

v. 203. *Nulla*] Pro *non*. Sic *nullus venis*, Plauto in Aſinaria; & *nullus dixeris*, Terentio in Hecyra. *Idem*. Sed *nulla fata ſunt*, quodcumque mihi fatum imminet; ut manifeſtum ex iis quæ ſequuntur.

ibid. *ſtatuent finem*] Modum imponent. Propertius lib. 3. Eleg. 10.

Erroriſque ſui ſic ſtatuiſſe modum.

Idem.

v. 204. *tumulus*] Ælius Gallus apud Feſtum: *Tumulus eſt mons arenæ, editus ſecundum mare, fluctibus ſublevatus; unde & manufactus & naturalis ſimiliter dici poteſt*. Iſidorus lib. 14. Origin. c. 8. *Tumulus mons brevis, quaſi tumens tellus*. Propterea Virgilius: *Aggere compoſito tumuli*. Idem: *& ingens Aggeritur tumulo tellus*. Servius Grammaticus: *Tumulus & collis & ſepulcrum, quia aggeritur eo tellus*. PASS. Venuſinus poeta Ode 28. lib. 1. ſic tumulum περιῤῥάζεται:

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Oſſibus & capiti inhumato
Particulam dare.

ibid. *contexerit*] Verbum compoſitum pro ſimplici. M. Tullius pro Archia: *Idem tumulus qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruiſſet*.

v. 205. *matura dies*] Hic ponitur pro morte præcipiti, ac feſtinata, quæque ante diem venit. Cornelius Celſus lib. 1. Medicinæ, cap. 1. *Ignavia corpus hebetat, labor firmat. illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit*. Nepos in Vita Attici, cap. 2. *Pater mature deceſſit*. *Bronkhuſius*.

ibid. *celerem properat mihi mortem*] Accelerat, feſtinat. Propertius lib. 2. Eleg. 28.

Quod ſi forte tibi properarint fata quietem.

PASS.

Virgilius 1. Georg. v. 270.

Mul-

Seu me finget equum gyro percurrere campos
Doctum, ſeu tardi pecoris ſim gloria taurus:
Sive ego per liquidum volucri vehar aera penna:
Quandocumque hominem me longa refecerit ætas,
Inceptis de te ſubtexam carmina chartis.

Multa, forent quæ mox cælo properanda ſereno,
Maturare datur.
Manilius 5. Aſtronom. v. 8.
Me properare viam mundi lubet.
Horatius Ode 24. l. 3. v. 62.
Indignoque pecuniam
Heredi properat.
Idem Epodo 12.
Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? tibi nempe.
Seneca Œdipo v. 227.
Longus ad manes properatur ordo
Agminis mœſti.
Boethius Conſolat. Philoſ. lib. 1. metro 1.
Venit enim properata malis inopina ſenectus.

v. 206. *tamen mutata figura*] Hæc pertinent ad celeberrimam, ſed ineptam, Pythagoræ doctrinam de *μετεμψυχώσει*, ſeu migratione animarum poſt mortem in alia corpora. Vide Platonem lib. 10. de Republica, Herodotum lib. 2. Hiſt. & Petrum Gaſſendum tomo 2. Opp. pag. 548. col. 2.

v. 207. *Seu me finget equum*] Sive equi formam mihi tribuet vita altera & longa ætas. Fingi dicitur equus vel quum a natura creatur, quæ rebus omnibus dat figuram & formam: vel quum a magiſtro quaſi inſtituitur & docetur. Horatius Epiſt. 1. l. 2. v. 64.
Fingit equum tenera docilem cervice magiſter
Ire viam quam monſtrat eques.
PASS.
L. Varius apud Macrobium lib. 6. Saturn. cap. 2.
Quem non ille ſinit lentæ moderator habenæ
Qua velit ire; ſed anguſto prius orbe coercens
Inſultare docet campis, fingitque morando.

ibid. *gyro percurrere campos Doctum*] *Campos* hic videtur Tibullus poſuiſſe pro hippodromo, vel circo, ubi equi exerceri ſolebant. Scripſit Varro lib. 4. de L. L. *Quod fructus capiebant ex agro plano, Campus dictus*. Joſephus vero Scaliger ad eum Varronis locum, *Inepta eſt*, inquit, *hæc etymologia, ſicut & de agro culto, a coaleſcendo potius quam a colendo. Siculi circum, aut hippodromum, καμπὴν vocabant a flexu equorum & quadrigarum quæ ibi certabant. Inde omnia plana καμποὶ dicti: poetæ vocant æquora terræ*. Unde καμπτὴρ, metæ. Pacuvius Tantalo, citante Nonio:
Extremum intra campterem, ipſum
Jam prægreditur Parthenopæum.
Jam inter ſtudia equeſtris diſciplinæ vel primo loco diſcebant equum in gyros compellere: idque ab ultima petitum antiquitate; ut teſtantur Virgilius, Horatius, Propertius, Ovidius, Papinius, & alii. *Broukhuſius.*

v. 208. *ſeu tardi pecoris ſim gloria taurus*] Ita Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 289.
Forte ſub umbroſis nemoroſæ vallibus Idæ
Candidus armenti gloria taurus erat.
Tardum pecus, boves, armentum; quod ab arando dictum, quaſi aramentum. Noſter ſuperius Eleg. 1. lib. 1.
Nec tamen interdum pigeat tenuiſſe bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.

v. 209. *per liquidum aëra*] *Liquidus aër*, pellucens, διαφανής. Virgilius 6. Æneid. v. 202. *liquidumque per aëra lapſæ.*

ibid. *volucri penna*] *Volucres pennas*, & *volucres alas* dixerunt Horatius, Ovidius, Valerius Flaccus, Boethius.

v. 210. *Quandocumque hominem me longa refecerit ætas*] Quum tandem poſt varias figuras brutorum animalium aſſumtas, in humanam formam rediero, incœpta de factis & laudibus tuis carmina abſolvam. PASS.

v. 211. *ſubtexam carmina chartis*] De opere poetarum, ſive de carminibus, dixerunt Latini ſcriptores eleganti translatione ac venuſta *texere*, *contexere*, *ſubtexere*, *intexere*, *detexere*, *pertexere*, *retexere*. Exempla collegit Broukhuſius.

CAR-

CARMEN II.

ARGUMENTUM CARMINIS II. LIBRI IV.

De Sulpicia, nobili puella & formoſa, Kalendas Martias, qui mos matronarum erat, celebrante.

* Quum priores illas Annotationes in Tibullum adoleſcens olim conſeriberem, venit ad manus meas *Bibliotheca Latina veterum ſcriptorum*, Opus utiliſſimum *Johannis Alberti Fabricii*, viri litterarum bono nati: quam dum attentius evolvo, in ea verba incidi quæ leguntur lib. 1. cap. 14. ubi de Albio Tibullo: *Librum quartum, excepto jam dicto in Meſſalam Panegyrico, Barthius LIX. 16. ſuſpicatur eſſe non Tibulli, ſed Sulpiciæ, ejuſque mariti Caleni: Sulpiciæ etiam tribuit doctiſſimus Broukhuſius*. Hic vehementer admirari cœpi ſuſpicionis hujus, vel opinionis, novitatem, & mecum ipſe cogitare, quibus argumentis potiſſimum id ſibi perſuaſerint, aliiſque perſuadere conati fuerint homines tam acri judicio: nec enim præſto erant Barthii Adverſaria, & Broukhuſii Commentarios in Tibullum nondum aſpexeram; quorum poſtea librorum copia mihi facta eſt. Sed fucum fecit acutiſſimis Criticis Valerii Martialis Epigramma 35. lib. 10. in quo poeta Hiſpanus caſtos amores Caleni & Sulpiciæ miris laudibus extollit, ſimulque carmina ejuſdem Sulpiciæ elegantiæ ac pudicitiæ nomine commendat. Eſt autem Epigramma hujuſmodi:

Omnes Sulpiciam legant puellæ
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidis adſerit furorem,
Diri prandia nec refert Thyeſtæ;
Scyllam, Byblida, nec fuiſſe credit:
Sed caſtos docet & pios amores,
Luſus, delicias, facetiaſque.
Cujus carmina qui bene æſtimarit,
Nullam dixerit eſſe nequiorem,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem.
Tales Egeriæ jocos fuiſſe
Udo crediderim Numæ ſub antro.
Hac condiſcipula, vel hac magiſtra
Eſſes doctior & pudica Sappho.
Sed tecum pariter ſimulque viſam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Fruſtra: namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto ſibi viveret Caleno.

Verum hæ deliciæ mulieris nobiliſſimæ, temporum injuria, penitus interciderunt: quemadmodum & L. Arruntii Stellæ Patavini Luſus in Columbam, qui tantopere ab eodem Valerio Martiale pluribus in locis laudantur. Jam primum omnium ſatis conſtat, Sulpiciam poetica facultate illuſtrem, Domitiani temporibus floruiſſe; idque præcipue memorati Martialis teſtimonio. At Sulpicia de qua Tibullus, vixit Auguſto rem Romanam gubernante; quod multis argumentis oſtendere parati ſumus. Etenim Carm. 8. hujus quarti libri fit mentio Meſſalæ, quem Equitis noſtri patronum fuiſſe, omnes noverunt: de Tibulli autem ætate neminem arbitror dubirare. Deinde Cerinthus, molliſſimus, & pulcherrimus adoleſcens, quem Sulpicia mirifice amabat, notatur ab Horatio Sat. 2. lib. 1. cujus afferam verſus:

Deſine matronas ſectarier: unde laboris
Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic, inter niveos virideſque lapillos,
Sit licet hoc, Cerinthe, tuum, tenerum eſt femur, aut crus
Rectius: atque etiam melius perſæpe togatæ.

Ubi velim animadvertas, *τὸ tuum* non ſignificare ipſius formoſi adoleſcentis femur, ſed Sulpiciæ potius, quo tamen Cerinthus fruebatur, & iccirco *ſuum* appellare jure ac merito poterat. Quum enim Horatius matronarum amores præ viliorum feminarum amoribus, ob majus periculum, contemnat, debuit matronæ alicujus, non pueri, exemplum adhibere. Id perſpicuum magis eſt quam ut verbis meis indigeat. Non

alio

alio ſane modo locutus eſt Catullus Carm. 66. v. 29.

Egregium narras mira pietate parentem ,
Qui ipſe ſui nati minxerit in gremium .

hoc eſt, qui nurum ſuam conſtupraverit , quæ tamen filii amplexibus debebatur . *Gremium* igitur *ſui nati* , eſt mulieris gremium quo natus potiebatur. Nec Tibullus ipſe lib. 1. Eleg. 10. ad puerum infidelem:

Blanditiaſne meas aliis tu vendere es auſus ?
Tune aliis demens oſcula ferre mea?

nempe blanditias & oſcula mihi debita : non autem illa quibus poeta demulcebat adoleſcentulum . Adde Ovidium Epiſt. Acontii v. 145.

Iſte ſinus meus eſt : mea turpiter oſcula ſumis ;

id eſt mihi promiſſa, mihi pacta, mihi debita ; ſequitur enim ſtatim:

A mihi promiſſo corpore tolle manus .

Juvenalis pariter Sat. 6. v. 124. de Meſſalina probroſis libidinibus indulgente :

Oſtenditque tuum , generoſe Britannice , ventrem .

ſcilicet alvum ex qua prodierat nobiliſſimus Britannicus . Et Seneca Troadibus v. 411. verbis Andromachæ :

quum ferus curru incito
Mea membra raperet , & gravi gemeret ſono
Peliacus axis pondere Hectoreo tremens .

nempe membra Hectoris mariti mei , quæ mea poſſum appellare . Illud quoque Virgilii ſimillimum Æneid. 2. v. 784. *lacrimas dilectæ pelle Creuſæ ;* h. e. abſterge lacrimas, quibus Creuſam dilectam conjugem , fato tibi ereptam , flere non deſinis . Liquido autem apparet ex paullo ante recitatis verſibus Satyræ Horatianæ , amores mutuos Cerinthi ac Sulpiciæ rem fuiſſe tota urbe notiſſimam , & multorum jocis petitam . Quamobrem Tibullus inquit Carm. 7. hujus quarti libri , verbis Sulpiciæ:

mea gaudia narret ,
Dicetur ſi quis non habuiſſe ſua .

Enimvero nollem , a ſolertiſſimo Bentlejo, & in re critica lyneeis oculis utente , locum illum Horatii mutatum fuiſſe , totamque ejus vim & elegantiam ſiniſtra mutatione prorſus corruptam .

Fortaſſe patricia hæc mulier filia fuerit Servii Sulpicii Juriſconſulti , cujus ad Ciceronem extant epiſtolæ ἀμοιβαῖαι . Id videtur ipſa non obſcure ſignificare Carm. 10. ubi Cerinthum ſuum amice objurgat :

Si tibi cura togæ eſt potior , preſſumque quaſillo
Scortum , quam Servi filia Sulpicia .

En gloriatur de patre ſuo , viro clariſſimo, & ſummis reipublicæ muneribus perfuncto . Ratio temporum unice convenit.

His omnibus adde , M. Fabium Quinctilianum l. 1. Inſt. Orat. c. 11. imitatum videri lepidum hoc diſtichum e Carm. 2.

Illam quidquid agit , quoquo veſtigia movit ,
Componit furtim , ſubſequiturque decor .

Verba Fabii ſunt : *Neque enim geſtum oratoris* componi *ad ſimilitudinem ſaltationis volo , ſed ſubeſſe aliquid ex hac exercitatione puerili , unde nos non id agentes* furtim decor *ille diſcentibus traditus proſequatur* . Quis neget , hæc inde planiſſime adumbrata ? ut ait Douza filius . At certe Fabium , rhetorem eloquentiſſimum , puduiſſet viventis adhuc feminæ locutionibus uti , multoque ſimilius veri eſt , a Tibullo, magni nominis poeta, cui Latinæ Elegiæ principatum ipſe tribuit , ſumere voluiſſe . Hic aliquis fortaſſe dixerit, Sulpiciam ex Quinctiliani fontibus eam ſententiam haurire potuiſſe . At manifeſtum eſt, rhetorem a poeta mutuatum , non a rhetore poetam ; quum ſententia omnlno poetica ſit.

Nec audiendus Caſpar Barthius, vir ceteroqui præclarus, qui carmina illa in quibus laudatur Sulpicia , Caleno ejus conjugi tribuit ; videbat enim homo acutus , minus honeſtum eſſe , modeſtam mulierem & probam a ſe ipſa laudari . Sed inane hoc perfugium eſt ; ſiquidem Valerius Martialis in verſiculis antea memoratis , quibus juniorem illam Sulpiciam celebrat , de Muſis Caleni omnino ſilet . Quomodo autem Sulpiciæ liber *caſtos & pios amores* doceret , ſi de furtivo concubitu identidem loqueretur ? At Carm. 5. hujus libri legimus :

Mutuus adſit amor . per te dulciſſima furta ,
Perque tuos oculos , per Geniumque rogo .

& alia paſſim, quæ ad amatorem potius , quam ad conjugem pertinent . Broukhuſius , vir cordatus , hic mecum facit . Præterea , ex Barthio ſciſcitarer , cur Calenus uxorem proprio nomine ac vero appellet , Sulpicia maritum ficto & ſuppoſito , nempe *Cerinthi* . Numquid pudebat mulierem imparis con-

Digitized by Google

conjugii? nihil minus. Audi verba ipſius, Carm. 7.

Sic peccaſſe juvat. vultus componere famæ
Tædet. cum digno digna fuiſſe ferar.

Deinde, cur Tibullus noſter Eleg. 2. lib. 2. de qua, ut puto, controverſia nulla eſt, Cerinthi natalem celebrat. An ille alter eſt Cerinthus? gerræ maximæ. Legunt ibi quidem alii *Cornutus*: verum *Cerinthus* legi oportere indicat argumentum ipſum; agitur enim de amore conjugali. Quod autem ait idem Barthius, omnia quæ in quarto libro continentur, præter Meſſalæ Panegyricum, Caleno & Sulpiciæ tribuenda, in eo quoque humani aliquid paſſus eſt; Carmen enim 13. Tibullum auctorem clamat apertiſſime. Quo enim illa ſpectare dicamus:

Nunc licet e cælo mittatur amica Tibullo,
Mittetur fruſtra: deficietque Venus?

Hic etiam Broukhuſius æſtuat, & ſcrupoſam viam commeat.

Quæ attulimus adhuc, ſatis eſſe poterant ad veritatis defenſionem, niſi aliud argumentum ſupereſſet maxime idoneum, ſtili nempe ac numerorum ſimilitudo. Pauca de plurimis excerpere juvat: reliqua ſtudioſi lectores ipſi per ſe colligent.

Carm. 2. lib. 4.

Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

Dixerat ſuperius Eleg. 6. l. 2.

Acer Amor, fractas utinam tua tela ſagittas
Ilicet, exſtinctas adſpiciamque faces.

Carm. 2. l. 4.

Sola puellarum digna eſt cui mollia caris
Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.

At Elegia 3. l. 2.

Illi ſelectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Carm. 2. lib. 4.

Cultor odoratæ dives Arabs ſegetis.

Hujuſmodi numerus Tibullo frequens in libris prioribus:

Qui maris, & triſtes ferre poteſt Hyadas.
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.
Primus, & in tenero fixus erit latere.
Servare? fruſtra clavis ineſt foribus.
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Hæſura in noſtro tela gerit latere.
Plena coronato ſtare boves capite.
Cantat, & adplauſo tela ſonat latere.
Bellica quum dubiis roſtra dedit ratibus.
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.
Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.
Troica qui profugis ſacra vehis ratibus.
Et madefacta meis ſerta feram lacrimis.
Et mea cum muto fata querar cinere.
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem.

Carm. 2. lib. 4.

Hanc vos, Pierides, feſtis cantate Kalendis.

At Eleg. 1. lib. 3.

Martis Romani feſtæ venere Kalendæ.

Carm. 3. lib. 4.

Nec tibi ſit duros acuiſſe in prælia dentes.

At Eleg. 6. lib. 1.

Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.

Carm. 3. lib. 4.

Incolumem cuſtos hunc mihi ſervet Amor.

Rurſus Eleg. 6. lib. 1.

Mutuus abſenti te mihi ſervet Amor.

Carm. 3. lib. 4.

O pereant ſilvæ, deficiantque canes.

At Eleg. 3. lib. 2.

O valeant fruges, ne ſint modo rure puellæ.

Carm. 4. lib. 4.

Sancte veni, tecumque feras quicumque ſopores,
Quicumque & cantus corpora feſſa levant.

At Eleg. 1. lib. 2.

Sancte veni dapibus feſtis.

Carm. 4. lib. 4.

Phœbe fave. laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore ſervato reſtituiſſe duos.

Sic Eleg. 5. l. 2.

Phœbe fave; novus ingreditur tua templa ſacerdos.

Carm. 5. lib. 4.

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi ſanctus.

Quatuor verſus Tibulli ſunt in libris antecedentibus æque horriduli:

Eleg. 6. lib. 1.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus.

Eleg. 4. lib. 2.

At bona quæ, nec avara fuit, centum licet annos.

Eleg. eadem:

Si modo me placido videat Nemeſis mea vultu.

Eleg. 5. lib. 2.

Vix-

SULPICIA eſt tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis:
Spectatum e cælo, ſi ſapis, ipſe veni.
Hoc Venus ignoſcet. at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.

Illius

Vixque cano Nemeſim, ſine qua verſus mihi nullus.
Carm. 5. lib. 4.
Quod ſi forte alios jam nunc ſuſpirat amores.
Ita Eleg. 6. l. 1.
Te tenet, abſentis alios ſuſpirat amores.
Carm. 5. lib. 4.
Tu, precor, infidos, ſancte, relinque focos.
Ita Eleg. 3. lib. 2.
Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Hic tamen quartus libera tribus libris antecedentibus ſtilo differre videtur Broukhuſio; quamvis auctor ejus Tibullum imitari conatus fuerit, nec ſine ſucceſſu. Ego vero diſſimilitudinem aliquam agnoſco, ſed quæ tanta non ſit, ut iccirco ad alium auctorem ſit confugiendum. Nihil enim vetat, eumdem ſcriptorem pro argumenti varietate ſtilum quoque & numeros aliquantum variare poſſe. Id quod & in Demoſthene, aliiſque Oratoribus animadvertit Photius in Bibliotheca Codice 265.

VERSU I. *tibi culta*] Capillum ornavit, & reliquum corpus lavit & comſit, ut comta & ornata Martias Kalendas tibi ſacras celebraret. Par Terentii locutio Heautont. a. 3. 47.
Sine auro, tum ornatam ita uti quæ ornantur ſibi.

ibid. *tuis Kalendis*] Quo die matronis ac virginibus domi ſedentibus & exſpectantibus, cultores & amatores munera certatim mittebant. De hac conſuetudine diximus ad Elegiam 1. lib. 3.

v. 2. *Spectatum veni*] Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 99.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.

ibid. *ſi ſapis*] Fatuus enim eſſet qui hoc ſpectaculum oculis deorum plane dignum contemneret.

v. 3. *Hoc Venus ignoſcet*] Adeo Veneri cara eſt Sulpicia, ut eam rivalem æquo animo paſſura eſſe videatur.

ibid. *violente*] Epitheton bellatori conveniens. Briſeis Ovidiana ſic ad Achillem v. 61.
Ibis: & (ô miſeram) cui me, violente, relinques?

v. 4. *Ne tibi miranti turpiter arma cadant*] Nimium verecundis & conſternatis amatoribus ad amicæ vel amici conſpectum accidere ſolet, ut quidquid manu vel ſinu tenent, effluat, & decidat. Propertius l. 4. Eleg. 4. de Tarpeja Tatii amore capta:
Obſtupuit regis facie, & regalibus armis,
Interque oblitas excidit urna manus.
Ovidius Epiſt. Paridis, v. 251.
Dum ſtupeo viſis (nam pocula forte tenebam)
Tortilis e digitis excidit anſa meis.
Idem Epiſt. Acontii, v. 207.
Ut, te dum nimium miror, (nota certa furoris)
Deciderint humero pallia lapſa meo.
Idem lib. 3. Amor. Eleg. 2.
Si mihi currenti fueris conſpecta, morabor;
Deque meis manibus lora remiſſa fluent.
Et l. 14. Metam. v. 349. in fabula Pici:
Quæ ſimul ac juvenem virgultis abdita vidit;
Obſtupuit. cecidere ſinu, quas legerat, herbæ:
Flammaque per totas viſa eſt errare medullas.
Quod etiam timore, aut reverentia perculſis evenire conſuevit. Cicero Philippica 12. *Ipſa illa Martia, cæleſtis & divina legio, hoc nuncio langueſcet & mollietur, atque illud pulcherrimum nomen Martium amittet: excident gladii: fluent arma de manibus.* Claudianus de Nuptiis Palladii & Celerinæ, v. 39.
Reſtitit, (Hymenæus) ut vidit Venerem, digitiſque remiſſis,
Ad terram tacito defluxit fiſtula lapſu.
Præivit omnibus Homerus Iliad. 8. v. 136.
Τὼ δ' ἵππω δείσαντε καταπτήτην ὑπ' ὄχεσφι,

Νεςο-

Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam quidquid agit, quoquo veſtigia movit,
Componit furtim, ſubſequiturque Decor.
Seu ſolvit crines, fuſis decet eſſe capillis:
Seu comſit, comtis eſt veneranda comis.

Urit,

Νέστορα δ' ἐκ χειρῶν φύγεν ἡνία σιγαλόεντα.
Et equi territi corruerunt præ metu ſub curribus;
Neſtoriſque e manibus fugerunt habenæ miro artificio factæ.
Quod repetit Iliad. 11. v. 128. Vide eumdem Odyſſeæ lib. 16. v. 12. & lib. 24. v. 533.

ibid. *miranti*] Nam quæ cupimus, miramur etiam, & magno æſtimamus. Valerius Flaccus lib. 5. Argonaut. v. 374.
Regina, attonito quamquam pavor ore ſilentem
Exanimet, mirata tamen, paullumque reductis
Paſſibus inſolito ſtupuit duce.
Horatius Epodo 3.
Ut, Argonautas præter omnes, candidum
Medea mirata eſt ducem.
Idem Ode 4. l. 1.
Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis.
Et Epiſt. 6. v. 9. ut philoſophanti conveniebat,
Qui timet his adverſa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto.

ibid. *turpiter arma cadant*] Dedecet enim virum bellatorem, ſi haſtam vel gladium e manu ſibi effluere ſinat. Propterea M. Craſſus apud Appianum Alexandrinum libro de Bellis Parthicis, excuſans ſe, quod exta a vate ſibi tradita paſſus fuiſſet manibus excidere: ἀλλ' ἅ, inquit, ἧμιν γε ὅπλων οὐδὲν ἂν ἐκφύγοι τὰς χεῖρας. *Sed arma numquam manibus excident.*

v. 5. *Illius ex oculis* &c.] Hanc jucundiſſimam ſententiam & ingenioſam pluribus exemplis veterum & recentiorum illuſtravit Broukhuſius. Eſt aliquid non diſſimile apud Theocritum Idyllio 14. v. 23. ſed longe infra hujus loci venuſtatem:
Κῆφθα. ῥηϊδίως κεν ἀπ' αὐτᾶς καὶ λύχνον ἅψαις.
Et incenſa eſt: facile ab ea lucernam incendere potuiſſes.

v. 7. *veſtigia movit*] Pedes videlicet, quibus veſtigia imprimuntur. Propertius Eleg. 3. lib. 1.
Ebria quum multo traherem veſtigia Baccho.
Dixit autem *ebria veſtigia*, quia, ut eleganter ait Plautus Pſeudolo 5. 1. 5.
magnum hoc vitium vino eſt,
Pedes captat primum. luctator doloſu' ſt.

v. 8. *Componit furtim, ſubſequiturque Decor*] Theognis pariter ἐν γνώμαις, v. 635.
Ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς ἕπεται γνώμη τε καὶ αἰδώς.
Viros bonos ſequitur mens, & verecundia.
Fortaſſe parva Sulpicia fuit, ſed concinna tamen & elegans. Græcorum enim proverbium erat: Χάρις σμικροῖσιν ὀπηδεῖ. *Gratia parvos ſubſequitur.* *Furtim*, λεληθότως: ut loquitur Cicero Epiſt. 2. lib. 9. ad famil. *Et tamen* λεληθότως *conſuetudo diuturna callum jam obduxit ſtomacho meo.* Horatius Epiſt. 1. lib. 1. v. 18.
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor.
Et Epiſt. 10. v. 24.
Naturam expellas furca licet; uſque recurret,
Et mala perrumpet furtim faſtidia victrix.
Itali dicimus, *di ſoppiatto*, *di naſcoſto*, *ſenza che altri ſe n' accorga*. Joannes Caſa, ſcriptor accuratus, & proprietatis verborum retinentiſſimus, prope finem Galatei: *Perciocchè eſſi* (i piccioli errori) *non ſi ſcorgono agevolmente, ma ſottentrano nell' uſanza, che altri non ſe n' avvede.* Et inferius: *Queſti leggieri peccati di naſcoſto guaſtano col numero, e colla moltitudine loro la bella e buona creanza.*

v. 9. *Seu ſolvit crines, ſ. decet eſſe capillis*]

Urit, ſeu Tyria voluit procedere palla:
Urit, ſeu nivea candida veſte venit.

Talis

lis] Plautus Moſtell. 1. 3. 17

Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quidquid habeas.

v. 10. *Seu compſit, comtis eſt veneranda comis*] Ait Broukhuſius, paratum Elegiæ Ovidianæ hie agnoſci; negatque, hoc repetitionis & converſionis artificium poetis Naſone prioribus tactum vel notum fuiſſe. Præluſerat nihilominus Propertius Elegia 1. lib. 2.

Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos,
Gaudet laudatis ire ſuperba comis.
Sive lyræ carmen digitis percuſſit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus.

Lege reliqua, ſi vacat.

ibid *veneranda*] *πότνια*. Quum enim forma ſit Dei munus, formoſi nobis auguſti ſunt & venerabiles. Virgilius 9. Æneid. v. 275.

Te vero, mea quem ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio.

Hoc refert Ludovicus de Lacerda, vir doctiſſimus, ad Euryali pulchritudinem, quicum Aſcanius loquebatur. Propterea venuſtas, & formæ nitor, honor interdum appellatur. Locus inſignis eſt ejuſdem Maronis lib. 1. Æneid. v. 588.

Reſtitit Æneas, claraque in luce refulſit,
Os humeroſque deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genetrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.

v. 11. *Urit, ſeu: urit, ſeu*] Illa quoque repetitio venuſta eſt qua utitur Noſter Eleg. 4. lib. 2.

Et, ſeu quid merui, ſeu quid peccavimus, urit.
Uror. io remove, ſæva puella, faces.

Cyllenius, Aldinæ, Gryphianæ, & Plantinianæ editiones habent *uror* etiam in hexametro.

ibid. *Tyria procedere palla*] In publicum prodire matronali veſte induta purpurei coloris, & pretioſiſſimi quidem, cujuſmodi fuit Tyrius. Palla exterius indumentum fuit matronarum, ſatis amplum, quo ſtolam & interiora omnia tegebant. Locus eſt inſignis Horatii Sat. 2. lib. 1. v. 94.

Matronæ, præter faciem, nil cernere poſſis;
Cetera, ni Catia eſt, demiſſa veſte tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
Hoc facit inſanum) multæ tum officient res;
Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitæ;
Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla
Plurima, quæ invideant pure adparere tibi rem.

Ceterum quum de gerendis veſtibus ſermo eſt, poetæ Latini particulam *in* vel *cum* adhibere ſolent, ſexto caſui adjunctam. Catullus Carm. 67. v. 133.

Quam circum curſans hinc illinc ſæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.

Ovidius lib. 2. Artis Amat. v. 297.

Sive erit in Tyriis; Tyrios laudabis amictus:
Sive erit in Cois; Coa decere puta.

Juvenalis Sat. 6. v. 259.

Hæ ſunt quæ tenui ſudant in cyclade, quarum
Delicias vel panniculus bombycinus urit.

Idem Sat. 10 v. 36.

Quid ſi vidiſſet prætorem curribus altis
Exſtantem, & medio ſublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis?

Tibullus vero noſter Eleg. 1. lib. 2.

Caſta placent Superis. pura cum veſte venite.

v. 12. *niveâ candida veſte*] Mulieres tamen cute candida, ſed quæ minus formæ ſuæ crederent, alba veſtimenta ſtudioſe vitabant, & fuſca ſumebant potius. Audi nugarum magiſtrum lib. 3. Artis Amat. v. 189.

Pulla decent niveas: Briſeida pulla decebant.
Quum rapta eſt, pullâ tum quoque veſte fuit.
Alba decent fuſcas: albis, Cephei, placebas,
Sic tibi veſtitæ preſſa Seriphos erat.

Magnum igitur formæ argumentum, Sulpiciæ nullum veſtium colorem offeciſſe, quominus

Digitized by Google

Talis in æterno felix Vortumnus Olympo,
    Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna eſt, cui mollia caris
    Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros;
Poſſideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
    Cultor odoratæ dives Arabs ſegetis;

Et

minus placeret atque ureret. Poteſt etiam *τὸ candida* non colorem, ſed pulchritudinem ſignificare. Virgilius Ecloga 5. v. 56.

Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes & ſidera Daphnis.

nempe formoſus.

ibid. *venit*] Vel, ſimpliciter, aliquo pervenit: vel, ad amatorem venit, factura illi copiam ſui. Nam & *venire*, inter *ἀφροδίσια*. Propertius lib. 2. Eleg. 18.

De me, mi certe poteris formoſa videri,
Mi formoſa ſat es, ſi modo ſæpe venis.

v. 13. *in æterno Olympo*] Aliqui codices *æthereo*; quod non diſplicet. Virgilius 6. Æneid. v. 577.

tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum, tenditque ſub umbras:
Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus Olympum.

ibid. *felix*] Cui omnia quæ agenda ſuſcipit ex ſententia ſuccedunt, ille felix appellatur. Talis erat Vertumnus, qui omnes ſe ſe in facies belle & commode vertere poterat. Horatius Ode 13. lib. 4.

Felix poſt Cinaram, notaque & artium
Gratarum facies.

Idem contra Epiſt. ad Piſones v. 34. de fabro minus perito: *Infelix operis*. Quinctilianus vero de Horatio ipſo, lib. 10. I. O. cap. 1. *Variis figuris & verbis feliciſſime audax*.

ibid. *Vortumnus*] Hic deus verſipellem ſe faciebat, quando ipſi libuiſſet. Vide Propertium l. 4. Eleg. 2.

v. 14. *ornatus*] Cultus, & paratus varios, qui varias ejus figuras deceant.

v. 15. *Sola puellarum*] Ita Catullus Carm. 1. *unus Italorum*.

ibid. *caris ſuccis*] Pretioſis, & nonniſi magno parabilibus. *fucis* mavult Broukhuſius: at perperam, ſi quid video. Succus tribuitur conchyliis, & ceteris piſcibus, præſertim teſtâ munitis. Horatius Sat. 8. lib. 2. v. 27.

Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, piſces
Longe diſſimilem noto celantia ſuccum.

Idem Sat. 4. lib. 2. v. 100. *Hic nigræ ſuccus loliginis*. Et rurſus Sat. 8. lib. 2. v. 45.

His mixtum jus eſt; oleo, quod prima Venafri
Preſſit cella; garo de ſuccis piſcis Hiberi.

Ut propterea ſuſpicer, etiam apud Catullum Carm. 63. v. 49. legendum,

Tincta tegit roſeo conchyli purpura ſucco,

pro *fuco*, quæ lectio eſt vulgata.

v. 16. *Vellera bis madefacta*] Oſtro bis imbuta, & penitus ſaturata. *δίβαφα* Græci vocant. Horatius Ode 16. l. 2.

te bis Afro Murice tinctæ Veſtiunt lanæ.

Sed ibi de puniceo colore mentio fit, quem mittebat Africa: non de purpureo, quem Tyros. Noſter ſuperius Eleg. 3. lib. 2.

Illi ſelectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

v. 17. *bene olentibus arvis*] Ob aromata ſcilicet large illic provenientia.

v. 18. *Cultor odoratæ ſegetis*] Noſter Eleg. 2. lib. 2.

Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

Propertius pariter Eleg. 11. lib. 3.

Et Tyros oſtrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi paſtor odoris Arabs.

ibid. *dives Arabs*] Ob auri fodinas, quarum & divinæ litteræ non ſemel meminerunt. Horatius Ode 24. l. 3.

Intactis opulentior
Theſauris Arabum, & divitis Indiæ.

Et quaſcumque niger rubro de litore conchas
  Proximus Eois colligit Indus equis.
Hanc vos, Pierides, feſtis cantate Kalendis,
  Et teſtudinea Phœbe ſuperbe lyra.
Hoc ſolenne ſacrum multos celebretur in annos.
  Dignior eſt veſtro nulla puella choro.

v. 19. *Et q. niger rubro de litore conchas &c*] Tibullus ipſe Eleg. 4. lib. 2. *a Rubro lucida concha mari*. Florus lib. 4. Hiſt. Rom. cap. ult. *Seres etiam, habitanteſque ſub ipſo Sole Indi, cum gemmis & margaritis, elephantes quoque inter munera trahentes, nihil magis quam longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleverant: & tamen ipſe hominum color ab alio venire cælo fatebatur*. De Indis, & eorum divitiis plura Dionyſius περιηγήσει, prope finem poëmatis: & ad illum Scholiaſtes Vetus, & ex eo Priſcianus.

v. 20. *Proximus Eois c. Indus equis*] Noſter ſuperius Eleg. 3. l. 2.

Illi ſint comites fuſci, quos India torret,
  Solis & admotis inficit ignis equis.

Horatius Ode 12. lib. 1.

Sive ſubjectos Orientis oris
  Seras & Indos.

v. 21. *H. v. Pierides, feſtis cantate Kalendis*] Ita lib. 3. Eleg. 1. conſulit Pieridas, quibus potiſſimum donis muneretur Neæram Kalendis Martiis, eaſque ad puellam mittit cum libello. Horatius pariter Ode 26. lib. 1.

Neſte meo Lamiæ coronam
Pimplea dulcis. nil ſine te mei
Proſunt honores: hunc fidibus novis,
  Hunc Leſbio ſacrare plectro
  Teque tuaſque decet ſorores.

v. 22. *teſtudinea lyra*] Supra lib. 3. Eleg. 4. ubi narrat, ſibi Apollinem apparuiſſe:

Artis opus raræ fulgens teſtudine & auro
  Pendebat lævâ garrula parte lyra.

ibid. *Phœbe ſuperbe*] Infra Carm. 4.

Huc ades intonſa Phœbe ſuperbe coma.

Tibullus a ſe ipſo abire non ſolet.

v. 24. *Dignior eſt veſtro nulla puella choro*] In Sulpicia laudanda optime operam veſtram collocabitis, o Muſæ. Qui Sulpiciam poëtriam volunt hæc carmina compoſuiſſe, ita hunc verſum explicare poſſent: omnium puellarum digniſſima eſt Sulpicia quæ Muſis annumeretur; quemadmodum Sappho a Græcis vocata fuit *Ἀοιδῶν δεκάτη*.

CAR-

CARMEN III.

PARCE meo juveni, ſeu quis bona paſcua campi,
Seu colis umbroſi devia montis, aper.
Nec tibi ſit duros acuiſſe in prœlia dentes.
Incolumem cuſtos hunc mihi ſervet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura.
O pereant ſilvæ, deficiantque canes.

Quis

Argumentum Carminis III. Libri IV.

Sulpicia queritur, Cerinthum ſuum, ſtudio venationis, longe abeſſe.

Versu I. *bona paſcua campi*] Unde & apri boni: frugum enim, & præcipue farris eſu pingueſcunt. Ovidius lib. 3. Amor. Eleg 10.

Ipſe locus nemorum canebat frugibus Ide,
Et ferus in ſilva farra metebat aper.

Iligna etiam glande paſtos apros laudabant; ulvis & arundine pingues rejiciebant. Horatius Sat. 4. lib. 2. v. 40.

Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus eſt, ulvis & arundine pinguis.

v. 2. *umbroſi devia montis*] Montes & valles nemoribus & fruticibus impeditas incolunt apri. Horatius Ode 12. l. 3. de quodam Hebro venatore:

Catus idem per apertum fugientes agitato
Grege cervos jaculari, & celer arto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

Ovidius l. 1. Artis Amat. v. 45.

Scit bene venator, cervis ubi retia tendat:
Scit bene, qua frendens valle moretur aper.

v. 3. *Nec tibi ſit duros acuiſſe in prœlia dentes*] Subaudi *poteſtas*, *facultas*, *copia*. Horatius Sat. 5. l. 1. v. 87.

Manſuri oppidulo quod verſu dicere non eſt.

Propertius lib. 2. Eleg. 10.

Ut, caput in magnis ubi non eſt tangere ſignis,
Ponitur hic imos ante corona pedes.

Ubique ἐλλειπτικῶς.

v. 4. *Delia*] Diana venationis dea; quod olim monuit Bernardinus Cylleoius. Virgilius Ecloga 7. v. 29.

Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi.

Gratius Faliſcus initio Cynegetici:

Dona cano divûm, lætas venantibus artes,
Auſpicio, Diana, tuo.

Quæ ſumta videntur e Xenophontis libro de Venatione: τὸ μὲν εὕρημα θεῶν ἢ Ἀπόλλωνος ϗ Ἀρτέμιδος, ἄγραι ϗ κύνες. ἔδοσαν δὲ ϗ ἐτίμησαν τούτῳ Χείρωνα διὰ δικαιότητα. ὁ δὲ λαβὼν ἐχάρη τῷ δώρῳ, ϗ ἐχρῆτο. h. e. *Deorum inventio Apollinis & Dianæ venatio & canes fuerunt. Hæc vero propter juſtitiam donarunt, ornaruntque Chironem: quæ ille accepto dono lætus utebatur.*

ibid. *venandi cura*] Male Broukhuſius; ab Heinſio:

Sed procul abducit venanti Delia curas.

Procul abducere curas alicui, dubito an ſatis Latinum ſit: coactum certe eſt, & parum venuſtum. Deinde *cura venandi* idem eſt quod *ſtudium venandi*. Porro inferius:

At tu venandi ſtudium concede parenti.

Ab hujuſmodi cura nomen traxit Meleager, venator ille celeberrimus. μελέαγρος enim dicitur, ὅτι αὐτῷ μέλει τῆς ἄγρας, quoniam ipſi cura eſt venationis; ſicuti μελίβοιος, ὅτι αὐτῷ μέλει τῶν βοῶν, quoniam ipſi cura eſt boum.

v. 7.

Quis furor eſt, quæ mens, denſos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus?
Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipſa ego per montes retia torta feram.
Ipſa ego velocis quæram veſtigia cervæ,
Et demam celeri ferrea vincla cani.

Tunc

v. 7. *Quis furor eſt*] Ita Eleg. 10. l. 1.
Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
ibid. *quæ meas*] Douza filius, & Broukhuſius verſum corrumpunt legentes, *demens*. Tollunt ſiquidem venuſtam & efficacem ἀναφορὰν, & inducunt odioſam κακοφωνίαν, *demens*, *denſos*. Catullus Carm. 40.
Quænam te mala mens, miſelle Ravide,
Agit præcipitem in meos iambos?
ibid. *denſos indagine colles Claudentem, teneras lædere v. manus*] Duris retibus tractandis, & ſilvæ circumponendis manuum teneritudinem lædere. Virgilius 4. Æneid. v. 121.
Dum trepidant alæ, ſaltuſque indagine cingunt.
Indago apud poetas eſt retium caſſiumque ſeries, qua toti ſaltus circumdantur. Nonnumquam etiam *formidine* conſtabat, ſeu plumis avium verſicoloribus, quæ, quo apertior ſilva erat, totam ambiebat, & indaginem claudebat. Auſonius Epiſt. 4. v. 24.
An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, & multa indagine pinnæ?
Sed audiendus de hac re Nemeſianus in Cynegetico v. 299.
Nec non & caſſes iidem venatibus aptos,
Atque plagas, longoque meantia retia tractu
Addiſcant raris ſemper contexere nodis,
Et ſervare modum maculis, linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare ſaltus
Quæ poſſit, volucreſque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.
Namque urſos, magnoſque ſues, cervoſque fugaces,
Et vulpes, acreſque lupos, ceu fulgura cœli
Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.
Seneca etiam l. 1. de Clementia: *Sic feras linea & pinna clauſas contineas: easdem a tergo eques telis inceſſas, tentabunt fugam per ipſa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem.* Attulit Janus Ulitius in Commentario ad Nemeſianum; quem vide.
ibid. *teneras lædere v. manus*] Elegia 3. lib. 2.
Nec quererer, quod Sol graciles exureret artus,
Læderet aut teneras puſtula rupta manus.
v. 10. *Candidaque hamatis crura notare rubis*] *Hamati rubi*, ſunt aduncæ ſpinæ, quaſi hamis inſtructæ: ut *hamatæ ſagittæ* Propertio lib. 2. Idem poeta Umber lib. 4. Eleg. 4. de Tarpeja:
Dumque ſubis primo Capitolia nubila fumo,
Retulit hirſutis brachia ſecta rubis.
ibid. *notare*] Cruentare. Propertius Eleg. 8. lib. 4.
Imponitque notam collo, morſuque cruentat.
v. 12. *Ipſa ego per montes retia torta feram*] Servile officium. Noſter lib. 1. Eleg. 4.
Nec, velis inſidiis altas ſi claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.
ibid. *retia torta*] Quæ ſcilicet fiunt ex lino torto, ſeu cannabe. Perſius Sat. 5. v. 146. *tibi torta cannabe fulto Cœna ſit in tranſtro?*
v. 14. *Et demam c. ferrea vincla cani*] Copulam, qua canes venatici jungi ac retineri ſolent. Ovidius 8. Metamorph. v. 331.

Pars

Tunc mihi tunc placeant ſilvæ; ſic, lux mea, tecum
  Arguar ante ipſas concubuiſſe plagas.
Tunc veniat licet ad caſſes, illæſus abibit,
  Ne Veneris cupidæ gaudia turbet, aper.
Nunc ſine me ſit nulla Venus. ſed lege Dianæ,
  Caſte puer, caſta retia tende manu.
Et quæcumque meo furtim ſubrepet amori,
  Incidat in ſævas diripienda feras.
At tu venandi ſtudium concede parenti,
  Et celer in noſtros ipſe recurre ſinus.

Pars retia tendunt, Vincula pars adimunt canibus.

v. 15. *lux mea*] Græci dicunt, γλυκερὸς φάος. Vide Homerum lib. 16. Odyſſeæ, v. 23.

v. 16. *Arguar ante ipſas concubuiſſe plagas*] Argumentum concubitus herbæ & cæſpites preſſi. Ovidius Epiſt. Sapphûs, v. 143.

Invenio ſilvam quæ ſæpe cubilia nobis
Præbuit, & multâ texit opaca comâ:
At non invenio dominum ſilvæque meumque.
Vile ſolum locus eſt: dos erat ille loci.
Agnovi preſſas noti mihi cæſpitis herbas:
De noſtro curvum pondere gramen erat.

Vide etiam Epiſt. Œnones, a v. 13.

v. 19. *Nunc ſine me ſit nulla Venus*] Quandoquidem ipſa tecum eſſe non poſſum; nulla ſaltem alia hoc tempore tecum ſit.

v. 21. *meo furtim ſubrepet amori*] Verbum inſidiarum, *ſubrepere*. Catullus Carm. 76.

Siccine ſubrepſti mi, atque inteſtina perurens
Mi miſero eripuiſti omnia noſtra bona!

Noſter Eleg. 1. lib. 1.

Jam ſubrepet iners ætas.

v. 22. *Incidat in feras*] Ita Cicero pro Cluentio: *M. Aurius captus in Q. Sergii manus incidit.*

ibid. *diripienda*] Dilaceranda, dentibus & unguibus comminuenda. Ovidius Epiſt. Canaces v. 118.

Diripiunt avidæ viſcera noſtra feræ.

Diripere, eſt ἀποσπᾶν: Italice, *ſquarciare, ſbranare, fare in brani.*

v. 23. *venandi ſtudium*] Livius lib. 25. Hiſtor. *Erat* (Philomenes) *venandi ſtudio inſignis, canesque & alios apparatus ſequebatur*. Juſtinus lib. 37. cap. 2. de Mithridate: *Venandi ſtudium finxit*. Spartianus in Hadriano: *Venandi, uſque ad reprehenſionem, ſtudioſus*. Eodem pacto *ſtudia belli* apud Maronem 1. Æneid. v. 14. & apud Juſtinum lib. 1. cap. 2. Sic *militiæ ſtudia* dixit idem Juſtinus lib. 30. cap. 1. & *linguæ ſtudium* Propertius l. 3. Eleg. 21.

ibid. *concede*] Concedimus ea quæ nobis non arrogamus, & in medio relinquimus, ut iis alii potiri queant. Plautus Prologo Amphitr. v. 11. Mercurium loquentem inducens:

Nam vos quidem id jam ſcitis conceſſum & datum
Mihi eſſe ab diis aliis, nuntiis præſim & lucro.

ibid. *parenti*] Hinc colligimus, venatoris cujuſdam filium fuiſſe Cerinthum; & fortaſſe hominem ſervilis, aut ſaltem libertinæ conditionis.

v. 24. *Et celer in noſtros ipſe recurre ſinus*] Naſo a Tibullo Epiſt. Sapphûs, v. 95.

Huc ades, inque ſinus, formoſe, relabere noſtros.

Non a Naſone Sulpicia, ut putat Broukhuſius. Immo *recurrere in ſinus*, candidius & ſimplicius mihi videtur, quam *relabi in ſinus*.

CAR-

CARMEN IV.

Huc ades, & teneræ morbos expelle puellæ:
  Huc ades intonſa Phœbe ſuperbe coma.
Crede mihi, propera, nec jam te, Phœbe, pigebit
  Formoſæ medicas adplicuiſſe manus.
Effice, ne macies tabentes occupet artus,
  Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcumque mali eſt, & quidquid triſte timemus,
  In pelagus rapidis devehat amnis aquis.
Sancte veni, tecumque feras quicumque ſopores,
  Quicumque & cantus corpora feſſa levant.

Neu

ARGUMENTUM CARMINIS IV. LIBRI IV.

Ad Phœbum ἀλεξίκακον, ut Sulpiciam ægrotantem ſaluti reſtituat.

VERSU I. *morbos expelle*] Sic *expellere morbum & bilem*, dixit Horatius Epiſt. 2. l. 2. v. 137. Expelluntur proprie, ſeu foras mittuntur febres, & morbi intimi qui occupant viſcera. Græcis Phœbus eſt θεὸς ἀλεξίκακος, Deus malorum depulſor, Latinis averruncus.

v. 2. *intonſa Phœbe ſuperbe coma*] Formoſi adoleſcentes nutriebant comam, quæ ſacra erat Apollini numquam ſeneſcenti, vel Æſculapio ejus filio; & ob id decus feroces erant, & magnos ſibi ſpiritus ſumebant. Ex ephebis porro excedentes tondebantur, & cum coma puerilem ſuperbiam deponebant. Horatius Ode 10. lib. 4. ad Ligurinum:

Inſperata tuæ quum veniet pluma ſuperbiæ,
Et quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ.

Vide Papinium Statium lib. 3. Silv. Carm. 4. de Coma Flavii Earini.

v. 3. *Crede mihi*] Hæc locutio frequens apud Ovidium. Sed & Propertius lib. 1. Eleg. 2.

Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ eſt.

v. 4. *F. medicas adplicuiſſe manus*] Hoc eſt proprie χειρουργεῖν.

v. 5. *macies*] μαρασμὸν, vel ἀτροφίαν vocant οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες.

v. 6. *notet*] Superius Carm. 3. hujus libri:

Candidaque hamatis crura notare rubis.

v. 8. *In pelagus rapidis devehat amnis aquis*] Expiationes & purgamenta omnia ad flumen, vel ad mare deferebant; ut optime animadvertit Broukhuſius.

v. 9. *ſopores*] ὑπνωτικὰ φάρμακα, quæ ſomnum concilient. Corn. Nepos Dione, cap. 2. *Ille commotus, ne agendi cum eo eſſet Dioni poteſtas, patri ſoporem medicos dare coegit.* Ovidius Epiſt. Hypermneſtræ, v. 42.

Quæque tibi dederant vina, ſoporis erant.

Idem 11. Metamorph. v. 606.

Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

Seneca Epiſt. 83. *Licet colligas, nec veneno poto moriturum, nec ſopore ſumto dormiturum.* Et lib. 5. de Beneficiis, cap. 13. *Ita & qui veri beneficii ſpecie fefellit, tam ingratus eſt quam veneficus, qui ſoporem quum venenum crederet, miſcuit.* Quinctilianus Declamat. 296. in ipſo argumento: *Qui fortiter fece-*

Neu juvenem torque, metuit qui fata puellæ,
  Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet: interdum, quod langueat illa,
  Dicit in æternos aſpera verba deos.
Pone metum, Cerinthe: deus non lædit amantes:
  Tu modo ſemper ama: ſalva puella tibi eſt.
Nil opus eſt fletu. lacrimis erit aptius uti,
  Si quando fuerit triſtior illa tibi.
At nunc tota tua eſt. te ſolum candida ſecum
  Cogitat, & fruſtra credula turba ſedet.
Phœbe fave. laus magna tibi tribuetur, in uno
  Corpore ſervato reſtituiſſe duos.

Jam

fecerat, bello imminente ſoporem ab noverca ſubjectum bibit. In divinis etiam litteris Iſaias cap. 51. v. 17. *Uſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti uſque ad fæces.* Hinc *ſoporatus*, illitus ſopore. Virgilius 6. Æneid. v. 419.

Cui vates horrere videns jam colla colubris,
Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit.

Elegantiſſime Sophocles Philoctete, v. 668.

Φύλλον τί μοι πάρεστι, ᾧ μάλιστ' ἀεὶ
Κοιμῶ τόδ' ἕλκος, ὥστε πραΰνειν πάνυ.
Folia quædam ſunt mihi,
Quibus ſopire ulcus & mitigare ſoleo.

Vulgati codices habent, *ſapores*, puta herbarum ſuccos. Non alio nomine muſtum appellavit Tibullus Eleg. 7. lib. 1.

Illi jucundos primum matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.

v. 10. *cantus*] Magici ſuſurri carmine compoſiti. Ad hos reſpexit Horatius Epiſt. 1. lib. 1. v. 33.

Fervet avaritia, miſeroque cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi deponere partem.

ibid. *corpora feſſa*] Morbo languentia, ſontica. Infra Carm. 11.

Dum mea nunc vexat corpora feſſa calor.

ibid. *levant*] Ita Eleg. 1. lib. 1. *ſolito membra levare toro.*

v. 14. *Dicit in æ. aſpera verba deos*] βλασφημεῖ. Noſter Eleg. 3. l. 1.

Parce pater. timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in ſanctos impia verba deos.

v. 15. *Pone metum*] Ovidius initio Epiſtolæ Acontii:

Pone metum; nihil hic iterum jurabis amanti.

ibid. *deus non lædit amantes*] Propertius l. 3. Eleg. 14.

Nec tamen eſt quiſquam ſacros qui lædat amantes.

Lege quæ ibidem ſequuntur.

v. 18. *Si quando fuerit triſtior illa tibi*] Quum tibi erit ſubirata. Plautus Menæchmis 4. 2. 43. *Quid tu mihi triſtis es?*

v. 19. *candida*] Broukhuſius interpretatur *formoſa*. Sed hoc loco *candida*, eſt ſimplex, aperta, ſine dolo & fallaciis, ex animo redamans amatorem. Horatius Epiſt. 4.

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex.

v. 20. *fruſtra credula turba ſedet*] Nimirum in ædibus deorum preces pro domina fundens, ut ſic ab illa gratiam ineat; ſed fruſtra: nam tibi, o Cerinthe, totum animum addixit. Noſter Eleg. 3. l. 1.

Ut mea votivas perſolvens Delia noctes,
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.

v. 21. *in uno Corpore ſervato reſtituiſſe duos*] Ita Seneca lib. 5. de Beneficiis, cap. 19. *Etiamnum quum filium ſuum ſervavi, ad genua procumbis, diis vota ſolvis, tanquam ipſe ſer-*

Jam celeber, jam lætus eris, quum debita reddet
Certatim ſanctis lotus uterque focis.
Tunc te felicem dicent pia turba deorum,
Optabunt artes & ſibi quiſque tuas.

ſervatus. illæ voces exeunt tibi: Nihil intereſt, mea an me ſervaverit: duos ſervaſti, immo me magis.

v. 22. *reſtituiſſe*] *Reſtituere*, eſt iterum ſtatuere, jacentem erigere. atque excitare. Convenit iccirco ex morbo convaleſcentibus: tunc enim deſinunt in lecto cubare.

v. 23. *celeber*] Frequentes enim tua templa celebrabunt.

ibid. *debita reddet*] Perſolvet vota.

v. 24. *Certatim*] Certabunt enim inter ſe, uter ipſorum religione antecellat.

ibid. *lotus*] Sacra enim facturi, prius pure lavabant.

v. 25. *pia turba deorum*] Benigna, & miſericors. Terentius Hecyra, 1. 2. 72.

Pium, ac pudicum ingenium narras Pamphili.

C A R M E N V.

QUI mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi ſanctus,
Atque inter feſtos ſemper habendus erit.
Te naſcente novum Parcæ cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna ſuperba tibi.

Uror

ARGUMENTUM CARMINIS V. LIBRI IV.

Sulpicia Cerinthi natalem celebrat.

VERSU I. *hic mihi ſanctus*] Hoc quoque a germana Tibulli officioa. Sic enim Eleg. 6. l. 2.

Illa mihi ſancta eſt; illius dona ſepulcro,
Et madefacta meis ſerta feram lacrimis.

Et Eleg. 5. ejuſdem libri:

Illic ſanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda deum cælo miſeris Indigetem.

Sic locutus & Cicero Philip. 2. *Tanta eſt enim*, inquit, *caritas patriæ, ut veſtris etiam legionibus ſanctus eſſem.*

v. 2. *A. inter feſtos ſemper habendus erit*] Virgilius pariter, non de die natali, verum de die funeris, 5. Æneid. v. 49.

Jamque dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum (ſic dii voluiſtis) habebo.

v. 3. *Te naſcente novum Parcæ cecinere puellis Servitium*] Tibi enim formoſiſſimo adoleſcentium ſervituræ erant puellæ voluntariam ſervitutem. Sententiæ hujus inventionem Broukhuſius merito laudat, & Naſonianis proximam eſſe dicit; quaſi Tibullus paria invenire non potuerit: ex cujus tamen ingenio tot ſuaviſſima prodierunt, & plane ſingularia. *Canere ſervitium:* ſicuti *diras canere*, apud Propertium in calce l. 3.

Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.

v. 4. *dederunt*] Anapæſtus eſt, altera ſyllaba correpta, κατὰ συστολήν.

ibid. *regna ſuperba*] Græci priores ita locuti. Anacreon Ode 9.

Ἀνακρέων μ' ἔπεμψε
Πρὸς παῖδα, πρὸς Βάθυλλον
Τὸν ἄρτι τῶν ἁπάντων
Κρατοῦντα καὶ τύραννον.

Anacreon me miſit Ad puerum, ad Bathyllum, Qui dudum evaſit omnium omnino Dominus atque Imperator. Coluthus Thebanus libro de Raptu Helenæ, v. 258.

Παπταίνειν ἐδόκει τῶν ἱμερτῶν βασιλῆα.
Spectare putabat deſideriorum regem.

Pia

Uror ego ante alias: juvat hoc, Cerinthe, quod uror,
  Si tibi de nobis mutuus ignis adeſt.
Mutuus adſit amor. per te dulciſſima furta,
  Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape tura libens, votiſque faveto:
  Si modo quum de me cogitat ille, calet.
Quod ſi forte alios jam nunc ſuſpirat amores;
  Tu, precor, infidos, ſancte, relinque focos.
Nec tu ſis injuſta, Venus. vel ſerviat æque
  Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena,
  Nulla queat poſthac nos ſoluiſſe dies.

Optat

Plato in Menone: Ὅπερ ποιοῦσιν οἱ τρυφῶντες, ἅτε τυραννεύοντες, ἕως ἂν ἐν ὥρᾳ ὦσι. *Quemadmodum faciunt quæ ſuæ formæ fiducia delicias agunt, tyrannidemque exercent donec ætatis vigor conſtiterit.* Græcos imitati Latini. Tibullus noſter Eleg. 9. l. 1.

Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna ſuperba tuo.

Horatius Ode 1. l 4.

Non ſum qualis eram bonæ
Sub regno Cinaræ.

Propertius l. 2. Eleg. 34.

Ut regnem mixtas inter conviva puellas.

Sed ibi fortaſſe *regna vini* ſignificantur; quod ait Horatius Ode 4. l. 1.

v. 5. *ante alias*] Præ aliis omnibus, pluſquam omnes aliæ.

v. 7. *per te dulciſſima furta*] Hanc μειώσιν adhibuerunt Terentius, Virgilius, Seneca in Tragœdiis, Appulejus; quorum teſtimonia protulit Broukhuſius.

v. 9. *Magne Geni*] *Deus magnus* appellatur *Genius* in veteri Inſcriptione apud Gruterum, p. cx. 7.

ibid. *libens*] Volens, propitius.

v. 10. *calet*] Pro *amat*.

v. 11. *jam nunc ſuſpirat a.*] Horatius Ode 6. lib. 3.

Jam nunc & inceſtos amores
De tenero meditatur ungui.

v. 12. *infidos focos*] Domum ſcilicet infidelis, qui te, o Geni, o Natalis Deus, colit in foco, inter ceteros Lares.

v. 13. *vel ſerviat æque* &c.] Simile deſiderium Phædriæ apud Terentium Eunucho, 1. 2. 11.

O Thais, Thais, utinam eſſes mihi
Pars æqua amoris tecum, ac pariter fieres
Ut aut hoc tibi doleret itidem ac mihi dolet;
Aut ego iſtuc abs te factum nihili penderem.

Qui enim contemnere incipit, amoris vinculo ſolutus videtur. Neque abit Ovidius 14. Metam. v. 23.

Nec medeare mihi, ſaneſque hæc vulnera mando:
Fineque nil opus eſt; partem ferat illa caloris.

Et Franciſcus Petrarcha (*nel Sonetto* 50.)

Non prego io già, nè puote aver più loco,
Che miſuratamente il mio cor arda:
Ma che ſua parte abbia coſtei del foco.

Ceterum, *Vaeneri ſervire*, pura puta locutio Tibulliana. Eleg. 2. lib. 1.

At mihi parce, Venus: ſemper tibi dedita ſervuit
Mens mea.

Et Eleg. 3. lib. 2.

Felices olim, Veneri quum fertur aperte
Servire æternos non puduiſſe deos.

v. 16. *Nulla dies*] Nulla diuturnitas temporis.

Optat idem juvenis quod nos: ſed tectius optat.
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia ſentis,
Adnue. quid refert clamne, palamne roget?

v. 17. *tectius optat*] Scilicet ad vitandam invidiam, cui profecto Cerinthus, adoleſcens obſcuro genere ac peregrino, fieret obnoxius, ſi vulgo innoteſceret eum amoribus patriciæ mulieris indulgere. Ovidius lib. 1. Artis Amat. v. 276.

Vir male diſſimulat: tectius illa cupit.

v. 19. *quoniam deus omnia ſentis*] Quum ſis deus, tacitas etiam cogitationes animorum cognoſcis.

CARMEN VI.

NATALIS Juno, ſanctos cape turis honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi eſt hodie; tibi ſe lætiſſima comſit,
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.

Illa

ARGUMENTUM CARMINIS VI. LIBRI IV.

Ad Junonem, die natali Sulpiciæ, pro mutuis ejus & Cerinthi amoribus.

VERSU I. *Natalis Juno*] Ut maribus naſcentibus Genium, ſic mulieribus Junonem ſuam adeſſe, vana ſibi perſuaſit antiquitas. Vide interpretes ad illud Maronis Ecloga 4. verſu ultimo, *Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt*. Plinius l. 2. N. H. cap. 7. *Quamobrem major cælitum populus etiam quam hominum intelligi poteſt, quum ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem deos faciant, Junones, Genioſque adoptando ſibi*. Seneca item Epiſt. 110. *Sepone in præſentia, quæ quibuſdam placent: Unicuique noſtrum pædagogum dari deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero quos Ovidius ait, de plebe deos. Ita tamen hoc ſeponas volo, ut memineris, majores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe: ſingulis enim & Genium & Junonem dederunt*. Porto jurabant veteres per Genios & Junones ſuas, vel alienas: nam & juramentum pertinet ad deorum religionem. Noſter Eleg. 6. l. 3.

Et ſi perque ſuos fallax juravit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem,
Nulla fides inerit.

Quartilla pariter apud Petronium Satyrico: *Junonem meam iratam habeam, ſi unquam me meminerim virginem fuiſſe*. Juvenalis denique Sat. 2. v. 98.

Et per Junonem domini, jurante miniſtro.

Loquitur ibi poeta de cinædo, qui (honos ſit auribus) nubebat viro: propterea tribuit illi Junonem, perinde ac feminæ, non Genium.

ibid. *turis honores*] *Honor* antiquis ea omnia ſignificabat quæ ad religionem deorum pertinerent. Noſter lib. 1. Eleg. 7.

Sic venias hodierne. tibi dem turis honores,
Libaque Mopſopio dulcia melle feram.

v. 2. *docta puella*] Novum argumentum, quo hanc Sulpiciam contendunt poetriam fuiſſe. Verum Auguſti ſæculo puellæ Romanæ litteris operam dabant. Præterea *docti* vocabantur etiam periti nequitiarum. Τὸ *docta* hoc loco referri commode poteſt ad ſacrorum diſciplinam, qua Sulpicia, ut videtur, imbuta erat.

v. 3. *Tota tibi eſt hodie*] Thomas Dempſterus Paralipom. ad cap. 6. lib. 2. Antiquit. Roman. J. Roſini legit *Lota*, ex Mss.;

quod

Digitized by Google

Illa quidem ornandi cauſſas tibi, diva, relegat:
  Eſt tamen, occulte cui placuiſſe velit.
At tu, ſancta, fave, ne nox divellat amantes:
  Sed juveni, quæſo, mutua vincla para.
Sic bene compones. ulli non ille puellæ
  Servire, aut cuiquam dignior illa viro.
Nec poſſit cupidos vigilax deprendere cuſtos,
  Fallendique vias mille miniſtret Amor.
Adnue, purpureaque veni pellucida palla.
  Ter tibi fit libo, ter, dea caſta, mero.
Præcipit en natæ mater ſtudioſa, quid optet:
  Illa aliud tacita clam ſibi mente rogat.

Uti-

quod tamen participium & languidum & humile eſt. Contra, *Tota tibi eſt*, maxime efficax.

v. 4. *Staret conſpicienda*] Non ob corporis proceritatem (conjiciebamus enim ſuperius, hanc puellam parvam fuiſſe) verum ob ſtatum & cultum ab omnibus conſpiceretur. Noſter l. 1. Eleg. 2.

Totus & argento contextus, totus & auro
Inſideat celeri conſpiciendus equo.

v. 5. *Illa q. ornandi cauſſas tibi, diva, relegat*] Rariore hac & eleganti locutione uſus eſt Hirtius lib. 8. de Bello Gallico, cap. 22. *Scire, atque intelligere ſe, cauſſam peccati facillime mortuis delegari*. nimirum tribui, & adjudicari. Quinctilianus Præfat. lib. 6. Inſtit. Orat. *Fruſtra mala omnia ad crimen fortunæ relegamus*.

v. 6. *Eſt tamen, occulte cui placuiſſe velit*] Non ornatur ſibi Sulpicia, neque Junoni ſuæ, ſed Cerintho; quamvis id caute diſſimulet. Propertius pariter l. 4. Eleg. 8.

Huc mea detonſis avecta eſt Cynthia mannis:
Cauſſa fuit Juno, ſed mage cauſſa Venus.

v. 7. *ne nox divellat amantes*] Ut noctu ſimul eſſe poſſint ubi alter alteri conſtituit.

v. 9. *Sic bene compones*] Metaphora ducitur a gladiatoribus, qui *componi* dicebantur quum ſimul pugnarent. Pedo Albinovanus ad Liviam, v. 301., de Druſo & Antonia conjugibus: *Par bene compoſitum*. Petronius quoque, de re amoris: *Ego ſic jam paria compoſueram, ut ſi depugnandum foret, ipſe cum Quartilla conſiſterem, Aſcyltos cum ancilla, Giton cum virgine.*

v. 11. *vigilax cuſtos*] Experrectus, & ſomni prope neſcius, ut decet cuſtodem.

v. 13. *purpureâ pallâ*] Deorum pæne omnium ac dearum pallam indumentum fuiſſe, coacervatis optimorum auctorum teſtimoniis oſtendit elegantiſſimus Broukhuſius.

ibid. *pellucida*] Cur deæ caſtæ veſtem tribuit pellucentem, quæ meretricum erat? Quod ſcilicet palla ceteras veſtes amiciret; proptereaque per ipſam interiora tantum veſtimenta, non corpus ipſum cerneretur.

v. 14. *fit*] Subaudi *ſacrum*. Virgilius Ecloga 3. v. 77.

Quum faciam vitulâ pro frugibus, ipſe venito.

v. 15. *Præcipit en natæ mater ſtudioſa, quid optet*] Dictat filiæ genetrix voti formulam & rationem: illa tamen aliud ore, aliud mente precatur.

ibid. *ſtudioſa*] Sollicita, & filiæ felicitatem ex animo cupiens; puta ut nubat viro patricio, ex familia ſenatoria.

v. 16. *jam ſua*] Hoc nullo modo mutandum fuerat. *Sua* hic eſt quæ propter ætatem jam poſſit natare ſine cortice, ſui juris & arbitrii facta. Itali dicimus, *donna del voler ſuo*. Plautus Menæchmis, 5. 7. 55.

Id ſi attulerit, dicam ut a me abeat liber quo volet.
Ne tum quando ſuus factus ſit, a me argentum petat.

Idem

Digitized by Google

Uritur, ut celeres urunt altaria flammæ;
Nec, liceat quamvis, ſana fuiſſe velit.
Sic juveni gratis, veniet quum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adſit Amor.

Idem Perſa, 4. 3. 3.

Ita ancilla mea quæ fuit hodie, ſua nunc eſt: argento vicit.

Perſius Sat. 5. v. 88.

Vindicta poſtquam meus a prætore receſſi.

Cornelius Nepos in Vita Attici: *Ille autem ſui judicii, potius, quid ſe facere par eſſet, intuebatur, quam quid illi laudaturi forent.* Latini Jureconſulti ſæpius hac formula utuntur: *quum in ſuam tutelam venerit.* nempe, quum provectus ætate ſe ipſe tueri poterit, neque tutore amplius indigebit. Ita Prodicus apud Xenophontem l. 2. Memorabilium: *οἱ νέοι ἤδη αὐτοκράτορες γιγνόμενοι.* Qui ſui judicii & arbitrii eſt, a Græcis dicitur *αὐτογνώμων*, & *ἰδιογνώμων*. Ludovicus Areoſtus Cantu 26. Rolandi Furentis, ſtrophe 79.

Io ſua non ſon; nè d' altri ſon, che mia:
Dunque me tolga a me chi mi diſia.

Interdum *ſuus* eſt mentis compos. Ovidius l. 8. Metamorph. v. 35.

Vix ſua, vix ſanæ virgo Niſeïa compos
Mentis erat.

Idem l. 14. ejuſd. operis, v. 165.

Talia quærenti jam non hirſutus amictu,
Jam ſuus, & ſpinis conſerto tegmine nullis,
Fatur Achæmenides.

Nonnumquam, eſt qui ſibi vacare poteſt, negotiis expeditus. Seneca libro de Brevitate Vitæ, cap. 2. *Hic illius cultor eſt, ille illius, ſuus nemo.* Idem Epiſt. 20. *Si vales, & te dignum putas qui aliquando fias tuus, gaudeo.* Et Epiſt. 60. *Vaco, mi Lucili, vaco: & ubicumque ſum, meus ſum.* Ad hanc ſententiam pertinet illud Horatii Epiſt. 14.

Villice ſilvarum, & mihi me reddentis agelli.

Quum enim ad agellum venerat, *ſuus* demum fiebat. Tandem, *ſuus* dicitur, qui libere philoſophatur, & ſuo judicio,

Nullius addictus jurare in verba magiſtri.

Cicero lib. 4. de Finibus, non procul ab initio: *Qui ſciet ubi quidque poſitum ſit, quaque eo veniat, is etiam ſi quid obrutum erit, poterit eruere, ſemperque eſſe in diſputando ſuus.* Idem lib. 5. ejuſd. operis: *Hic quoque (Diodorus) ſuus eſt: de ſummoque bono diſſentiens, dici vere Peripateticus non poteſt.* Et lib. 1. de Legibus: *Nam ſententias interpretari perfacile eſt: quod quidem ego facerem, niſi plane eſſe vellem meus.* Contra, eidem Tullio Epicurus, qui omnem doctrinam phyſicam a Democrito acceperat, *alienus* dicitur: *Principio, inquam, in phyſicis, quibus maxime gloriatur, primum totus eſt alienus.* Hoc tamen loco Tibulli Nic. Heinſius, & Broukhuſius legere malunt, *clam ſibi*; quæ lectio ingenioſa quidem eſt, at vereor ut vera ſit.

v. 18. *Nec, liceat quamvis, ſana fuiſſe velit*] Sic & ſuperius Eleg. 5. l. 2.

Et faveo morbo, tam juvat ipſe dolor.

Nos etiam Epigrammate quodam Italico:

L' anima voſtra è del ſuo mal sì vaga,
Che guarir teme, e ogni rimedio ha in ira.

Sana hic eſt Cupidinis laqueo extricata. Ovidius Remed. Amoris, v. 43.

Diſcite ſanari, per quem didiciſtis amare.

v. 19. *Sic juveni gratis*] Non male vulgati codices:

Sit juveni grata: adveniet quum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adſit Amor.

Cupit, novellum amorem proceſſu temporis veterem, firmiorem, ac ſapientiorem fieri. Ovidius l. 3. Artis v. 565.

Ille vetus miles ſenſim & ſapienter amabit:
Multaque tironi non patienda feret.

CAR-

CARMEN VII.

Tandem venit Amor, qualem texiſſe pudore,
  Quam nudaſſe alicui, ſit mihi fama minor.
Exorata meis illum Cytherea camenis
  Attulit, in noſtrum depoſuitque ſinum.
Exſolvit promiſſa Venus. mea gaudia narret,
  Dicetur ſi quis non habuiſſe ſuam.
Non ego ſignatis quidquam mandare tabellis,
  Ne legat id nemo, quam meus, ante, velim:
Sic peccaſſe juvat. vultus componere famæ
  Tædet. cum digno digna fuiſſe ferar.

CAR-

Argumentum Carminis VII. Libri IV.

Sulpicia de honeſto, neque diſſimulando Cerinthi amore.

Versu I. *Tandem venit Amor*, &c.] Hujuſmodi amore tandem correpta ſum, qualem verecundiâ obtegere ſit mihi minus honeſtum & glorioſum, quam cuicumque obvio revelare, ac palam profiteri.

v. 4. *in noſtrum depoſuitque ſinum*] Sententiæ hujus mira ſuavitas: formoſum adoleſcentem Cerinthum ab ipſa Venere manu ductum ad Sulpiciam, & in ſinum ejus depoſitum.

v. 5. *mea gaudia narret*, &c.] Oſtendit, ſe rumores malos nihili facere; quandoquidem ii ſolum aliena gaudia reprehendere ſolent qui ſuis potiri nequeunt. Et eſt modus irridendi.

v. 6. *ſuam*] Subaudi, *puellam*, vel *amicam*; ut Horatius quoque ac Propertius loquuntur haud ſemel.

v. 7. *ſignatis tabellis*] Clauſis nimirum, & gemma ceræ impreſſa obſignatis: claudebantur enim diligenter litterulæ amatoriæ, ne quiſquam legeret præter illos ad quos miſſæ fuerant.

ibid. *quam ante*] ὕστερον πρότερον, pro *antequam*. Propertius l. 2. Eleg. 25.

Nec prius infecto depoſcit præmia curſu,
  Septima quam metam triverit ante rota.

v. 8. *Ne legat id nemo*] Iterata negatio pro ſimplici.

v. 9. *vultus componere famæ*] Severæ ac pudicæ frontem ac perſonam ſumere, τῆς φήμης ἕνεκα, ne populus amores meos deprehendere ac reſcire poſſit. Seneca ita locutus libro de Tranquillitate Animi, cap. 15. *Alienis delectari malis, voluptas inhumana: ſicut illa inutilis humanitas, flere quia aliquis filium efferat, & frontem ſuam fingere.* Et propius Tibullo Corn. Tacitus lib. 1. Annalium, cap. 7. *At Romæ ruere in ſervitium Conſules, Patres, Eques, quanto quis inluſtrior, tanto magis falſi ac feſtinantes, vultuque compoſito, ne læti exceſſu principis, neu triſtiores primordio, lacrimas, gaudium, queſtus, adulatione miſcebant.* Hoc Ludovico Areoſto, Italice, Cantu 16. Rolandi Furentis, ſtrophe 9. eſt *acconciarſi'l viſo*. Loquitur de Origille, doloſa muliere:

S' acconcia il viſo, e sì la voce aita,
Che non appar in lei ſegno di tema.

v. 10. *cum digno digna fuiſſe ferar*] Similia Horatius Ode 27. lib. 1. ad fratrem Megillæ Opuntiæ:

Quæ te cumque domat Venus,
Non erubeſcendis adurit
Ignibus: ingenuoque ſemper
Amore peccas.

Ovi-

Ovidius quoque, ex Tibulli diſciplina, Epiſt. Helenæ, v. 49.

Illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.

Ceterum, *eſſe cum aliquo*, vereeunde ſignificat, *concumbere*, ſicuti apud Græcos συνεῖναι: unde συνουσία, *concubitus*. Noſter l. 1. Eleg. 1. *tecum Dummodo ſim, quæſo ſegnis, inerſque vocer.*

CARMEN VIII.

INvisus natalis adeſt, qui rure moleſto,
Et ſine Cerintho triſtis agendus erit.
Dulcius urbe quid eſt? an villa ſit apta puellæ,
Atque Eretino frigidus annus agro?
Jam nimium, Meſſala, mei ſtudioſe quieſcas,
Non tempeſtivæ ſæpe propinque viæ.
Hic animum ſenſuſque meos abducta relinquo:
Arbitrii quoniam non ſinis eſſe mei.

CAR-

ARGUMENTUM CARMINIS VIII. LIBRI IV.

Dolet Sulpicia, quod ruri futura ſit die natali Meſſalæ. Hinc autem ſuſpicari licet, hanc Sulpiciam tanto viro cognatione junctam fuiſſe: nam apud eum ruſticabatur quam familiariter. Tibullus autem, qui in Meſſalæ clientela erat, matronam colere cœpit, ejuſque, ut videtur, impulſu de ipſius amoribus ſcribere.

VERSU I. *Invifus natalis*] Non quod oderit Meſſalæ natalem diem, ſed quod eo anno ſibi ſit odioſum & graviſſimum, diem hujuſmodi celebrare in agro, non in urbe, ut ſolita erat. Quid ſi dicamus, hic agi de natali Cerinthi, aut Sulpiciæ, de quibus tam multa ſcripſit Noſter in carminibus ſuperioribus? Verum ad Meſſalam hæc pertinere, ſatis liquet ex Carmine quod proxime ſequitur.

ibid. *rure moleſto, Et ſine Cerintho triſtis agendus erit*] Sic amator Phædria apud Terentium Eunucho, 1. 2. 107.

Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum.

v. 4. *frigidus annus*] Nempe hiems, frigida pars anni. Virgilius lib. 6. Æneid. v. 311.

gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.

Annus hibernus dixit Horatius Epodo 2. v. 29.

ibid. *Eretino agro*] Nam Eretum, Sabinorum olim vicus, in regione etiam æſtivis menſibus valde frigida ſitus fuit.

v. 5. *quieſcas*] Amores noſtros noli turbare; ſtudio tuo mihi moleſtus ne fueris. Vel *quieſcas*, permitte, quæſo, ſine, eſſe me Romæ. Ita Cicero lib. 7. ad Atticum, Epiſt. 9. *Aut ſi tribunos plebis non patiatur, tamen quieſcat rem adduci ad interregnum.*

v. 6. *Non tempeſtivæ ſæpe propinque viæ*] Qui profectionem & diſceſſum identidem cogitas. Lucanus lib. 6. Pharſ. v. 1.

Poſtquam caſtra duces pugnæ jam mente propinqui
Impoſuere jugis.

v. 7. *Hic*] Romæ, unde invita & coacta diſcedo.

ibid. *animum, ſenſuſque m. abducta relinquo*] Euclio ille avaritiæ exemplum apud Plautum Aulul. 2. 2. 4. ſimile quiddam ſe experiri fatetur:

Nunc domum properare propero: nam egomet ſum hic, animus domi eſt.

Sane

Sane amantibus & avaris ex æquo convenit. *Senſus meos* Tibullus dicit, nam qui amant, ſunt ἀναίσθητοι. Propert. l. 2. Eleg. 12.

Is primum vidit ſine ſenſu vivere amantes.

CARMEN IX.

SCIS iter ex animo ſublatum triſte puellæ;
Natali Romæ jam finis eſſe tuo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui necopinanti jam tibi forte venit.

ARGUMENTUM CARMINIS IX. LIBRI IV.

Tibullus ad Meſſalam, qui permiſerat natali ſuo Sulpiciam Romæ commorari.

VERSU I. *S. iter ex animo ſublatum triſte puellæ*] Licebit nos omnes hilares eſſe natali tuo, quum ex animo Sulpiciæ Cerinthum perdite amantis deleta fuerit vel imago ruſticationis, quæ puellam tantopere perturbabat: oportuiſſet enim, eam ruri degentem ab amoribus ſuis aliquantum abeſſe.

v. 4. *Qui necopinanti nunc tibi forte venit*] Siquidem

Labitur occulte, fallitque volatilis ætas;

atque, ut ait Juvenalis, *obrepit non intellecta ſenectus*. *Necopinanti*, pro non opinanti, non ſentienti, minus animadvertenti. Terentius Andria, 1. 2. 9.

Id voluit, nos ſic necopinantes duci falſo gaudio.

Lucretius lib. 3. v. 972.

Et necopinanti mors ad caput adſtitit ante
Quam ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum.

Hirtius de Bello Africano, cap. 7. *Remiges interim, qui aquatum e navibus exierant, ſubito equites Mauri, neque opinantibus Cæſarianis, adorti multos jaculis convulneraverunt*. Corn. Celſus lib. 5. Medicinæ, cap. 27. ubi agit de hydrophobia: *Sed unicum tamen remedium eſt, necopinantem in piſcinam non ante ei proviſam projicere*. Ita *necopinus*. Ovidius 1. Metam. v. 224.

Nocte gravem ſomno necopina perdere morte
Me parat.

Idem lib. 12. ejuſdem operis, v. 596. *Occulta necopinum perde ſagitta*. Univerſe autem *nec*, pro *non*. Plautus Aſinar. 1. 3. 5.

Nec recte quæ tu in nos dicis, aurum, atque argentum merum eſt.

Cicero lib. 3. de Legibus: *Magiſtratus nec obedientem & nocuum civem mulcta, vinculis, verberibuſve coercento*. Et rurſus libro eodem: *Senatori, qui nec aderit, aut cauſſa, aut culpa eſto*. Vide Pompejum Feſtum verbo *Nec*, & apud Pitiſcum in Comment. ad Suetonium, pag. 173.

CARMEN X.

GRATUM eſt, ſecurus multum quod jam tibi de me
Promittis, ſubito ne male inepta cadam.

Si

ARGUMENTUM CARMINIS X.
LIBRI IV.

Sulpicia de nimia Cerinthi ſecuritate conqueritur.

VERSU I. *Gratum eſt*] Dictum εἰρωνικῶς. Ait enim, Cerinthum in amore tepeſcentem, plane indignum eſſe qui amet Sulpiciam Servii filiam, virginem tanta nobilitate: ſed ei potius convenire ſcortum aliquod diobolare ex quadrivio & angiportu, quod glubat magnanimos Remi nepotes; ablato prorſus rivalitatis timore. Quod pertinet ad locutionem, ea ſerio ſunt uſi Latini ſcriptores. Terentius Andria, 1. 1. 14.

Si tibi quid feci, aut facio, quod placeat, Simo:
Et id gratum fuiſſe adverſum te, habeo gratiam.

Idem Eunucho, 3. 1. 5.

eſt iſtuc datum
Profecto mihi, ut grata ſint quæ facio omnia.

Et Heautont. a. 3. at.

Quod tamen nunc faciam: tum quum gratum mihi eſſe potuit, nolui.

h. e. quum ex eo gratiam colligere poteram. Prior autem Plautus prologo Amphitr. v. 48.

Gratum arbitratur eſſe id a vobis ſibi.

Cicero in Bruto: *Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. Sapienter id quidem; atque utinam imitarentur, nec oſſa ſolum, ſed etiam ſanguinem. gratum eſt tamen, quod volunt.* Idem Epiſt. 7. lib. 1. ad Famil. *Legi tuas litteras, quibus ad me ſcribis, gratum tibi eſſe, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus.* Et lib. 3. ad Atticum, Epiſt. 24. *Iſta veritas, etiamſi jucunda non eſt, mihi tamen grata eſt.* nempe, pro qua gratum animum tibi debeam; tamquam de accepto beneficio. T. Livius lib. 3. Hiſt. *Atque ille lacrimabundus, Gratum eſt, inquit; craſtina die veſtrâ operâ utar. ſponſorum nunc ſatis eſt.* Ovidius Epiſt. Paridis, v. 13.

Jamdudum gratum eſt, quod epiſtola noſtra recepta
Spem facit hoc recipi me quoque poſſe modo.

Juvenalis Sat. 14. v. 70.

Gratum eſt, quod patriæ civem populoque dediſti,
Si facis ut patriæ ſit idoneus.

Denique Statius Papinius lib. 12. Thebaid. v. 338.

Sed bene habet, ſuperi: gratum eſt, Fortuna.

Iccirco, *gratum eſt*, formula erat qua Romani gratias agebant, & memorem ac devinctum animum ſignificabant. Dixerunt etiam, *benigne*. h. e. benigne facis: cui reſpondet Italicum, *gran mercè*. Horatius Epiſt. 7. lib. 1. v. 16. *At tu quantumvis tolle. Benigne.* Dialogus eſt. Id inferius repetit, v. 60. Contra, *ingratum* vocabant, cui nullæ habebantur gratiæ. Terentius Heautont. 5. 1. 60.

Difficilem oſtendes te eſſe, & ignoſces tamen
Poſt, & id ingratum.

hoc eſt, neque ullam gratiam acquires ignoſcendo. Catullus Carm. 72.

Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benigne eſt.

Ad quem locum vide quæ nos attulimus in Commentario noſtro. Pulcherrime Lucretius l. 3. v. 948.

Nam ſi grata fuit tibi vita anteacta, priorque;
Et non omnia, pertuſum congeſta quaſi in vas,
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis?

ibid. *ſecurus*] Nihil ſollicitus; cujuſmodi ſolent eſſe quorum amor deferbuit. Horatius Ode 26. l. 1.

quis

Digitized by Google

Si tibi cura toga eſt potior, preſſumque quaſillo
  Scortum, quam Servi filia Sulpicia:
Solliciti ſunt pro nobis, quibus illa dolori eſt,
  Ne cedam ignoto, maxima cura, toro.

quis ſub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ;
Quid Tiridaten terreat unice
Securus.

Idem Epiſt. 1. lib. 2. v. 176.

Securus, cadat an recto ſtet fabula talo.

ibid. *multum quod jam tibi de me Promittis*] M. Tullius Epiſt. 10. lib. 3. ad Famil. *De me tibi ſic, conteſtans omnes deos, promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate ..... in hac provincia, cui præfuiſti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; auctoritate, cari hominis (ut ſpero) apud civitates; gravitate, imperatoris ſuſcepturum officia atque partes.*

v. 2. *ſubito*] Aura enim favoris muliebris fallax, & quæ repente mutetur.

ibid. *male cadam*] Turpiter decidam a fide quam tibi dedi & obligavi. *Cadere*, eſt etiam verbum nequitiæ liberioris. Plautus Perſa, 4. 4. 103.

Libera eris actutum, ſi crebra cades.

h. e. ſi mihi perſolves pretium manumiſſionis, crebro concumbens cum advenientibus. Sic & *deſcendere*. Juvenalis Sat. 11. v. 164.

Ad terram tremulo deſcendunt clune puellæ.

Cadere, apud vulgatum Bibliorum interpretem, Numer. c. 14. v. 4. eſt cubare, dormire: *Qui cadit, & ſic aperiuntur oculi ejus*. h. e. qui decumbit in lectulo, qui dormit, & dormiens futura videt. Et rurſus v. 16.

ibid. *inepta*] Quia ſi te, Cerinthe, cuilibet alii poſthaberem, ſtulta eſſem, & ἀπειροκάλη. Tu propterea formæ tuæ nimium credens, rivales non times, nec me ineptam adeo putas, ut te contemto, in aliorum complexus ruam.

v. 3. *Si tibi cura toga eſt potior*] Si vilem ac togatam aliquam meretriculam, præ me, deperis: nam ſcortilla utebantur toga, virili veſtimento. quod novimus vel ex Horatio Sat. 2. l. 1.

ibid. *preſſumque quaſillo Scortum*] Ancillæ quaſillariæ fuerunt olim viliſſima & maxime ſordida familiæ pars. Cum his vero concumbebant mediaſtini, & alii ſervi humiliores. *Quaſillus*, diminutivum a *qualus*. Erant hi calathiſci, ſeu vaſa viminea, in quibus ancillæ, vel aliæ mulieres, quum lanam facerent, penſa diurna reponebant. Propertius l. 4. Eleg. 7.

Et graviora repenait iniquis penſa quaſillis,
Garrula de facie ſi qua locuta meâ eſt.

Horatius Ode 12. l. 3.

Tibi qualum Cythereæ puer ales, tibi telas
Operoſæque Minervæ ſtudium aufert, Neobule,
Liparæi nitor Hebri.

v. 4. *Servi filia Sulpicia*] Loquitur ipſa de ſe, ut de alia perſona.

v. 5. *Solliciti ſunt pro nobis*] Rivales tui me pluris faciunt quam tu, ac diligentius obſervant quid agam. Illa enim maxima cura eos torquet ac vexat, ne cedam in matrimonium felicioris alicujus, qui nondum ipſis innotuit, & quem ſola metuunt ſuſpicione: ut optime interpretatur Broukhuſius.

Digitized by Google

CARMEN XI.

ESTNE tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ,
Dum mea nunc vexat corpora feſſa calor?
Ah ego non aliter triſtes evincere morbos
Optarim, quam te ſi quoque velle putem.
Nam mihi quid proſit morbos evincere, ubi tu
Noſtra potes lento pectore ferre mala?

ARGUMENTUM CARMINIS XI. LIBRI IV.

Sulpicia ægrotans ad Cerinthum.

VERSU I. *pia cura*] Ita codex Fulvii Urſini. Vulgati, *placiture*; quo participio uſus Tibullus Eleg. 5. l. 2.

Illâ ſæpe gregis diti placitura magiſtro
Ad juvenem feſtâ vecta puella die eſt.

v. 2. *corpora feſſa*] Morbo languentia. Supra Carm. 4.

Sancte veni, tecumque feras quicumque ſapores,
Quicumque & cantus corpora feſſa levant.

ibid. *calor*] Febris ardens. Febrem Græci vocant πυρετὸν, ἀπὸ τῦ πυρὸς, ab igne. Lucretius l. 2. v. 34.

Nec calidæ citius decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, oſtroque rubenti
Jactaris, quam ſi plebeja in veſte cubandum eſt.

v. 3. *t. evincere morbos*] Columella l. 6. R. R. cap. 5. *Evincendi autem ſunt quamvis peſtiferi morbi, & propulſandi.*

v. 4. *te ſi quoque velle putem*] Te idem cupere quod ego cupio. Aut *velle*, pro amare. Catullus Carm. 8.

Ibi illa multa tam jocoſa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Nunc jam illa non vult.

v. 6. *lento pectore*] Romani poetæ *lentos* vocant qui aliorum incommodis parum admodum commoventur. Propertius lib. 2. Eleg. 14.

Nec mihi ploranti lenta ſedere poteſt.

Lentum enim proprie eſt quod flectitur quidem, ſed non frangitur. Hinc *lenta vitis*, *lentum vimen*.

CARMEN XII.

NE tibi ſim, mea lux, æque jam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuiſſe dies;
Si quidquam tota commiſi ſtulta juventa,
Cujus me fatear pœnituiſſe magis,
Heſterna quam te ſolum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens diſſimulare meum.

ARGUMENTUM CARMINIS XII. LIBRI IV.

Dolet Sulpicia, quod oblatam ſibi voluptatem contemſerit, eàque uti recuſaverit, ne nimium animi ardorem proderet. Eſt autem hoc Carmen brevis amatoria epiſtola, ut & nonnulla ſuperiora. Editiones Tibulli antiquæ; cum quibus facit & Codex Guarnerianus Bibliothecæ S. Danielis, inſpectus a *Dominico Ongaro*, viro docto, mi-

hique

Digitized by Google

hique amiciſſimo; id collocant poſt Elegiam ultimam libri tertii, quin immo cum ea conjungunt; ſed omnino perperam. Sententia Epigrammatis ita perſpicua eſt, ut nulla indigeat explicatione.

